Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/periodica-de-re-canonica_1939_28

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

TOMUS VIGESIMUS OCTAVUS

(1939)



ROMAE

APUD PONTIFICIAM UNIVERSITATEM GREGORIANAM

1939

17398

V. 28
1939

IMPRIMI POTEST

Romae, die 8 feb. 1939.

RAPHAËL BITETTI
Praep. Prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, die 9 feo. 1939.

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic Ger.

ROMAE, 1939 — TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Estne opportunum sola venialia confiteri?

Sacrosanctum Eucharistiae sacramentum magis magisque in dies frequentatur. Iniquis nostris temporibus, cum feroces inimici mutuo hominum amori adversantur ingruentesque spirituum conflictationes omnium animos fatigant, christifideles solerter ad Angelorum panem confugiunt ut eodem recreentur unumque corpus efficiantur (1).

Non est ignotum nec oblivioni traditum legis prescriptum: « Excitentur fideles ut frequenter etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; utque Missae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent » (2).

Profunda animi demissio; id est cordis contritio, propriae infirmitatis persuasio, divini adiutorii desiderium; en praerequisita mentis dispositio ad tantum munus suscipiendum (3).

Hanc, ut in comperto est, maior christianorum pars quasi spirituali instictu ducta in Poenitentiae sacramento collectam esse persentit. Quid igitur dicendum de convenientia sacramentalis confessionis eorum qui, ut ad com-

---

(1) I Cor. 10. 17.
(2) *Codex I. C.* c. 863.
(3) Torres y Bages, *Obras completas*, Vol. III « Pa d'Angels » pag. 136 et seq.

munionem frequenter accedant, frequenter confessionem praemittunt in qua nihil nisi levia commissa sibi dimittenda habent?

Patent definitiva Sacrae Tridentinae Synodus verba: « Venialia (peccata) quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt » (4).

Quare, etsi non sit necesse levia commissa sacramentaliter confiteri, cuilibet integrum est eadem in confessione accusare. Hoc infitiari praesumere haereticum esset. « Si quis enim dixerit, ut ipsius Concilii verba mutuemur, non licere confiteri peccata venialia A. S. » (5).

Id propositum habui hanc confessionis licentiam sententiis patrum et theologorum qui Tridentino interfuerunt illustrare et accurate definire; at frustra. Nam desiderantur adhuc volumina VI. et VII. eruditissimi Goerresianae Societatis operis, quae acta sessionis XIV continebunt; quae autem apud Le Plat, Harduin, Pallavicini, Hefele-Leclerq aliosque hac de re inveniuntur, tam exigua sunt ut, licet Pallavicinus asseveret Concilium vel minima eorum quae huic sessioni proponebantur semel atque iterum magnaque cura disceptasse (6), haud longe a veritate distare videatur qui Synodum censeat venialium confessioni modestas sat partes tribuisse (7).

Clare verum apparet Synodum Lutheri errorem a Leone X damnatum (8) sollemni pronuntiatione reprobare iterum voluisse.

---

(4) *Conc. Trid.* sess. XIV cap. V Denz.-Ban. n. 899.

(5) Conc. Trid. sess. XIV can. 7 de Poen.

(6) Pallavicini, *Hist. del Conc. di Trento*, Roma 1664, Vol. II, lib. XII c. X n. 28.

(7) *Conc. Trid. D. A. E. T. Nova Coll.*, Friburgi Brisgoviae 1901. Le Plat, *Mon. ad Hist. Conc. Trid.*; Harduini, *Conciliorum Coll.*; Grisar, H.; Jac. Lainez, *Disp. Trid.*; Hefele-Leclerq, *Historia Conc.*

(8) Leo X, *Const.* « Exurge Domine », 15 Jun. 1520. E Propositionibus ex Luthero operibus depromptis et a Pontifice damnatis octa

Iam dogmaticis explanationem demandamus qua de causa et quo modo venialia sint de se, etiamsi sola inveniantur, sufficiens remota materia supra quam sacerdotalis absolutio cadat atque exinde eorum confessio licita evadat.

Quod quaerimus est: estne haec utilis atque opportuna dicenda?

Ad hanc quaestionem enucleandam primum « *multa remedia* » quibus praeter confessionem, ut *S. Tridentina Synodus* edocet, venialia remittuntur persequemur; postea ipsam venialium confessionem considerabimus; tandem hodiernam Ecclesiae hac in re disciplinam attingemus.

I

Inter remedia quae modo attigimus imprimis recensenda veniunt sacramentalia: id est sacrae quaedam res vel actiones quibus effectus venialia delendi tribui solet (9). Ex theologorum sententia sex numerari solent, nempe: oratio dominica: aqua benedicta, panis benedictus, confessio generalis, eleemosyna, et Episcopi vel Abbatis consecrati benedictio iam illo versu memorata: « orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens ».

Porro communis sententia doctrina Angelici Doctoris innixa (10), tenet haud constare eadem ex opere operato levia peccata extinguere (11). Quam conclusionem suadet evidens contrariae sententiae fautorum discrepantia; dum enim ex his aliqui sacramentalia tantum mediate ex opere

---

va sic se habet: « Nullomodo praesumas confiteri peccata venialia ». *Bullar. Rom.*, Taur., Vol. V, p. 750. DENZ.-BAN. n. 748. Confer BELLARMINUM, *De Controversiis Fidei; De Sacr. Poen.* Lib. III c. I, ubi de erroribus Lutheri circa secretam confessionem.

(9) Conf. 3am. P. S. T. S. THOMAE, q. 87, et theologos posttridentinos hanc quaestionem commentantes.

(10) SUAREZ, *De poenit.* disp. 12 sect. II n. 1-14. Sacramentalia habent procul dubio ampliorem definitionem ea quam dedimus. Cum tamen nobis hoc loco de his agendum sit quae venialia remittunt, ideo hanc coarctatam elegimus, ut vel ab initio sacramentalia quae alios effectus sive spirituales sive temporales habent excluderemus. Vide sis NOLDIN, *Summa Th. Mor.*, vol. III n. 44.

(11) TOLEDO, *In S. Th.*, Enarr. in 3am, q. 87, a. 3, dub. 2; BELLARMINUS, *De Cont. F., De sacram. in genere*, lib. II, cap. 30.

operato venialia delere contendunt, alii affirmant id ea immediate efficere, ita tamen ut imperfectam saltem attritionem vel demissionis aut reverentiae actum requirant (11). Pauci omnino tandem sunt qui teneant sacramentalia immediate prorsus ex opere operato venialia remittere (12).

Quod si horum argumenta perpendantur, facile convincuntur. Ecclesia, sic aiunt, sacramentalia instituit, ut tamquam propria vi aliquid contra venialia efficiant; pariterque in ipsis virtualis culpae disciplicentia continetur qua venialia expientur.

Attamen; potuit quidem Christus Ecclesiae eam potestatem donare qua Illi sacramentalia condere licuisset quibus venialia ex opere operato dimitterentur; nihilo minus neque Scriptura, neque Traditio, neque eiusdem Ecclesiae usus, neque demum ulla cogens ratio ex principiis revelatis deducta ostendunt Servatorem nostrum eam Illi contulisse.

Sacramentalibus igitur eo peculiaris efficientia in venialium remissione concedenda quo sive ex Dei promissione sive nostra petitione sive ex Ecclesiae oratione eorum veniam impetrant (13).

Extat et aliud remedium quod separatim a sacramentali confessione venialia remittit: animi motus illi contrarius (14).

Quod ad hunc attinet, theologorum placita, ut Ripalda fert, ad quatuor redigi queunt (15). Primum eorum est qui

(12) Suarez opere et loco nota 10 citat.

(13) Aliud argumentum contra vim effectricem sacramentalium ex opere operato potest esse ipse incertus eorum numerus. Aliquando includuntur inter sacramentalia venialium remissiva tunsio pectoris, oratio in consecrata Ecclesia, et sacra unctio; aliquando etiam sacram synaxim suscipere, Missae sacrificio adesse et sacram contionem audire. Horum non pauca, ut oratio dominica, Missae sacrificium, Sacra Communio, eleemosyna et alia neque sacramentalia sunt neque originem ullum ab Ecclesia trahunt.

(14) Agimus de remissione venialium in eo qui in gratiae statu versatur, Supponimus notum dictum theologorum « veniale sine mortali (si quis in mortali sit) remitti nequit ». Hinc et notum quod isti animi motus veniali peccato contrarii, qui nihil efficere possunt ad mortale tollendum, pariter nihil efficere ad veniale remittendum in eo qui in mortali versetur.

(15) Ripalda, *De ente supern.*, Lib. IV, disp. 97, sect. IV.

tenent venialia dumtaxat remitti vel perfecta illorum contritione vel efficaci charitatis dilectione in qua virtualis ipsorum detestatio inveniatur. Ita VAZQUEZ cum aliis (16).

Affirmant alii ea, solo et omni efficaci dolore expiari; nempe tum contritione tum sive formali sive virtuali attritione. Ita SUAREZ et DE LUGO, cum hac tamen discrepantia; dum enim prior tali dolori omnium venialium condonationem tribuit, alter putat aliquam efficacem attritionem dari qua non omnia sed tantum nonnulla remittantur (17).

Tertium habet Valencia iuxta quem omnia levia commissa efficaci dolore absterguntur quin tamen quaelibet attritio efficax animi dolor censeri possit.

Alii denique omnem meritorium actum aliquot saltem venialium remissionem obtinere. Autumant ita MEDINA aliique (18).

Indidem liquet ab omnibus admitti tum perfectam contritionem tum charitatem quae virtualis est venialium detestatio ad eorum remissionem sufficere. Cum vero primae sententiae patroni hanc, extra sacramentum, semper exigant, in relatum Tridentini sententiam: « venialia ... multisque (praeter confessionem) remediis expiari », impingere videntur.

Falsam etiam quartam sententiam reputamus. Constans et unanimis Ecclesiae traditio ad peccati utcumque minimi veniam obtinendam aliquantam animi poenitentiam exposcit quae illud aversetur et pravam peccandi voluntatem revocet. Ut pulchre notat *Catechismus Romanus*, haec adeo propria eius (poenitentiae) vis est ut peccata deleat, ut sine Poenitentia remissionem peccatorum impetrare aut sperare nullo modo liceat. Scriptum est enim: « Nisi poenitentiam habueritis omnes similiter perititis », quod quidem de gravioribus et mortiferis peccatis dictum est

(16) VAZQUEZ, *Comm. ac Disp.* in 3am, q. 87, art. 1, dub. 1.
(17) SUAREZ, *De Poen.* Disp. XI sec. III; LUGO, *De Poen.* Disp. IX, sec. II, n. 31.
(18) MEDINA, *De Poen.* tract. I quaest. 3.

a Domino; etsi aliquo etiam Poenitentiae genere indigent leviora peccata quae venialia vocantur. Sanctus enim Augustinus inquit: « Cum quaedam sit Poenitentia quae quotidie in Ecclesia pro peccatis venialibus agitur; illa sane frustra esset, si peccata venialia absque Poenitentia dimitti possent » (19). Porro, non recusamus quo minus veri nominis attritio, etsi virtualis sit, plura, si non omnia, venialia quae attingat expiare possit. Quaenam tamen efficax attritio dici potest, in quo virtualis consistit et quot venialia attritione delentur definire magni laboris est opus.

Clare saepe laudatus insignisque De Lugo fatetur: « Pro resolutione huius puncti (de efficacia attritionis in venialibus remittendis) in quo multa sunt incerta et quae non nisi ex probabili coniectura sciri possunt » ... (20).

Iam respectu naturae virtualis attritionis sufficiat haec indicasse. Iuxta Ripalda: est illa amor virtutis cuiuscumque quocum venialis affectus componi nequit, quo mediante voluntas ab illo recedit; poenitentia est, inquit, actuali peccato repugnans in sensu composito ut qui talem amoris actum posuit, dum illum animi sensum retineat, in iisdem adiunctis in quibus offendit positus non peccatarus credatur (21).

Denique; num attritione quamvis formali et explicita omnia venialia ex opere operantis deleantur vel minus ignoratur. Suarez qui hoc asseverat vix aut omnino sententiae socios non habet (22).

---

(19) *Catech. Rom.*, Pars II cap. V n. 20. Cfr. etiam Lugo, *De Poenit.* disput. IX sect. II, n. 25: « Non existimo remitti umquam veniale sine aliqua displicentia saltem virtuali illius ». Haec etiam est sententia communis.

(20) Lugo, *Oper. cit.*, disp. IX, sect. II, n. 15 et 28.

(21) Ripalda, *Op. cit.*, Lib. IV disp. 97 sect. IV n. 61. De Lugo veram attritionem virtualem illam vocat quae, conditionalis cum sit, necessario non mere contingenter venialis displicentiam contineat, ita ut « peccator nunc tali vel tanto affectu versetur circa Deum vel res divinas aut circa obiectum virtutis ut cum illo affectu non possit non displicere illi peccatum oppositum, si illius recordaretur ». *Op. cit.* Disp. IX sect. II n. 24.

(22) Ita Lugo: « Neque non est necesse quod posita attritione tollantur semper omnia venialia. Sed licet regulariter afferat secum

Eminet et aliud divinum remedium: Sanctissimae Eucharistiae susceptio. (23) Angelicus Doctor quaerens an Eucharistiae sacramento venialia remitantur, expressis verbis affirmative respondet. Cuius rei duplicem rationem affert. Hoc sacramentum, quod sub specie cibi sumitur, significat eo charitatis vigorem quae venialibus debilitatur refici atque restaurari. Eucharistiae quoque est non solum charitatis habitum dare vel augere sed etiam actum charitatis in nobis excitare unde venialia expellantur (24).

« Servator noster, declarat sacra *Tridentina Synodus*, sumi voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum quo alantur et confortentur ... et *tamquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis* et a mortalibus preservemur » (25).

Nihil mirum ergo si Suarez, Sancti Thomae sententiam communem, certam et a quamplurimis Ecclesia Patribus sustentatam vocat (26).

---

remissionem alicuius, non tamen omnium ad quae se extendit sed cum limitatione *secundum regulam ordinationis divinae quam in hoc nullo modo possumus definire* ». *Op. cit.* et loc. cit. n. 28.

(23) Sacram. Eucharistiam tantum adducimus quia licet alia sacramenta vel saltem maior eorum pars venialia ex opere operato remittere possunt, tamen cum semel vel raro quidem suscipi possunt ad questionem nostram de frequenti ac facili venialium remissione parum aut omnino nihil conferunt.

(24) *Summ. Th.* in 3am, q. 79, art. 4.

(25) *Conc. Trid.* sess. XII cap. II. Denz.-Ban. n. 875.

Laudata Tridentini verba ita a Cathechismo Romano Concilii imagine resonantur: « Remitti vero Eucharistia et condonari leviora peccata quae venialia dici solent non est quod dubitari debeat. Quidquid enim cupiditatis ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum in Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit. Quemadmodum etiam (neque enim a proposita similitudine discendendum videtur) quod innati caloris vi quotidie detrahitur, ac deperit, paulatim addi et refici naturali alimento sentimus. Quare merito a D. Ambrosio de hoc coelesti sacramento dictum est: Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianae infirmitatis. Verum haec de iis peccatis intelligenda sunt, quorum sensu et delectatione animus non permovetur ». *Catech. Rom.* Pars II, cap. IV, n. 52.

Optima quoque hac de re disserit praeclarissimus theologus ac orator Beatus Ioannes de Avila in *Tractatu decimo septimo de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento*, in quo rationes a S. Thoma allatae mirifice atque omnium captui accomodate exponuntur. *Obras del Maestro Beato Juan de Avila*, Madrid 1927, Apostolado de la prensa, pags. 1406 et sequentes.

(26) Suarez, *De Poen.* disp. XII sect. I N. 10.

Dubium exurgit simul atque investigatur utrum Eucharistia venialia tollat ex opere operato, quasi mediate, eo quod in voluntate hominis sufficientem motum ad illa expellenda concitet, an immediate absque tali voluntatis motu.

Postremum uti verisimilius magisque sacramento consentaneum Suarez, Lugo, et Vazquez tenent cum aliis (27). Primum aliqui qui ad S. Thomae auctoritatem confugiunt. Quoad aliam difficultatem quae circa sufficientem dispositionem ab Eucharistia requisitam ut levium culparum remissionem suscipienti praestet movetur, maxima pars theologorum, quamdam attritionem in suscipiente postulat; dum Suarez mera sacramentum suscipiendi voluntate absque actuali peccati affectione est contentus (28).

Ex hucusque dictis constat venialia, ex opere operato Eucharistiae susceptione quam virtualis saltem venialium detestatio comitatur expiari; itemque ex opere operantis, tum contritione vel charitate perfecta tum attritione, qua saltem aliqua remittuntur, tum sacramentalium usu.

II

Verum enim vero grandis Poenitentiae sacramenti efficientia in hac remissione excellit. Munus illius est quaevis peccata sive enormia sive levissima quae clavium potestati subiciantur, rite dispositis, ex opere operato penitus extinguere. Ex opere operato dixi, non inde ullo merito, vel qualibet dispositione eius qui sacramentum suscipiet sed ipsa efficacia quam Christus Dominus huic sacramento ad peccata delenda contulit. Atqui haec venia, cum de iustorum levioribus agitur, nequaquam extrinseca ratione, ut si Deus offensus esse cessaret, sed habitualis gratiae ultra omne, sive congruum sive condignum, suscipientis meritum incremento perficitur. Hanc divinae gratiae

(27) Suarez, *De Poen.* disp. XII sect. 1 n. 5: Lugo, *De Poen.* disp. IX sect. III n. 45. Vazquez, *Disput.* in Tertiam q. 87, art. 3, dubia 3 et 2.

(28) Suarez, *Opere cit.*, disput. et sect. citat. n. 9.

elargitionem debitum augmentum tum Spiritus Sancti donorum tum infusarum virtutum consequuntur. Huc accedit et donum peculiaris gratiae quae sive ipsa sua essentia ab infusa sanctificante differat, sive diversae sit naturae, conexionem necessariam implicat cum actualibus auxiliis quibus anima nova quadam intentione venialia osura erit, contra futura in eisdem labendi pericula roborabitur vitiososque habitus confranget atque comminuet.

Adice quod Poenitentia et sola poenitentiae susceptio temporalem poenam venialibus peccatis debitam ex opere operato sublevat et propriam omnino vim ad satisfaciendum largitur.

Omnia ista eximia divinae bonitatis munera renunciat vel abicit qui venialium condonationem ex alio fonte quam ex Poenitentiae Sacramento quaerere periclitatur.

Dixerit tamen aliquis. Unde tot commoda tamque praetiosae utilitates, si Poenitentiae sacramentum nulla venialia remittit? Nam ad illud valide suscipiendum attritio saltem requiritur. Haec autem, ut dictum est, venialia ex opere operantis abstergit; quare necesse est ut sacramentum ea iam expiata inveniat (29). Etiamsi hoc daremus non ideo sententia nostra vel minime infirmaretur.

Gratias a nobis modo relatas certo certius impetrabit qui probe attritus sufficientem materiam praebebit super quam sacramentalis absolutio cadat. Atque, ne multis in his moremur, ut habet Canon 902 C. I. C.: « Peccata post baptismum commissa, sive mortalia directe potestate cla-

---

(29) Occasionem sumimus animadvertendi etiam iuxta SUAREZ ad sacramentum Poenitentiae ad venialia tantum absolvenda ordinatum recipiendum requiri formalem attritionem, meramque illam non complacentiam venialium formalem au virtualem Eucharistiae susceptio venialia expiet, non sufficere. Ita explicite docet In, De Poen. disp. XX sect. IV. Quae autem dicuntur in Disp. XII sect. I n. 9 nempe voluntatem sacramenti sine complacentia peccati sufficere ad remissionem venialis inteligenda sunt valere cum confessio fit de mortalibus simul et venialibus et data formali ad confessionem attritione de his tantum habetur illa voluntas. Quae bene percepisse non videtur IOANNES BEUMER S. I. in praeclaro articulo *Die spekulative Durchdringung der Andachtsbeichte in nachtridentinischen Scholastik*, in *Scholastik*, XIII. Jahrgang, Heft I pag. 78.

vium iam remissa, sive *venialia, sunt materia sufficiens,* sed non necessaria, *sacramenti Poenitentiae* ».

Aliunde praetermitti nequit quod nuper attigi, nempe probabilius non omnia venialia extra confessionem sola attritione deleri. Cuius rei testimonio sint ista Lugonis: « dicere quod numquam (venialia) remittantur in Sacramento Poenitentiae videtur esse contra sensum fidelium qui ad obtinendum eorum remissionem utuntur remedio frequentis confessionis et per consequens concipiunt illud sacramentum habere aliquam efficaciam in ordine ad expianda ea peccata, esseque medium utile et proportionatum ad eum finem obtinendum et reconciliationem cum Deo. Immo eiusmodi confessiones reconciliationes appellantur, quia nimirum existimant fideles valere ad reconciliandum sibi Deum... valere ad remittendam offensam; reconciliatio est enim formalissima offensae remissio » (30).

Quo argumento motus Ripalda peculiari acuminis sui acie subtiliter arguens non improbabile invenit aliquam dari attritionem qua non omnia extra sacramentum venialia condonentur; aut duplicem dolorem existere, efficacem alterum, alterum inefficacem, quo nullum extra sacramentum veniale remittatur; vel quod in idem fere recidit, binam censet esse posse attritionem, alteram intrinsece efficacem quae sit dolor praeteriti venialis eidem ex natura sua repugnans, quique extra confessionem omnia levia tolleret, alteram extrinsece efficacem quae tantum cum Sacramento illa evellere posset (31); vel fingit denique

(30) Lugo, *De Poen.* disp. IX sect. II n. 29.

(31) Ripalda, *De Ente Supern.* Disp. 97, sect. IV. n. 63 et seq. Ipse duplicem distinguit gradum perfectionis in attritione; alter earum virtutum quae ex motivo intrinseco Deum in obliquo respiciunt, ut sunt religio, oboedientia, iustitia, spes, gratitudo, etc., et alter attritionis quae invenitur in exercitio earum virtutum quae ex motivo extrinseco honestatem a Deo alienam vel saltem ab Ipso abstrahentem respiciunt. Duplicem etiam constituit attritionem extrinsece efficacem; alteram quae exoriri posset ex resistentia conditionata voluntatis peccato veniali, ita ut homo in illis circumstantiis positus in quibus peccavit hic et nunc non peccaret, et alteram extrinsece efficacem absolute ex resistentia vel displicentia qua voluntas veniali re ipsa reluctatur, quodque accidere posset vel per puram omissionem liberam cohibentem consensum in venialia praeterita, quae tamen co-

ut probabilius, quamlibet veram attritionem sive formalem sive virtualem esse profecto dispositionem de congruo ad omnia venialia extra confessionem expellenda sufficientem. Verum tamen re ipsa, de facto, illam non semper talem veniam impetrare; miserens enim Deus pro liberrimo suo arbitrio vel ea presente, ait, interdum remissionem dispensat, interdum vero recusat (32).

Haec, si nihil aliud, evidenter ostendunt quam magno Theologi, Christianorum sensus respicientes, peculiarem Sacramenti Poenitentiae ad venialia expianda excellentiam ac efficaciam aestiment.

Aliud praeter ea notum sacramenti commodum, quod nullum aliud venialium remedium opitulari potest, est spiritus directio et efformatio. Confessarius, si munus suum diligenter perficiet, poenitentem difficiles sanctimoniae christianaeque perfectionis vias edocebit, ei nobilissimos stimulos iniciet, incertum animum aut tentationibus laborantem eriget; ex quibus consequetur copiam aut gravitatem venialium sensim decrescere vel extingui.

Neque temperare possumus, etiamsi nostris temporibus minus opportunum videatur, quin et aliud elementum adducamus quo excelsitas huius venialium confessionis probatur. Erubescentiam dicimus quam omnis confessio includit quamque per historiae decursum ab Ecclesiae doctoribus et magistris laudatam commendatamque videmus uti medium natura sua magno opere aptum quo poenitens

---

gitatione et memoria sunt in mente praesentia, vel per voluntatem absolutam et efficacem in posterum non peccandi.

Iam solum contritioni extrinsece absolute efficaci concedit ipse sufficientiam qua extra confessionem leviorum veniam obtineat. Haec potissimum, ut apparet, de attritione virtuali valent.

(32) Iuxta ipsum Ripalda (opere et loco mox citat.), Deus sua beneficia merito aut dispositioni de congruo annectit vel infallibiliter ex lege constanti, seu ex promissione infallibili tribuendi sua dona tali merito, et hanc legem colligimus ex doctrina Patrum et Conciliorum; vel contingenter et libere absque lege et promissione antecedenti sed ex solo decreto consequenti quod post praevisum opus meritorium suae liberalitati et arbitrio relinquitur, ut accidit cum agitur de dono perseverantiae, de auxiliis efficacibus gratiae, de donis temporalibus.

Hac secunda ratione attritioni, etiamsi perfecta esset, venialium remissio ex opere operantis anexa esset.

peccati maculam effugiat. Sanctus Bellarminus disserens in sua *Controversia de Poenitentia* libro III cap. XII de utilitatibus quas confessio parit, haec habet: « Ille ipse rubor, quem inter confitendum patimur, et pars quaedam est satisfactionis pro admissis et fraenum cohibens ne deinceps talia admittantur. Et denique perexigua confusione, quam coram uno e conservis nostris patimur, dum illi peccata nostra detegimus, redimimus ingentem illam confusionem quam alioqui in die Iudicii, coram omnibus Angelis et hominibus pateremur, quando iuxta Apostolum I Cor. 4 illuminabuntur abscondita tenebrarum et manifestabuntur consilia cordium ».

Antequam huic nostrae dissertationis parti finem imponamus, non est praetermittenda reprobatio a PIO VI data in Constitutione *Auctorem Fidei* eorum quae in Synodo Pistoriensi circa peccati venialis confessionem edita sunt (33): « Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione quam optare se ait, non tanto opere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur huiusmodi confessiones: temeraria perniciosa sanctorum ac piorum praxi a Sacro Concilio Tridentino probatae contraria ».

Hanc igitur censuram aliquantulum perquirere oportet. Imprimis observandum est Pontificis condemnationem in paragraphum vel caput XII decreti de poenitentia a Synodo Pistoriensi approbatum cadere (34).

Synodi Patres, ne dicamus is qui decretum confecit aliosque ad subsignandum adegit, venialium confessionem licitam iudicabant. Immo eam aliquando et laudabilem esse dicebant. Opinionem eorum qui existimabant eam etiam ubi deliberatus sacramenti contemptus abesset, sacrilegii periculo expositam esse « *irregolare* », id est canonibus alienam vocant. Haec enim opinio oriri tantum potuit, aiunt, a quodam inusitato rigore e pessima scho-

(33) Const. Apost. *Auctorem Fidei* 28 augusti 1794, DEN.-BAN. n. 1539.

(34) *Atti e decreti del Concilio Diocesano di Pistoia dell'anno 1786*. Alto Bracali-Pistoia, pag. 151 (Decreto della Penitenza p. 12).

lastica arguendi ratione deducto; persuasum enim sibi habent eminentissimi Patres, eum qui mortalibus commissis caret propriasque imperfectiones Sacerdoti detegit clavibusque subicit actum ponere humilitatis de se laudabilem. Quare intelligere non poterant, ita illi, quo pacto qui in statu gratiae versantur opusque natura sua laudabilem peragunt, sacrilegii crimine commaculentur ea tantum de causa quod venialium quae confiteantur plenissimam animi detestationem concipere non possunt (35). Brevi: Pistorienses venialium confessionem et licitam et de se meritoriam ducebant. Optabant tamen ne nimium frequentaretur, ne nimium contemptibilis redderetur.

At vero et aliam rationem innuunt qua hanc frequentari nollent. Aiunt: « Nos optaremus ne, *iuxta antiquitatis spiritum*, tales confessiones (venialium) tam frequentes essent, ne nimium contemptibiles reddantur ».

Haec ad antiquitatis spiritum provocatio significat-ne Pistorienses synodales credidisse antiquitatem christianam illas confessiones non frequentasse vel potius eamdem optasse etiam ne tam frequentes essent ne nimium contemptibiles, sicut ipsi optabant, redderentur?

Quidquid sit de praxi et de antiquitatis hac in re spiritu et quidquid sit num et Pistorienses antiquitati correspondeant aut minus, Pontifex, his consulto omissis, eorum declarationem simpliciter damnat quatenus se optare aiunt ne venialium confessiones frequententur ea de causa ne nimis contemptibiles efficiantur.

Quinam est ergo sensus propositionis Pistoriensis ut damnatae a Pontifice? Illi explicite asserebant: *a*) se velle venialium confessiones non frequentari; *b*) ne redderentur nimium contemptibiles; implicite ergo affirmabant, vel *c*) repetita frequentatione illas confessiones, de se licitas et meritorias, posse aliquando contemptibiles effici, vel

(35) Haec plenissima peccatorum detestatio est iuxta Pistorienses materia proxima sacramenti Paenitentiae. V. *Atti e decreti del Concilio*: opere et loco citato.

d) de facto tali frequentatione ut plurimum contemptibiles reddi.

Atqui propositio *c*), nempe frequentatione posse aliquando venialium confessiones contemptibiles reddi, absolute spectata, non videtur falsa.

Sed propositio Pistoriensis damnata est ut temeraria perniciosa et sanctorum ac piorum praxi a Sacro Concilio Tridentino probatae contraria. Concilium de venialium confessione disserens, ut attigimus, docuerat « venialia quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat »... (36).

Omnibus igitur bene perpensis, Pius VI docere videtur in sua Pistoriensis erroris proscriptione non tantum confessionem venialium licitam et aliquando laudabilem esse, quod illi vanitatum sectatores admittebant, sed et istarum levium culparum frequentes confessiones esse reipsa et de se bonas, licitas, rectas et utiles; esseque temerarium perniciosum tumque a sanctorum et piorum hominum praxi, tum a Sacri Concilii Tridentini probatione prorsus dissonum optare aut ne eae tantopere simpliciter frequententur, aut ne eae frequententur, quia nimis contemptibiles fieri possunt.

III

Quaenam est Ecclesiae disciplina circa has venialium confessiones? Praescribunturne?

Huius quaestionis solutio ab responsione alii quaestioni danda, an scilicet Ecclesia eas praecipere potest, multum pendet. Quam ob rem ab ea incipiamus oportet.

Quo melius disputatio instituatur, aliqua distinctione opus est. Aliud est quaerere utrum posito Sacramento Poenitentiae a Christo Ecclesiae concredito, haec venialium confessionem praescribere possit quoad specificationem

(36) *S. C. Trid.* sess. XIV c. V. DENZ.-BAN. n. 879.

actus Sacramenti Poenitentiae vel etiam directe, ut illi qui mortalium simul ac venialium conscius est, aut sola venialia habet, necesse sit venialia in confessione accusare ad perfectionem vel substantiam sacramenti, et aliud est quaerere an Ecclesia illam confessionem iubere possit quoad exercitium actus vel indirecte; iubere v. g., ut suscipiatur sacramentum ob aliquam religiosam honestamque rationem, vel ex praesupposito aliquo quod voluntarium consensum et quasi pactum initum cum poenitente includat, ut si ea illi imponatur qui iubilaei indulgentiam lucrari velit, aut qui in seminario vel instituto religioso vitam suam agere exoptat.

Aliud etiam est quaerere num Ecclesia praecipere possit omnium venialium confessionem vel aliquorum tantum, sive in genere sive in specie sumantur.

Porro Ecclesiae potestatem competere venialia materiam confessionis necessariam faciendi negant aliqui inter quos maxime reponendi sunt Soto et Navarro. In hanc sententiam inclinatur Suarez qui quem ad modum illi, existimat Ecclesiam non posse necessariam Poenitentiae materiam efficere id quod Christus liberum reliquit; neque praecipere quod consilii est. Alii vero, inter quos Lugo et Vazquez, quorum sententiam Suarez probabilem iudicat, animadvertentes venialia confiteri nullius fere difficultatis esse, illud admittunt.

Alteram nempe Ecclesiam leviorum confessionem indirecte imponere posse omnes alicuius notae Theologi admittunt, praesertim si de aliquot tantum venialium confessione sive generice sive specifice agatur (37).

Sicut enim, aiunt, Ecclesia statuere et praescribere potest ieiunium aut Communionem aut alia id genus ut valde convenientia finique Ecclesiae apta, ita et venialium confessionem, opus internum-externum, nihil contra naturam aut fines Sacramenti Poenitentiae continentem, ma-

(37) Cf. Suarez, *De Poen.* Disp. XXII, sect. VIII n. 1 seq. De Lugo, *De Poen.* Disp. XV sect. VII n. 129 et seq.

iorem puritatem animique securitatem efficientem ad commune Ecclesiae bonum haud parum conferentem. Quod apodictice dirimit BENEDICTUS XIV in sua *Epistola encyclica Ad confessarios et poenitentiarios pro anno santo 1750 in Urbe designatos* (38): « Quaestio enodanda est illa quae inter theologos agitatur utrum videlicet, cum ad Iubilaei consecutionem confessio praescripta sit, etiam iis qui peccata mortalia non habent sed tantum venialia praescripta intelligatur. Apud SANTARELLUM et in morali SALMANTICENSIUM auctores tum pro affirmativa quam pro negativa parte collectos videre est. Ipsi vero affirmativae opinioni quam quidem tutiorem asserunt adhaerere profitentur. Cardinalis autem DE LUGO ac LEANDER negativam partem sequuntur ea nixi ratione quod quando de Confessione sermo est de mortalium peccatorum Confessione semper intelligatur »....

« Cum vero », paulo post ait, « non desit auctoritas iniungendi confessionem etiam venialium, quemadmodum probe Cardinalis DE LAUREA et CLERICATUS advertunt quod textu pontificis CLEMENTIS V in *Clementina* quae incipit « ne in agro, de statu monachorum », comprobatur, ubi monachis onus saltem in mense confitendi imponit, etiamsi probabiliter posset ac deberet existimari magnam ipsorum partem non nisi venialia peccata habere; cumque etiam certum sit quod dum ad Iubilaei consecutionem facienda praescribuntur opera quae ex natura sua mera consilii opera ac praetererogatoria essent, velut exempli gratia, ieiunium per aliquot dies ab Ecclesiastico praecepto non praescriptos, sive devota basilicarum visitatio, quemadmodum in praesenti Anni Sancti Iubilaei fit; *praescribi etiam venialium Confessio iis potest qui mortalia non habent* etiamsi extra huius modi circumstantias atque in abstracto loquendo peccata venialia confitendi obligatio non adesset ».

---

(38) BENEDICTUS XIV, *Inter praeteritos*, 3 dec. 1749, *Benedicti XIV opera omnia*, T. XVII, § 77, pag. 187.

Nunc, ne quis de eius mente dubitare possit, Pontifex sua facit verba Benzonii quae rem nostram, procul omni dubio, declarant. « Posset autem Papa, si vellet, expressis verbis iniungere ut qui indulgentia consequi vellet, venialia peccata confiteretur, sicut iniungit alia opera supererogationis; neque tamen hoc esset facere venialia materiam necessariam confessionis, sed cum alias venialia sint congrua materia confessionis, illam quoque exigeret, si vellet, in acquisitione indulgentiae ».

Liquet igitur posse Ecclesiam venialium confessionem praecipere, saltem indirecte et quoad exercitium poenitentiae Sacramenti. Immo probabilius et directe et quoad substantiam actus, eo sensu, quod praecepto suo actum externum-internum, ut est confessio, actum insuper sat facilem multisque de causis Ecclesiae bono convenientem, necessarium faceret. Numquid Ecclesia potestate caret aliquos actus de se liberos nulloque modo ex Christi mandato aut natura sua ad salutem necessarios imponere eosque ratione praecepti verae necessitatis reddere? (39).

Restat ut ad quaestionis propositae solutionem veniamus. Praescribit Ecclesia venialium confessionem necne?

Est canon C. I. C. 125 in quo locorum Ordinarii iubentur curare ut clerici omnes poenitentiae sacramento frequenter, bis in mense, ut canonistae interpretantur, conscientiae maculas eluant. Est et canon 595 § 1, n. 3 quo religiosi superiores providere debent ut omnes religiosi semel saltem in hebdomoda ad illud sacramentum accedant. His adde canonem 1367 n. 2 ad cuius normam praecipitur ut episcopi curent ut semel saltem in hebdomoda seminarii alumni sacramentum Paenitentiae suscipiant.

Perspicuum est laudatos canones in Ordinarios Superioresque ferri. Tamen negabit nemo eos ad apicem iuris posse ut propriae obligationi satisfaciant decreta vel le-

(39) Confer Salmanticenses, *De Poen.* Pars II, Disput. VIII, Dist. II. Ipsi quamvis Ecclesiae potestatem negent mortalium confessionem praecipere, si a Christo Domino non esset iussa, admittunt tamen illam posse simpliciter venialium confessionem instituere.

ges edicere quibus illi quos citati canones contemplantur ad illam frequentem confessionem adigantur. Nisi quis vel praesumere audeat clericos religiososque in peccatis immersos, vel eos magnos peccatores suspicetur, fateatur oportet Ecclesiam illis canonibus indirecte seu mediate huic dilectae suae gregis portioni frequentem venialium confessionem praescribere.

Conferantur quaeso canones citati cum canone 586 § 2 n. 4 in quo; « quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius ad quem omnes *accedant saltem benedictionem recepturi* ».

Agitur ergo in illis canonibus de confessione quam sacerdotalis absolutio consequatur. Nullum ergo est effugium. Ecclesia mediate vel indirecte confessionem venialium praecipit. Nec dicas illis forse mortalium antea directe clavibus subiectorum confessionem praescribi. Re quidem vera multi sunt clerici religiosi et religiosae qui nullum mortale, Dei gratia, in vita sua commiserunt.

Praeterea obligatio venialium confitendi, si non indirecte praecipitur, re suadetur in plurimarum indulgentiarum plenariarum indictione quas ad lucrandas, inter alia, et sacramentalis commissorum confessio requiritur. Perpendatur, quaeso, paragraphus tertia canonis 931: « Christi fideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere, aut sanctam communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei ».

Iterum confessio solorum venialium praescribitur in iubilaeorum concessionibus. Ita in novissimo iubilaeo anni sancti 1933-1934 a SS. D. N. Pio Pp. XI concesso: « Omnibus utriusque sexus christifidelibus qui rite per Sacra-

mentum Poenitentiae expiati... plenissimam totius veniam poenae quam pro peccatis luere debent indulgentiam in Domino concedimus atque impertimur, obtenta prius ab eisdem admissorum cuiusque suorum remissione ac venia » (40).

Cuius rei explanationem in simili huic iussione iubilaeo anni sancti 1750 a Benedicto xiv facta inveniemus: « Omnbus utriusque sexus fidelibus vere poenitentibus et confessis ... plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam misericorditer in Domino concedimus et impertimur » (41). « Cum confessio sacramentalis in hoc iubilaeo sit opus iniunctum, peragenda eadem duximus ab eo qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc iubilaeum lucrari velit » (42).

Reliquum est ut difficultates quae contra ista moveri possent confutemus. Dixeris: frequentem venialium confessionem imponere, est ingenti onere tum fideles tum vel maxime confessarios gravare.

Verum quod ad fideles attinet, magna eorum pars qui quotidie Eucharistia reficiuntur talem confessionem frequentant nec ullo modo oppressi videntur; quare nec pondere irretiti dici possent ii quibus Ecclesia prudenti sua agendi ratione talem confessionem praescriberet.

Quoad confessarios, eorum onus esset quidem invincibile dicendum si Ecclesia *confessionem frequentem*, v. g., quae deberet bis in mense fieri, *omnibus* indiscriminatim fidelibus et *quin confessariorum numerus augeretur* iniungeret. At vero haec oportunitatem maiorem vel minorem illam praescribendi attingunt propterea quod rem ex causis omnino a rei natura alienis impedirent. Cur tamen supponendum est Deum, si talis frequens confessio praeciperetur, non provisurum ut pro iis qui Ecclesiae prae-

(40) Pius XI, Const. *Quod nuper*, AAS 30 ian. 1933, v. XXIV, p. 5.
(41) Benedictus XIV, Const. *Peregrinantes in Domino*, *Oper. omn.*, T. XVII, p. 108.
(42) Benedictus XIV, Const. *Convocatis*, 6 dec. 1749, *Oper. omn.*, T. XVII, p. 158.

cepto obtemperarent sufficiens esset confessariorum numerus inter quos onus distribueretur?

Alia difficultas ex antiqua Ecclesiae praxi effodi posset.

Primum, certo probandum esset et accurate delineandum quid Ecclesia antiqua in venialium confessione egit. Nemo praeterea sine veritatis deturpatione contendet Ecclesiam nostrorum temporum adeo circumscribi debere antiquae Ecclesiae agendi rationibus ut nobis nihil ab illis diversum peragere liceat.

Neque enim antiquum idem significat ac optimum, neque Ecclesia institutum aliquod archeologicum est, sed corpus Christi mystici vivum quod idem manens crescit et perficitur et novis necessitatibus remediis novis succurrit.

Meminisse iuvat sollerterque animo reputare istam Sancti Ignatii auream regulam: « laudare confessionem quae fit sacerdoti, et susceptionem Sanctissimi Sacramenti semel in anno, et multo magis quovis mense, et multo melius octavo quoque die cum conditionibus requisitis ac debitis » (43).

Haec si in praxim deducerentur tanta animi puritas et vitae sanctimonia in Ecclesia efloresceret ut procul dubio satis superque sacerdotales vocationes enascerentur quae sufficientes essent ad confessiones quaslibet audiendas, etiamsi Ecclesia venialium confessionem pro prudentissimo suo iudicio necessariam instituerit.

MICHAEL A SANCTIS FABREGAS, S. I.

---

(43) *Regulae ad sentiendum cum Ecclesia*, Regula 2 (*Exercitia spiritualia S. P. Ignatii de Loyola*, Marietti, Taurini - Romae 1928, n. 354).

De Constitutione S. Pii Papae V *Romani Pontificis* (3 Augusti 1571)

(Canonis 1125)

III

Constitutio « Romani Pontificis » in Sacrarum Romanarum Congregationum Iurisprudentia.

Saec. XVII et deinceps usque ad Codicem tres Congregationes Romanae, scil. Sacra Congregatio S. Officii (SO), Sacra Congregatio Concilii (CC) et Sacra Congregatio de Propaganda Fide (PF), cumulativam in rebus matrimonialibus exercebant iurisdictionem. Paulatim tamen ea quae circa privilegium Paulinum et matrimonii impedimenta disparitatis cultus versantur, S. Officio adiudicabantur, et tandem aliquando can. 247, § 3 ei exclusivam hisce in rebus tribuit competentiam. Interim vero quaestiones quae nostram spectarent constitutionem, iure poterant in unaquaque ex illis tribus congregationibus tractari. Inde inquisitio nostra in earumdem praxi et sententiis, in quantum utique spectant const. *Romani Pontificis.*

I. *Sacra Congregatio Sancti Officii.*

Finis et scopus huius Congregationis, quae est « tamquam firmissimum catholicae fidei propugnaculum », est tueri integritatem fidei et puritatem morum. Inde eius tendentia est potius conservativa, tutioresque partes spectans.

Sua acta et decisiones vel responsa SO generaliter publici iuris non facit, sed ad quos spectant directe transmittit. Tabularia eius nobis non patent nec sunt harum decisionum collectiones authenticae, ne privatae quidem, plus minus completae [67]. Permulta tamen ex eius de-

(67) In Bibl. Casanat. de Urbe asservatur Ms (2631) absque compilatoris nomine: *Collectio Decretorum Responsorumque S. Officii,*

cretis, responsis et rescriptis reperiuntur in variis collectionibus ad usum missionariorum factis ex archivio PF (68). Quas inter commoditate eminent *Collectanea S. Congregationis De Propaganda Fide* anno 1893 in lucem edita, quippe quae ordine logico decreta, instructiones et rescripta disponant. Quapropter ea libentius usurpamus atque ex iis semper citamus, nisi aliter notetur.

Cum graves ortae essent de regimine civili et ecclesiastico quaestiones in Insulis Philippinis, R. D. Salazar O. P. earumdem episcopus et regii praefecti ad Philippum II et ad Summum Pontificem allegaverunt Alphonsum Sanchez, S. J. (1547-1593). Qui per novam Hispaniam ubi primum missionarius advenerat, petivit patriam. Negotiis sibi commissis apud regem feliciter peractis, anno 1588 reversus est Romam. Sixtus V eum benigne recepit et eius negotia ad S. Congregationem Inquisitionis commisit. Apud quam multum disputatum est super quaestionibus a Sanchez propositis et quandoque ipse Papa deliberationibus interveniebat (69).

Una ex gravissimis quaestionibus agitatis erat de matrimoniis Philippinorum. Cupiebant enim idem episco-

---

ut plurimum ex auctoribus desumptorum. Quo ex opere multa sunt per partes typis impressa in *Analecta Ecclesiastica* a iul. 1894 ad nov. 1896

(68) Plures sunt huiusmodi collectiones:

a) *Decreta, Resolutiones, et Instructiones SS. Congregationum super Missionibus et Missionariis Apostolicis, Collecta iussu SS.mi D. N. PP. Benedicti XIV*, Ms. in 6 vol.; 2 exemplaria, quorum alterum, originale, servatur apud SO; alterum, transcriptum, in archivio PF; sunt lacunae in vol. 1 exemplaris PF.

b) *Collectanea constitutionum, decretorum... S. Sedis ad usum operariorum apostolicorum Societatis Missionum ad Exteras Gentes*, Parisiis, 1880, ad cuius exemplar confecta sunt:

c) *Collectanea S. Congregationis de Prop. Fide... pro Apostolicis Missionibus*, 1893; sed plura continens documenta pro scopo suo generali;

d) Eius sic dicta ed. 2, quae destruit rationem prioris ed., inquantum derelinquens ordinem logicum, disponit decreta, instructiones, etc. ordine chronologico faciliori. Melius fuisset, si editor incognitus hanc collectionem alio nomine vocasset;

e) *Iuris Pontificii de Prop. Fide*, Pars secunda, complectens Decreta, Instructiones Encyclicas Literas, etc. ab eadem Congregatione lata - Romae 1909. Continet et decreta et resolutiones SO.

(69) Colin-Pastells: *Labor Evangelica*, lib. II, cap. 7, p. 332; cap. 20; p. 473.

pus et ministri omnes « per apostolicam dispensationem dissolvi matrimonium cum prima uxore, ut possit vir conversus ducere seu retinere quam malit: idque propter tam magnas difficultates redeundi ad primam, ut haec obligatio christianum nomen infamet apud eas gentes, sitque maximum conversionis obstaculum » (70).

Sed habetne Pontifex hanc potestatem? En cardinem quaestionis. In utroque sensu, affirmativo scil. et negativo, scripserunt doctissimi viri religiosi et saeculares; et ipse Sanchez longam exaravit lucubrationem, SO porrigendam, in qua esse « matrimonia infidelium, quamvis consummata, per apostolicam dispensationem dissolubilia, probatur tum auctoritatibus tum rationibus gravissimis ». Et sub fine haec habet:

« Tandem, ne acta agere videamur, in matrimoniis consummatis infidelium ad fidem conversorum iam dispensarunt duo Pontifices Pius v et Gregorius xiii » (71).

« Convenerunt in hanc sententiam, quam scriptis etiam quibusdam rationibus munierunt » decem professores Collegii Romani, quos inter erat et S. Robertus Bellarminus.

Tribus saeculis post, documentum hoc fuit in archivio PF inventum et evulgatum a Zitelli. Cum tam sero in lucem prodiisset, nullum valuit exercere influxum in fata huius quaestionis, opinionibus iam pridem clare efformatis; et Wernz ipse eius valorem deprimere non dubitavit (72).

Aliquid peius: notitia de hac controversia et praesertim de eius exitu a Vasquez inaccurate tradita et ab aliis absque haesitatione recepta adversas non parum roboravit partes.

Disputans de institutione matrimonii in sacramentum, revocat ad crisim Vasquez argumentum ex locis Scriptu-

(70) Zitelli, *De Disp. Matr.* p. 183.
(71) Zitelli: *De Dispens. Matrim.* p. 196.
(72) Wernz: *Ius Decr.*, t. IV, p. 705, nota 94. Wernz-Vidal: *Ius Matrim.*, p. 770, not. 89.

rae generatim hac in re afferri solitis confectum. Ex eo quod matrimonium dicatur signum coniunctionis Christi et Ecclesiae in *Eph.* 5, 32, concluserant quidam theologi Paulum hoc in loco docere matrimonium conferre gratiam. Quam exegesim reiicit Vasquez ut nimis probantem, quia habet etiam « infidelium matrimonium, quidquid necessarium est, ut sit signum coniunctionis Christi et Ecclesiae, idque usque adeo verum est, ut sine nota aliqua negari non posse censeam » (73).

Sed subito recordatur aliorum adversariorum, qui ex defectu signi coniunctionis Christi et Ecclesiae deduxerunt conclusionem non minus reprobandam. Quos nunc castigare pergit:

« Haec omnia dixerim contra praedictos Theologos, eo quod non solum eorum doctrinam hac in parte falsam existimem, sed etiam multo magis aliam, quam ex hac deducere non dubitarunt, videlicet matrimonium ratum et consummatum infidelium, cum ad fidem convertuntur, dissolvi posse auctoritate Pontificis, eo quod non sit signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, id quod anno Domini 1588, cum ego Romae essem, a summo Pontifice Sixto v obtinere pro viribus contenderunt, sed repulsam passi sunt, in quorum sententiam nunquam subscribere volui, sed de hoc infra ex professo dicemus ».

Quod non subscripserat cantans fortissime extra chorum fratrum suorum est verissimum; desideratur enim eius nomen inter nomina professorum Collegii Romani, qui convenerunt in sententiam Al. Sanchez, quosque is recenset sub fine suae dissertationis. Quod autem ipsi repulsam passi sint, non est omnino verum (74).

Hic quaedam facta historica in mentem revocanda sunt. Sixtus v e vivis decessit antequam negotiis Sanchez finem imponeret. Tres eius immediati successores: Urbanus vii, Gregorius xiv, et Innocentius ix summum pontificatum per

(73) Vasquez: *Tract. de Sacr. Matrim.*, disp. II, cap. 6, n. 58.

(74) Vid. Zitelli: *De Dispens. Matrim. Commentarii*: p. 197. In exemplari autem huius dissertationis in archivio S. I. (Opp. NN. 158, De Lugo, *Collect. Tract. Moral*, f. 114-120) asservato, habetur et nomen Vasquez. Hoc mendum amanuensi tribuendum esse videtur.

breve tenuerunt, 15 dies unus, 22 menses alter, unum fere annum tertius. Cum Clemens VIII sacrum obtinuisset principatum, quaedam adhuc pendebant negotia.

Sanchez ergo confecit regestum memorialium vel scriptorum ad S. Sedem datorum idque obtulit Pontifici ut posset hic diiudicare de quo ageretur aut quid actum esset. Loquens de uno memoriali quod a Papa et Cardinalibus rogatus exaraverat, de matrimoniis Philippinorum dicit se in eo tractasse de eorum valore et indissolubilitate; memorat alios quoque doctores in eamdem quaestionem scripsisse et ipsos Eminentissimos Dominos in varias abiisse sententias; de exitu vero disceptationis ait:

« y al fin los mas, o casi todos convinieron en que en ciertos casos, y con ciertas circumstancias se podria dispensar, y que se siga un Breve de Pio Quinto, que lo determina, diziendo, que el Indio se quede con la muger con que se viene a bautizar, aunque aya tenido otras, y no sea aquella la primera » (75).

In alio documento, pariter eidem Cardinalium coetui oblato, dicit facultatem fuisse petitam dispensandi a monitione facienda ad primam coniugem, et se exposuisse necessitatem et utilitates magnas quae ex hac facultate provenire essent pro conscientiae pace missionariorum et ad vitandas discordias inter ipsos populos et odium contra Ecclesiam, eiusque leges sanctas:

« supuesto que su Santidad puede dispensar los dichos matrimonios naturales; que por no ser Sacramento, ni significar la union inseparable del Verbo con la humanidad, ni de Christo con la Iglesia, y por esso no ratos, no son omnino indissolubles ».

En verba et argumentum quod provocavit indignationem Vasquez! Sed quid respondit S. Sedes?

« Llevase otro breve en que se dispensa con el Indio, o negro, que comodamente no puede amonestar a la muger por la

(75) COLIN-PASTELLS: *Labor Evangelica*, t. I, lib. II. cap. 24, p. 538.

mucha distancia, o otro impedimento, para que el tal se pueda casar con otra, y aunque luego venga la primera, el matrimonio sea valido, y los hijos legitimos ».

Ergo adversarii Vasquez non omnimodam passi sunt repulsam, sed partialem tantum. Dico partialem, quia videntur petiisse facultatem relinquendi conversum cum muliere quacum batizatus sit, in omni casu. In hoc certe passi sunt repulsam, cum talis facultas generalis fuit denegata. Concessa tamen est facultas pro quibusdam casibus sub certis conditionibus, quae determinantur in ipsis litteris pontificiis.

Verba Sanchez miram accipiunt confirmationem ex litteris regis Hispaniae die 4 Dec. 1597 ad suum legatum in Urbe datis. In quibus eum iubet rex mittere sibi exemplaria constitutionum Pii v et Gregorii xiii nominatim *Romani Pontificis* et *Populis ac Nationibus*, ut eas traderet episcopis in insulas Philippinas proficiscentibus (76).

Ex praedictis omnibus hae colliguntur conclusiones:

1) Coetum cardinalium seu SO agnovisse Summo Pontifici potestatem solvendi matrimonia in infidelitate consummata;

2) Hanc potestatem fuisse in praxim deductam a Pio v signanter in const. *Romani Pontificis*, vi cuius conversus permanere valeat cum coniuge quacum baptizatus sit;

3) In Const. Gregorii xiii agi de diversa re, et aliam concedi facultatem, scil. dispensandi a monitione facienda ad primam coniugem.

Haec omnia paulatim oblivioni data sunt.

Die 17 Jul. 1660, R. D. Franciscus Pallu, Ep. Heliopolis, Vicarius Ap. Tunchini, proposuit SO undecim dubia circa matrimonia Iaponum. Quorum tertium sic se habet:

« Quaeritur 3. Si gentilis adhuc vivente uxore post unum vel plura repudia facta, cum altera uxore bona fide ad Baptismum accederet, ita tamen quod si admoneas, potius Baptismum,

(76) Archivium: *Ambass. Hispan.*: Capsa (Leg.) 7, f. 246.

quam uxorem dimittat, utrum talis ad Baptismum admitti possit supposito quod si eiusmodi homines non admittantur maiori adultorum parti, qui cum hoc impedimento accedunt, salvationis ianua erit omnino clausa » (77).

Novem annis post, die 17 Iul. 1669, SO resp.:

« Ad secundum et tertium ut ad primum ».

Primum autem dubium versabatur circa valorem matrimonii polygamorum; et respondit SO:

« Ad primum, non expedire ut res definiatur, sed tradantur deinceps missionariis una cum facultatibus solitis, copiae Brevium s. mem. Pii v, et Greg. XIII, quae habentur in alio Brevi s. mem. Pauli v die XI mai. 1616 et in aliis casibus recurrant ad Sed. Apost. » (78).

Liceat observare non omnia esse accurate dicta in hoc responso: Primo, PAULI V Breve fuisse datum non die XI (11), sed die 2 (II), ut recte habetur in APF (79); quod mendum amanuensi tribuendum est. Secundo, illud Breve non continere nisi Breve GREG. XIII, quod Iaponiae conceditur ad quindecim annos. Hoc etiam mendum amanuensi tribui posse non videtur, cum et APF eodem modo loquantur. An iam coeptum est Breve PII V confundi et identificari cum Brevi GREGORII XIII?

Utrum vi huius responsi PF statim inceperit tradere missionariis unum PAULI V Breve tantum ut continens alia duo, an tria simul, non constat. Si primum, PII V constitutio omnibus iure danda nemini de facto data esset; quod non parum explicaret factum cur textus eius tam rarus fuerit, et eius identificationem cum constitutione GREGORII XIII, quam supra apud auctores detegimus (80).

---

(77) APF: 1670, vol. 39, f. 90 = DB, t. I, f. 223 = PF, p. II, cap. 305; quod summarie tantum proponit hoc dubium = *Constitutiones Ap. Brevia, Decreta,* etc. *pro Missionibus Sinarum....* P. II, p. 46.

(78) DB, t. I, f. 225: IPF, P. II, cap. 305.

(79) APF, 1670, vol. 39, f. 90.

(80) Saltem Missionarii in Oriente Societatis Missionum ad Exteros recepisse videntur constitutionem S. Pii V, cum hanc imprimerent anno 1676 inter *Constitutiones Ap. Brevia... ad usum... Episcoporum... in Orientem missorum.*

Supposito hoc Breve fuisse missionariis datum, haec de eius sensu erui possunt: Facultates quas iam habuerant Ordinarii loci, quasi inter una erat hodierna facul. 24 F.T.M., non suffecisse ad occurrendum casui in dubio tertio expresso; ex facultatibus nunc concessis, Gregorii xiii Breve non facere ad casum, cum non ageretur de difficultate inveniendi vel monendi primam coniugem. Restat ergo Breve Pii v vi cuius poterat ad baptismum admitti gentilis cum secunda uxore a qua difficillimum erat eum separare et prima uxor nota esse supponitur.

His non obstantibus, saeculo xix, ad simillimos casus SO vel dedit solutionem iuxta privilegium Paulinum vel petitam facultatem relinquendi conversum cum secunda uxore recusavit; sed nullam fecit mentionem de Brevi Pii v.

Sic, ad *Vicarium Ap. Cocincinae Orient.* qui petierat ut sibi impetraretur a SSmo. D. N. facultas dispensandi ab interpellatione, etiam quando una pars nullo modo adduci posset, cum altera rediret, SO R.: Negative (81). *Vicario Ap. Natalensi* in simili casu praescripsit meram proceduram privilegii Paulini et strictam exegit rationem rei gestae (82). Ad dubium a *Vicario Ap. ad Gallas* expressum, quod nimirum vir polygamus non vellet primam recipere uxorem; « an hac una de causa negandus ei sit absolute baptismus, quem ipse sincere desiderat, etiam eo casu quo ex eius conversione sperari probabiliter posset multorum aliorum conversio », dedit solitum responsum et adiunxit quasdam animadversiones Pontium valde redolentes. Noluit admittere illum sincero animo desiderare baptismum, « quandoquidem voluntas persistendi in peccato conciliari nequeat cum sincero conversionis et baptismi desiderio. Absurdum autem est quaerere an saltem ob speratam multorum aliorum conversionem baptizari possit, monente per

(81) CPF, n. 1348, (6 Aug. 1856).
(82) CPF, n. 1353, vii (11 Jul. 1866).

Apostolum Paulum Spirito Sancto non esse facienda mala ut eveniant bona »! (83).

Multo durius est responsum quod *Vicarius Ap. Iaponiae* accepit ad dubium illi simile quod eius praedecessor duobus saeculis antea proposuerat. Ut notum est, saec. XIX multi christifideles fuerunt in Iaponia mirabiliter inventi. Destituti omni pastore per tam longum tempus omnem errorem in fide et moribus evitare non poterant: mos divortii invaluerat; forma baptismi fuerat hinc inde mutilata vel adulterata, ita ut non pauci invenirentur invalide baptizati. Qui, si post baptismum compellerentur ad primam coniugem redire, ex tot et tantis in familiis mutationibus gravissima incommoda oriri videbantur. Quapropter sollicitudine pro grege sua permotus Vicarius Ap. toto corde et affectu, suppliciter et humillime rogavit atque obtestatus est Papam « ut pretiosae necnon persecutionibus, martyrum numero et fortitudine, tandem mira conservatione illustris Iaponensis Ecclesiae saluti misericorditer consulens », facultate sua, quam superius probaverat ex S. Alphonso, « matrimonia ante Baptismum consummata solvendi uti. ac secundam et illegitimam unionem validare » dignaretur.

Cui SO respondit: « ad dispensationem prouti petitur non concedi » (84). Multum interesset scire quid praedictus Vicarius Ap. post hoc repusum fecisset vel quomodo istas difficultates solvisset.

Vix 4 annis post, ad quaesitum utrum Titius cum secunda uxore baptizatus, quamvis prima, quae in servitutem fuerat vendita, vellet et cohabitare et converti, posset sic remanere coniunctus, SO resp.: « Iuxta exposita, in casu de quo agitur, quatenus prima uxor adhuc in infidelitate permaneat, permitti posse Titio ut legitimo matrimonio cum secunda muliere coniungatur ».

---

(83) CPF. n. 1354. 2 (20 Jun. 1866).
(84) IPF, P. II, n. 1087 (11 Mart. 1868); CPF, n. 1299.

Sed ambo sunt iam baptizati et secunda uxor « renovato consensu, iam cum illo vixit »! (85)

Clarior est casus quem refert card. Gasparri. Eadem SO concessit die 23 maii 1894 *Praefecto Ap. Moroquiensi* facultatem baptizandi atque in matrimonio iungendi Iudaeum quemdam nomine Isaac cum Antonia, muliere catholica quacum diu in concubinatu vixerat, repudiata prima uxore, quae iampridem christiana facta erat et adhuc innupta perseverabat (86).

Quo responso ignorato, auctores adhuc pergebant confidenter asserendo atque probando ex ipsis responsis SO Papam non posse solvere matrimonia in infidelitate consummata. Haec ignorantia ipsa illis vitio minime vertatur, cum responsa SO generaliter in lucem non edantur. Cuius tamen facti memores ipsi non debuissent argumenta efformare ex quibusdam hinc inde notis responsis.

Haec sufficiant de responsis ad casus qui videntur similes casui de quo in const. *Romani Pontificis*. Aggrediamur nunc videre quid ipsa SO dixerit, cum explicite de ista constitutione interpellata fuisset.

Die 8 Iun. 1836, *Archiep. Quebecensis* petiit a SO facultatem cuius tenore « infidelibus plures uxores habentibus, et converti desiderantibus, permittatur ut quam ex illis maluerint (uxoribus) (quae ordinarie inter alias iunior est) eligant, ad illam etiam converti volentem, in matrimonium iuxta regulas Ecclesiae ducendam sine obligatione primae eligendae ».

Et in exemplum adducit Breve Pianum his verbis:

« Haec autem desiderata concessio refertur ad Decretum S. Pii V... quo declaratur: Indi... in futurum baptizandi cum uxore quae cum ipsis fuerit baptizata remanere valeant, tanquam cum uxore legitima, aliis dimissis. In hoc enim Decreto nulla fit mentio de prima in legitimam uxorem suscipienda, sed tantum de ea quae cum illis fuerit baptizanda... ».

---

(85) CPF n. 1356 (22 Nov. 1871).
(86) GASPARRI: *Tract. Canon. de Matrim.* Vol. II, n. 1163.

Cui petitioni SO sic respondit:

« Rebus omnibus circa controversiam hanc (quae controversia? Circa facultatem petitam an circa sensum Brevis?) mature perpensis » distinguendos esse casus censuit. Quando nullum existit matrimonium validum, evidenter nullum, facessit negotium. Quando autem dubium non est de vero inito matrimonio, censuit SO polygamum « post conversionem suam debere primam uxorem retinere, si et ipsa Baptismum suscipiat, vel saltem habitare cum illo assentiatur absque iniuria Creatoris » (87).

Hoc omne est ius commune; de quo nullum habuit orator ipse dubium, sed petiit facultatem contra hoc ius. Quam facultatem SO tacite recusavit et ne verbum quidem dixit de Brevi Pii v nec habuit rationem in responso de facultate n. 11 in precibus memorata.

Die 4 Iul. 1855 *Vic. Ap. Siamensis* inter alia proposuit hoc dubium et directe appellat ad const. Pii v: « Si neophytus in infidelitate plures uxores habuit successive, quas repudiavit, illa autem, quam in actu conversionis retinet, consentit converti ad fidem, neophytus potestne coniungi cum ipsa, quin prima interpelletur iuxta Decretum a Pio v pro Indis sub die 2 Augusti 1571? » (88).

SO dixit: « Respondendum esse per S. Congr. de Prop. Fide R. P. D. Vic. Ap. Siamensi iuxta adnexam instructionem ». Quid autem PF responderit ad singula quaesita nescimus. Adnexa instructio SO vero silentio praeterit hanc directam interpellationem de Brevi S. Pii v, quamvis loquatur de Brevi Greg. xiii et de Synodo Sutchuensi.

Demum venit memoranda responsio qua SO rumpit silentium habituale et propositae quaestioni directe respondit. Item Vic. Ap. Siamensis misit ad S. Sedem casus aliquos polygamicos, adnexis duobus quaesitis. Quorum quaesitorum prius est hoc:

« An potestate a Pio v universe concessa per Breve quod incipit: Romani Pontificis uti possint missionarii in tota sua latitudine ».

(87) CPF n. 1332.
(88) CPF n. 1344, IV (4 iul. 1855).

Cui quaesito, die 22 Nov. 1871, SO respondit:

« Breve s. m. Pii v spectare ad casum in quo prima uxor legitima nota non sit, simulque sit difficillimum eam reperire; in eius vero usu servandam esse regulam ab eiusdem successore Gregorio XIII praescriptam, hoc est ut, antequam neophytus cum alia muliere quae simul cum eo baptizata est matrimonio iungatur, per summarium et extraiudicialem processum constare debeat difficillimum reapse esse primam uxorem reperire » (89).

Quo de responso erit sermo infra (90).

Antequam tamen ad CC gressum faciamus, liceat ea exprimere quae in mente lectoris non poterant non exsurgere, dum praedicta legeret. Episcopi et animarum rectores ex toto orbe terrarum, sua sponte tribuunt Romano Pontifici potestatem dissolvendi matrimonia in infidelitate consummata. Quod cum iam non esset in iure definitum, eum deprecantur ut hac potestate uti dignetur in favorem polygamorum ut et hi in gregem Christi recipi possint (91).

SO vero hanc potestatem nonnisi sub fine saec. XIX admittere atque in praxim deducere ausa est. Interim autem omnes casus ad privilegium Paulinum reducere et per id solvere conatum est; quos vero hoc pacto solvere evidenter non poterat, aut insolutos reliquit aut petitam facultatem simpliciter negavit. Immo matrimonia infidelium alia ratione quam per privilegium Paulinum solvi posse saltem bis negavit (92). Nec ad Pontificum oracula quae declarant illa connubia esse solubilia satis attendit (93). Quapropter

(89) CPF, n. 1356.

(90) Vide Partem V paulo ante medium.

(91) Praeter locos supra citatos, vide supplicem libellum Cardinalis de Lugo ad Urbanum VIII nomine missionariorum Paraguariae porrectum, apud BALLERINI-PALMIERI: *Opus Thel. Moral.* vol. VI, n. 452.

(92) CPF, n. 1353 ad VIII (11 Jul. 1866): Matrimonium etiam in infidelitate contractum natura sua est indissolubile, et tum solum quoad vinculum dissolvi potest virtute privilegii... per Apostolum Paulum promulgati...» — SS.mus confirmavit».

n. 1354 (20 Jun. 1866), R. «... Uno tantum casu... liberum fit polygamo... converso vinculum coniugale... quando nimirum locus esse potest privilegio... a Christo Domino concesso et a Paulo Apostolo promulgato...».

(93) Iam Innocentius III dixerat infidelium matrimonia esse solubilia, fidelium vero non: « Nam etsi matrimonium verum quidem

vim verborum et sensum obvium Brevis S. Pii v agnoscere reluctatum est, et in ultimo responso supra laudato ita illud restrinxit ut parum usui esset missionariis, ut animadvertit P. Michel (94).

II. *Sacra Congregatio Concilii.*

Sacra Tridentina Synodus Oecumenica fuit ad finem feliciter perducta anno 1563 eiusque acta sequenti anno fuerunt promulgata. Ut planum est, non omnia eius decreta et definitiones omnibus erant clara. Opus erat proinde ad confusionem evitandam atque uniformem disciplinam inducendam authentica declaratione vel explicatione decisorum ac disciplinae noviter statutae aut instauratae. Quod negotium commisit Pius iv primitus speciali coetui octo Cardinalium qui nuncupatus est deinceps Sacra Congregatio de interpretatione Concilii Tridentini seu brevius *Sacra Congregatio Concilii.* Quae proinde totam disciplinam tridentinam sola moderabatur; iure vero CIC ei solum « ea pars negotiorum est commissa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur » (c. 250).

Concilium Tridentinum, ut notum est, renovavit disciplinam perantiquam celebrandi concilia provincialia « pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis » quo-

---

inter infideles existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum quidem et ratum existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur; sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perdurat ». c. 7, X, de divortiis, IV, 19.

Greg. XIII vero hoc idem clarius affirmavit atque in praxim deduxit: « Nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint... » — « Populis ac Nationibus ».

Quae verba repetunt, cum eamdem facultatem ad Iaponiam extendunt tum Paulus V, 2 maii 1616, tum Urbanus VIII, 20 oct. 1626, in suis Brevibus eiusdem tituli *Romanus Pontifex.*

Benedictus XIV tamen in sua celebri const. *In Suprema,* 16 Jan. 1745 data, qua facultatem Brevi Gregoriano contentam concessit Nuntio suo apud Venetos, illa verba omisit.

(94) *Questions Pratiques sur le Mariage dans les Missions,* n. 78, p. 102.

libet saltem triennio (95). CC ergo erat urgere huius regulae observantiam atque acta et decreta conciliorum provincialium revisere ac approbare.

Cui obligationi triennalis celebrationis concilii cum satisfacere non potuisset Provincia Civitatis Regum seu Limana obtinuit pontificiam dispensationem illud nonnisi sexto quoque anno celebrandi. Itaque *Concilium Provinciale Limanum Primum* (96) fuit a S. Toribio, archiepiscopo Regum anno 1582 convocatum, ac sequenti anno absolutum et nonnisi anno 1588 a S. Sede approbatum.

Quod Concilium summarium aliquod privilegiorum et facultatum Indorum et praesulum Indiarum per Pontifices Romanos concessarum confecit ac die 14 Oct. 1583 decrevit et iussit ut adiungeretur catechismo (97), ad hoc ut parochi caeteraeque personae ad quas pertineret, haberent notitiam eorumdem privilegiorum et facultatum, illisque gauderent in forma et modo, quibus per Sanctam Sedem apostolicam ordinatum erat.

Quod summarium privilegiorum continet 14 capitula, quorum quintum sic se habet:

« Quae uxor ex pluribus retinenda.

PIUS V

Concedit, quod Indi ad Fidem conversi, qui in sua infidelitate plures habebant uxores, eam pro legitima retineant, et cum ea contrahant, quae simul cum ipsis ad Fidem conversa

---

(95) Conc. Trid., sess. XXIV, de ref., c. 2.

(96) Ratione temporis haec non est prima synodus Limana. Nam, ut videre est ex Actione 2a, cap. 1. Prima Lim. Congregatio adunata fuit an. 1553, sed eius acta decretaque omnia per praesentem synodum abrogantur « quia in eis et legitima auctoritas desideratur (nullus enim adfuerat Episcopus) et pleraque melius postea disposita sunt ».

E contra suscipiuntur constituta per Conc. Lim. Provinciale an. 1567, atque promulgata, quae tamen ad Sed. Ap. non fuerant approbatu transmissa. Quapropter, Conc. Prov. anni 1583 revera Limanum III est; communiter tamen Primum dicitur, nimirum ex S. Sede approbatis et typis editis.

(97) Qui et adiungi iusserat Confessionario, pro utilitate Indorum ad poenitentiam sacramentum venientium conficiendo, et tradendo omnibus Indorum parochis cum catechismo... Act. V, cap. 3.

et baptizata fuerit, quamvis non fuerit prima uxor earum adhuc viventium, quas in infidelitate duxerint, et quod eiusmodi matrimonium absque ullo scrupulo habeatur pro legitimo. Ex Litt. Apost. 1571, die 2 Augusti. In Archivio Ecclesiae Civitatis Regum ». (98).

De quo privilegio observetur:

1. Concilium summarie et suis verbis referre constitutiones S. Pii v *Romani Pontificis;*

2. Eam adaptare ad disciplinam Tridentinam in quantum addidit verba: « et cum ea contrahant »;

3. Silere de monitione ad primam uxorem faciendа, de qua egerat Act. II, cap. 10;

4. Adiuncta casus non clare determinasse et videre ius omni polygamo concedere contrahendi matrimonium cum uxore secum baptizata. In mentem tamen revocanda sunt verba decreti quo Concilium approbavit privilegia Indorum, verba scil. quae referunt pro forma et modo utendi illis privilegiis ad ipsas Litteras Ap. Quod meminisse iuvabit.

Ad CC deferebantur etiam dubia et causae matrimoniales. Quas inter celeberrima atque multum ad scopum nostrum faciens exstitit Causa Florentina anni 1726. Cuius documenta inveniuntur Thes. Resol. CC., t. III, p. 346 sq., 27 Iul. 1726; t. IV, p. 30 sq., 29 Mart. 1727.

Tunc temporis, Prosper Lambertini, postea Benedictus xiv, qui fungebatur munere secretarii CC, hac Causa multum occupatus erat. Nam non solum pro munere suo notas ad casum pertinentes foliis Congregationis membris distribuendis adiecit, verum etiam ipse specialem discursum exaravit. Quae omnia documenta ipse collegit et in lucem edidit in suo opere: *Quaestiones Canonicae et Morales,* Q. 546. Videtur tamen ex *Thes. Resol.* t. III, p. 350, discursus qui hic stat ad finem Causae revera esse antea

(98) Saenz de Aguirre: *Collectio Maxima Conciliorum Omnium Hispaniae et Novi Orbis,* t. IV, p. 269 = Aguirre-Catalano (altera ed. eiusdem operis), t. VI, p. 61 = Harold: *Lima Limitata,* p. 111 = Mansi: *Amplissima Collectio Conciliorum,* t. 36 bis, col. 251.

factus. Et multo post non semel sermonem fecit de hac quaestione in suis scriptis (99).

Casus ergo, simillimus casui Navarro proposito (100), ad CC remissus ab Archiepiscopo Florentino est hic:

Abraham Hebraeus habuit uxorem Riccam Estherem pariter Hebraeam. Ricca ad fidem conversa, post canonicam consuetam monitionem reliquit Abraham sed ad alia vota non transiit. Abraham autem aliam Hebraeam nomine Blancam duxit in uxorem. Nunc autem et Abraham et Blanca petebant baptismum, sed vellent simul permanere.

Secretarius implicatas quaestiones sic ordine proposuit, ut EE. PP. dignarentur discernere:

I. An adhuc subsisteret matrimonium in Iudaismo contractum inter Riccam et Abraham, et quatenus affirmative:

II. An Abraham post suam et Blanchae conversionem teneretur ad redeundum cum Ricca, et Blancam relinquendam; et quatenus affirmative:

III. An Ricca cogi posset ad cohabitandum cum Abraham ad Fidem converso; et quatenus affirmative:

IV. An Summus Pontifex dispensare posset, ut Abraham conversus permaneret in matrimonio in infidelitate, uti supra, contracto cum Blanca; et quatenus affirmative:

V. An consilium praestandum esset Sanctissimo Domino Nostro pro concessione dictae dispensationis in casu etc. (n. 5), (101).

Quorum dubiorum facilioris studii gratia idem Secretarius exaravit discursum quem his verbis conclusit: « quidquid sit de Pontificia auctoritate, quam sartam tectam in omnibus esse debere sentio, eius exercitium absque dubio esset in casu periculosum ».

EE. PP. autem qua pollebant prudentia, noluerunt omnino assentire sententiae secretarii et responderunt in Congregatione habita die 27 Iul. 1726 ad primum et secundum affirmative et in reliquis nulla fuit capta resolutio, sed

(99) *De Syn. Dioec.*, lib. VI, c. 4, n. 4, 5; lib. XIII, c. 21, n. 4 sq.
(100) Vide *Periodica*, XXVII (1938), p. 327.
(101) Numeri referuntur ad paragr. *Causae Florentinae*.

dictum est, quod scriberent theologi et canonistae, et perquirerentur exempla, et additum fuit ad mentem. Mens autem fuit evitare resolutionem dubii praecipui, et tentare solutionem casus omnibus modis iure sat decisis, scilicet ut Archiep. Florentinus conaretur aut Riccam inducere ut emitteret professionem religiosam vel ad alia vota convolaret, aut citra praeiudicium conversionis ad Fidem Catholicam persuadere Abraham ut derelinqueret Blancam et ad Riccam rediret (n. 5). Et secretarius ipse voluisset infirmare matrimonium Abraham inter et Riccam, sed non potuit, cum rite contractum fuisset (n. 42).

Sed frustra. Ricca noluit aliud contrahere matrimonium quia iam provecta erat aetate, et Religionem ingredi quia non sentiebat vocationem. Abraham vero declaravit solam mortem posse eum separare a Blanca (n. 7).

Nihil remanebat nisi ut vellet nollet procederet CC ad discussionem et resolutionem dubiorum quarti et quinti.

Porro de mandato CC scripserunt tres theologi et unus canonista. Quorum omnium vota nobis tradit canonista Ursaya in suo opere: *Disceptationes Ecclesiasticae*, t. VI. In Parte I, Disc. 32, habemus eius ipsius votum; P. II, Discep. 44, vero trium theologorum vota, una cum folio die 29 Martii 1727 distributo, quod idem est ac in *Thes. Resol.* CC, t. IV, p. 30 sq., et in Bened. xiv opere: *Quaestiones Canonicae et Morales*, Q. 546, paragraphis tamen aliter divisis atque numeratis.

Incipiamus a theologis qui breviter sed minus profunde locuti sunt.

1. Fr. Dominicus Ponsi, O. P., Sacrae Theologiae Mag., etc., respondit ad dubium IV negative, et ad quintum concludit Pontii verbis (n. 131) quae superius citavimus. Proin non erat cur de Brevi S. Pii v sermonem faceret.

2. Fr. Franciscus Zavaroni, Ord. Min. S. Francisci de Paula, concludit suum votum « cum doctissimo et omni genere eruditionis viro » nempe Secretario CC, Prospero Lambertini: Quidquid sit de Pontificia auctoritate quam

sartam tectam in omnibus esse debere sentio, exercitium talis potestatis esset in casu periculosum ». Confundit constitutionem Pianam cum Gregoriana, de quibus ait:

« Gregorius XIII post Pium Quintum superinduxit quartam causam dissolvendi eadem matrimonia; nempe absentiam Consortis Infidelis ob quam his praemoneri, et requiri de consensu cohabitandi sine contumelia Creatoris, minime possit, aut non nisi difficillime possit... » (n. 140).

3. ALOYSIUS SPARVIERI, Soc. Ies., Sac. Poenitent. Theol., quartum dubium affirmative resolvit (n. 188), similiter et quintum sed haesitabundus (n. 191). Confundit Breve Pianum cum Constitutione PAULI III *Altitudo*. Ait enim:

« Si Infidelis plurium, quas in Infidelitate duxit, uxorem deprehendere nequeat, quam primum duxerit. Huic Infideli converso indulget S. Pius V ut pro libito conversam sive Fidelem ducat, matrimonium rite contrahat cum illa... (n. 185).

Canonista vero DOMINICUS URSAYA, praestantissimus in Romana Curia Advocatus, fusiore calamo necnon profundius rem consideravit. Hanc rubricam suo voto praeposuit: Summus Pontifex dispensare potest in Matrimonio Infidelium, consummato ante Baptismum, quo respondit ad dubium IV.

Circa vero praxim Summorum Pontificum dissolvendi matrimonia consummata infidelium, exemplis ex auctoribus desumptis:

« Addo aliud exemplum similium dispensationum, quod deservire valet pro mille, illudque desumitur a speciali facultate in his terminis concessa anno 1571, a S. Pio V. missionariis Indorum, de qua mentionem faciunt... (n. 82).

Dein verbatim refert Breve S. PII V ex VERACRUCE et prosequitur:

« Ex tali siquidem facultate ad hominem infertur, fuisse ab eisdem missionariis eius vigore, et in exequutionem gratiae eiusdem Summi Pontificis dissoluta multa matrimonia Infide-

lium, in infidelitate consummata cum illis primis uxoribus, cum quibus matrimonium contraxerunt, mediante permissione permanendi, et convivendi cum ultima ex illis, cum qua baptismum susceperunt, ut consideranti manifestum est, quia Infidelis, habens plures uxores, si convertatur ad fidem, cum prima dumtaxat, quae est eius legitima uxor, permanere debet. cap. Gaudemus... (n. 86).

Distinguit Breve hoc a Brevi Gregorii xiii, de quo in n. 108 sq.

Circa ultimum dubium modeste loquitur. Ait enim: « illius resolutio pendere videtur a facti circumstantiis, mihi prorsus ignotis (n. 154): Caeterum pro eadem gratia... benigne concedenda, duae causae urgere videntur.

Prima est illa, quae movit animum SS. Pontificis Pii V ad dispensandum cum Indis, ad hoc, ut possent remanere cum ultima uxore, ad Fidem cum ipsis conversa, omnibus aliis prioribus uxoribus dimissis, hoc est aeque dura, et amara illa necessitas relinquendi amatissimam coniugem, cum qua unitim sacrum Baptismum receperunt. *Sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi Baptismum receperunt,* ut videre est supra » (n. 156).

Secunda vero causa est assensus Riccae, uti opinabatur Navarrus. Insuper addit:

« Quarum causarum respectu considerari etiam potest Religionis favor, quia cum maiori facilitate Infideles amplectuntur Catholicam Fidem, sperantes ex Pontificia auctoritate et benignitate remanere posse cum secunda amatissima coniuge, quam talem gratiam nullo modo sperantes, ex durissima illa necessitate separationis a secunda coniuge, cum qua Baptismum insimul susceperunt, canonizzata, ut supra, a Sancto Pio V eandemque causam approbat Abb. in cap. Quanto... » (n. 164).

Versus finem sui perlongi voti haec habet:

« Respectu demum... quinti dubii, posita ex his Summi Pontificis facultate dispensandi in casu, de quo agitur, aliisque, eidem similibus, res reducitur ad meram gratiam, quae a sola Sanctissimi Domini Nostri voluntate pendet... Eadem gratia

sperari potest a notoria pietate, et nunquam satis laudata clementia SS. D. N. ex iis, quae commendando Summorum Pontificum solitum, et praxim, observat Corrad...» (n. 171).

Ex quibus apparet votum URSAYAE non parum exercuisse influxum in *Causae Florentinae* resolutione, quae saepe saepius diiudicatur solum ex magis notis commentis BENEDICTI XIV in *Thes. Resol.* contentis. Pariter apparet Ursayam non parum adiuvasse ad efformandas suas conclusiones Breve S. PII V, cujus vim perspectam habuit.

Sacra Congr., die 29 Martii 1727 respondit: «Scribatur juxta Instructionem».

Quaenam autem fuerit illa instructio nec *Thes. Resol.* nec BENEDICTUS XIV nobis ullam tradunt notitiam et conatus nostri eam in archivio CC inveniendi incassum cesserunt. Ballerini affirmat sibi traditum esse Pontificem reipsa dispensasse, ac prius matrimonium solvisse (102). Et GASPARRI refert modo magis praeciso in Pia Domo Catechumenorum almae Urbis apud S. Mariam ad Montes, sub die 20 Jan. 1728, repertum esse documentum baptismi Abrahami et Blancae, quae eius uxor dicitur (103).

Quod documentum reiicit WERNZ uti insufficientem evidentiam ad factum principale probandum «scil. R. Pontificem in illa causa tandem sua auctoritate per aliquam dispensationem solvisse prius matrimonium» et petit documentum historicum directum et certum (104). P. JOYCE e contra habet illud pro sufficienti evidentia (105).

Quidquid sit de istis opinionibus, tuto colliguntur ex *Causa Florentina* conclusiones quae sequuntur:

1. CC non repulisse Abraham et Blancam uti indispositos ad baptismum, immo sollicitam esse ne ius tunc vigens verteretur in detrimentum salutis eorum aeternae, cum quaereret ab Archiep. Florentino «an possibile esset,

(102) BALLERINI-PALMIERI: *Opus Theol. Moral.* vol. VI, n. 449.
(103) GASPARRI: *Tract. Can. de Matr.*, vol. II, n. 1162.
(104) WERNZ-VIDAL: *Jus Matr.*, p. 771, not. 89.
(105) JOYCE: *Christian Marriage*, p. 480.

ut citra praeiudicium conversionis ad Fidem Catholicam Abraham separaretur a Blanca... » (cf. PONTIUS, supra et CPF. n. 1354);

2. CC non respondisse negative ad dub. V secundum consilium praestitum a Secretario, et a theologis, sed potius favisse sententiae URSAYAE.

3. Proin propendisse ad admittendam Romani Pontificis potestalem in matrimonia in infidelitate contracta et consummata.

III. *Sacra Congregatio de Propaganda Fide.*

Anno 1622 Gregorius XV S. Congr. pro christiani nominis diffusione fundavit atque ei concessit « omnia et singula... necessaria et opportuna, etiam si talia fuerint quae specialem et expressam requirant mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi et exsequendi, plenam, liberam, et amplam facultatem, auctoritatem et potestatem » (106). Qua amplissima potestate gaudens, initio PF ipsamet omnia negotia quae ad missiones pertinebant suo marte discernebat. Paulatim tamen, teste BENED. XIV, invaluit mos transmittendi casus matrimoniales praesertim difficiles ad CC vel ad SO (107).

Ex suo fine et scopo, tendentia eius erat potius practica. Cum vigens lex aut consuetudo Ecclesiae non plane congrueret vel difficultates pareret apud populos plus minusve cultos, eius erat temperare istas leges et consuetudines, vel approbare et adaptare gentilium mores, salva tamen semper fidei morum integritate. Qua agendi ratione non parum contulit ad progressum dogmaticum in rebus praesertim morum et in doctrina sacramentali. Nec iam desistit ex thesauro pleno et antiquo Ecclesiae haurire nova et opportuna.

Nobis hic sermo est, ut patet, de iis quae matrimonia infidelium spectant et quidem de privilegiis polygamis in

(106) GREGORII XV: *Inscrutabili divinae Providentia*, 22 Jun. 1622.
(107) BENED. XIV: *De Syn. Dioec.* lib. XIII, cap. 21, n. 2.

favorem fidei concessis. Huc spectat illa maximi momenti disceptatio coram SSmo habita non multo post fundationem PF.

Anno 1631, Magr. fr. Petrus Ieneto vel Hieto, O. E. S. A. Provinciae Mexicanae, missionarius applicatus pro America septemtrionali, petiit a S. Sede praeter dispensationes et privilegia quae missionariis huiusmodi concedi solent, ut commodius posset munus sibi iniunctum absolvere et complere, et hanc specialem facultatem:

« Dispensandi cum Indis denuo conversis vel convertendis ex multis faeminis quas semper assumunt sub gentilitio eligant quam maluerint in coniugem post baptismum susceptum, caeteris reiectis » (108).

Quae instantia missionariorum cum relata fuisset in congregatione PF coram SS.mo die 9 Sept. 1631 habita, Urbanus viii ad huiusmodi casum examinandum deputavit R.mos DD. Datarium et Paulutium et Adm. R. D. Alexandrum Boccabilla et Abbatem Hilarione, S. Officii consultores (109).

In sessione particulari, die 8 Oct. in aedibus Rmi D. Datarii habita, hanc quaestionem agitarunt et doctrinam circa matrimonia infidelium a theologis et canonistis firmatam 8 conclusionibus conati sunt complecti, ita ut missionarii sine confusione discernere valerent in quibus casibus dispensatione opus esset, et quibus non, ac etiam ut apposite et sufficienter ad dictam petitionem responderi posset.

In concl. 7 agunt de Brevi Pii v, interpretantes illud ad mentem Vasquez et Sanchez, quos citant. Nec aliter poterant illud explicare, cum negarent Pontifici potestatem in matrimonia infidelium. In concl. 5 referunt ius statutum in Concilio III Limensi, act. 2, cap. 10; sed silent de privilegiis Indorum in eodem Concilio approbatis.

---

(108) Memoriali del 1631, vol. 391, ff. 293, 294.
(109) PF, Anno 1631, vol. 7, f. 125, n. 24.

Ex praemissa doctrina tres deducunt conclusiones, quarum ultima sic exprimitur:

« Eisdem Missionariis facultatem petitam esse omnino denegandam in matrimoniis praedictis, quum iuxta veriorem doctorum sententiam Papa in eis dispensare nequeat » (110).

At Congregatio Generalis die 5 Dec. coram SS.mo habita, dixit:

1. « Missionariis Indiarum illa communicanda esse non ut decretum huius S. C., sed ut sententiam theologorum et canonistarum;
2. « Corrigendam esse modum loquendi per negationem potestatis dispensandi in Summo Pontifice in conclusione et responsione adhibitum; et simpliciter loco verborum non posse concedi, dicendo « non esse concedendam facultatem petitam ».

Sententia theologorum sic correcta atque missionariis communicata silet de Brevi S. Pii V; negat conversionem polygami esse rationem sufficientem pro usu potestatis pontificiae, memorans rationes a Pontio excogitatas necnon factum denegatae dispensationis a Sixto V ex Vasquez (111); demum monentur missionarii ut, in singulis dubiis matrimoniorum particularium, in quibus nihil est hactenus iure provisum, nihil proprio iudicio definiant, sed consulant Sedem Apostolicam (112).

Hic in mentem revocentur casus ad S. Sedem missi de matrimoniis Iaponum. Cum Episcopus Heliopolis petiisset responsa ad illos casus in forma authentica, PF non censuit opportunum ut tales resolutiones emanarent nomine SO, sed satis esse iudicavit ut sua auctoritate munirentur. Quapropter responsa SO sua fecit atque in suis actibus ea apposuit (113). In uno ex istis responsis supra relatis mentio fit de Const. *Romani Pontificis* quae in po-

(110) IPF, P. II, n. 93.
(111) Vide paulo post initium huius partis III.
(112) IPF, P. II, n. 95: CPF, n. 1308.
(113) APF, vol. 39, Congr. Gener., habita die 7 Jul. 1670, vol. 39, f. 89, n. 16.

sterum omnibus missionariis communicanda esse dicitur (114).

Quo ex responso apparet PF jam saec. XVII consuevisse quaesita missionariorum saltem graviora judicio SO committere. Ipsa proinde PF non videtur habere de hac Const. jurisprudentiam propriam vel saltem ea non apparet ex responsis hucusque publicatis.

Quid autem Concilia particularia a PF ante Codicem approbata docuerint de Brevi Piano in alio capite dicetur (115). Hic vero praeteriri non debet responsum ipsius PF ad explicitam interpellationem de eodem Brevi post Codicem datum.

Acta et Decreta Primi Concilii Sinensis anni 1924 a S. Pontifice die 11 Iun. 1928 approbata inter alia hoc habent votum et postulatum, quod sic inscribitur:

> « De facultate Ordinariorum circa Matrimonia catechumenorum plures uxores habentium.

Facultatem habent Ordinarii Sinenses « dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut, post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti ».

Unde deduci videtur, in omni casu polygamiae etiam successivae, virum polygamum non posse secum retinere tamquam propriam uxorem mulierem secum baptizatam, nisi interpellationibus praemissis, ut sciatur num prima uxor converti voluerit.

Aliunde, in Constitutione S. PII V *Romani Pontificis*, can. 1125, absolute dici videtur ut in casu polygamiae successivae possit neophytus secum retinere tanquam propriam uxorem mulierem quae cum ipso baptizata fuerit, nulla facta quaestione praemittendae interpellationis.

Primum Concilium Sinense videns frequenter inter nostros catechumenos reperiri tales qui cum secunda vel ulteriore successive uxore, in baptismum consentiente, baptismum petant quibus durissimum est et fere impossibile tale matrimonium

(114) Vide huius Partis sect. I vers. med.
(115) Vide infra partem V paulo ante finem.

dissolvere, humillime Sedem Apostolicam orat utrum, ad mentem Constitutionis S. Pii V supra citatae, liceat Vicariis Apostolicis et Praefectis Apostolicis tales catechumenos cum tali in baptismum consentiente uxore simul baptizare, data eis insuper facultate ut in eodem matrimonio tanquam legitimo permanere valeant, absolute et sine ulla interpellatione primae uxoris an non » (116).

Cum iam non unica est interpretatio proposita de isto voto ejusque responso, pressius inspiciamus ipsum textum et in mentem Concilii perspicere satagamus.

De quo agunt Patres Concilii? - de una speciali difficultate circa matrimonia polygamorum, de casu nimirum durissimae et fere impossibilis separationis catechumeni a secunda uxore quacum petit baptismum.

Quo in casu prima coniux non supponitur non nota, nec ad difficultatem eam inveniendi vel interpellandi attenditur; nec supponitur eam discessisse vel nolle converti. Nam his in casibus iam habent facultatem dispensandi vel iure vi can. 1121 et 1125, vel speciali concessione vi Formulae Tertiae Maioris, nn. 24, 25 et 26. Sed supponitur prima coniux et esse nota et immo velle converti; en nodum difficultatis.

Quid dicunt Ordinarii Sinenses de hac difficultate? Dicunt primo facultatem n. 24 F. T. M. non facere ad casum, cum expressam contineat clausulam essentialem, « nisi prima voluerit converti ». Quod ut absque haesitationis scrupulo pateat, hanc ipsam facultatem ad verbum referunt; sed de eius sensu vel interpretatione nullum exprimunt dubium.

Secundo, veniunt ad Const. S. Pii v *Romani Pontificis* examinandam, quae videtur ipsis permittere ut possint baptizare neophytum cum secunda uxore, « nulla facta quaestione praemittendae interpellationis ».

Ad quae ultima verba liceat lectoris attentionem dirigere. Patres Concilii non dicunt in illa Constitutione con-

(116) Primum Concilium Sinense: Vota et Postulata, n. 12, p. 273.

cedi dispensationem ab interpellationibus faciendis; sed de eis nullam ibi esse quaestionem.

Et tandem quid faciunt Patres Concilii?

Non petunt novam facultatem, nec extentionem facultatis n. 24 F. T. M. contentae; sed quaerunt atque humillime Sedem Apostolicam orant:

« Utrum, ad mentem Constitutionis S. Pii v... liceat... tales catechumenos cum tali... uxore simul baptizare... absolute et sine ulla interpellatione primae uxoris an non ».

Dubium ergo versatur certe non circa facultatem n. 24, nec, ut videtur, circa mentem Const. S. Pii v, sed circa eamdem Const. in praxim. deducendam.

Cui dubio PF resp. *Affirmative.*

Mens proinde Const. S. Pii est ut in casu difficillimae separationis ab invicem coniuges possint relinqui atque baptizari, quamvis prima coniux nota sit et velit converti (117); et Ordinariis Sinensibus licet hoc in praxi servare.

Ergo hoc responsum non est interpretatio extensiva facultatis n. 24 F. T. M., nec est dispensatio ab utraque interpellatione, ut velit cl. P. Vromant (118), quia de iis Patres directe non interrogarunt; nec concedit novam et peculiarem facultatem, quia eam non petierant; nec est interpretatio authentica, etsi forte extensiva, constitutionis *Romani Pontificis*, ut opinatur P. Payen (119), quia Codicis authentice interpretandi ius uni est Commissioni a Benedicto xv ad hoc fundatae (120); sed est interpretatio

(117) In suis prioribus editionibus Epitomes Juris Canonici Vermeersch-Creusen ad constitutionem « Romani Pontificis » c. 1125 hoc adnotarunt: « Si omnes uxores simul cum viro baptizari velint, legitimam, si eam noverit, retinere debebit, reliquis dimissis ». Quae verba potius privilegium Paulinum, constitutionem Pauli III, *Altitudo*, et facultatem n. 24 FTM respiciunt quam Breve S. Pii V. Quare iure merito in ultima editione anni 1934 fuerunt suppressa. Quod ostendit quam tardi fuerint et doctores ad admittendum Doc. VII Codicis in ius commune, suumque locum ei tribuendum.

(118) *Ius Mission.* t. V, De Matrim. n. 370 (4), p. 293.

(119) *Monita Nankinensia*, vol. I, n. 473, p. 371.

(120) Cf. *Cum Iuris Canonici Codicem*, 15 Sept. 1917, n. I.

verborum constitutionis in se certorum, quae in casu durissimae separationis coniuges permanere posse disponunt, nulla facta quaestione de interpellatione; quae verba in sensu obvio sumi sinuntur. Idemque elucet ex collatione can. 1121 cum can. 1125.

Ad hoc responsum notat praeterea P. Payen:

« Attamen si prima uxor, citra interpellationem, sponte declaret se velle baptismum, vir eius nequit secundam vel ulteriorem ducere » (121).

S. Pius v poterat evidenter apponere conditionem privilegio a se concesso essentialem, videlicet, nisi prima sponte declaraverit se velle baptismum, sicut apposuerant suis privilegiis conditiones essentiales S. Paulus: « si infidelis discedit »; Gregorius xiii: « dummodo constet... coniugem... absentem moneri legitime non posse », et Fac. n. 24: « nisi prima voluerit converti ». Cum huius conditionis ne vestigium quidem appareat nec in Brevi S. Pii v, nec in dubio a Concilio proposito, nec in responso PF, non licet inferiori principi et eo minus singulis interpretibus, limitare iura superioris per aequitatem sibi apparentem. Secus actum esset de privilegio a Summo Pontifice concesso, quod satis videre est ex capite praecedenti. Abeatur ergo via istorum maiorum.

Praeterea quid interest iuridice inter declarationem se velle converti cum interrogetur et eamdem declarationem, citra interpellationem sponte factam? Quae spontanea declaratio nec auget ius primae coniugis quod omne provenit ex nuptiis celebratis, nec ei novum confert ius, nec in ordine practico maiores creat difficultates, nec duritiem et impossibilitatem dissolvendi unionem cum secunda uxore

(121) *De Matrim.* vol. II, n. 2407 (1), nota 1, ad cal. p. 724. Adhuc clarius et strictius P. Vromant, qui, ut dictum est, tenet hoc responsum esse interpretationem extensivam Fac. 24, notat o. c. inter *Corrigenda et Addenda*, ad p. 293: « ... etiam in Sinis ... in applicanda facultate XXIV ... semper requiritur ut moraliter constet quod prima seu legitima uxor converti detrectat ». Tunc, quid velit interpretatio extensiva eiusdem facultatis?

tangit vel immutat, ob quam duritiem et impossibilitatem separationis fuit gratia petita atque concessa. Non est proinde cur limitetur responsum PF.

PUTHOTA RAYANNA S. I.

De Missa ex licentia Ordinarii celebrata: *a*) extra ecclesiam et oratorium (c. 822, § 4) vel, *b*) in oratorio privato (cc. 1194, 1195, § 2). An audientes praecepto satisfacere valent (c. 1249)?

a) De Missa ex Ordinarii licentia celebrata extra ecclesiam et oratorium.

Dum, vi canonis 822, § 4, loci Ordinarius « licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco..., concedere potest iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus », canon 1249 praedictum casum nullatenus videtur includere inter illos in quibus praecepto de audienda Missa satisfieri valeat. Nam: « Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missae adest... sub dio aut in quacunque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis de quibus in canone 1190, non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit ».

Primo igitur aspectu dixerit quis tunc tantum extra oratorium satisfieri posse praecepto, si Missa sub dio celebretur. Neque alibi in Codice invenitur specialis facultas vi cuius Episcopi vel locorum Ordinarii *super hac lege* dispensare possint. Consulto dicimus *super hac lege* ne quis nobis obiciat potestatem dispensandi a lege de *observantia* festorum, quae Ordinariis competit canone 1245, § 1. Aliud enim est *praecepto satisfacere* per observentiam, aliud ab observantia dispensari.

Nihilominus putamus non tantum sub dio sed alibi etiam extra oratoria praecepto satisfieri posse. Apud auctores supra allatis difficultatibus solutionem sedulo quaesivimus. At, inter viginti ex notissimis scriptoribus qui post Codicem sive de theologia morali sive de iure canonico commentaria ediderunt, duos tantummodo invenire potuimus qui quaestionem nostram plus minusve explicite attingant. Hi affirmativam solutionem praebent, nulla adiecta ratione unde difficultatibus occurri possit (1).

Liceat nobis solutionem istam, breviter adductis rationibus, confirmare. Equidem supponimus sacerdotem neque sub dio neque quovis stabili altaris portatilis privilegio munitum istam Missam celebrare, sed ex legitima Ordinarii licentia, in aliqua aula quae oratorium non est.

1. De lege ante Codicem.

Notum est Concilium Tridentinum Episcopis sustulisse facultatem qua antea gaudebant, ad libitum permittendi Missae celebrationem sive « privatis in domibus » sive « omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria » (2). Quo non obstante, communiter sentiebant doctores hoc intelligendum esse de licentia perpetuo celebrandi per modum habitus; at minime eis esse vetitum huiusmodi concedere licentiam per modum actus pro aliquo tempore si iusta adesset causa (3). Unde gravissimi auctores ante Codicem uno ore docebant Episcopos concedere posse licentiam litandi extra ecclesiam et oratorium in casibus necessitatis (4). Et in exemplis eiusmo-

(1) « Quando ex speciali licentia Missa dicitur in alio loco profano, illi satisfaciunt praecepto, pro quibus licentia data est ». Prümmer, *Manuale Theologiae Moralis*, Vol. II, n. 482.

« Satisfit ab omnibus ubi celebratur sub dio, ... vel in genere in loco non omnino privato ex licentia vel privilegio non mere personali ». Génicot-Salsmans, *Institutiones Theologiae Moralis*, Vol. I, n. 342.

(2) Sess. XXII, De observandis et vitandis in celebratione Missae.

(3) S. Alphonsus, Lib. VI, n. 359.

(4) Gatticus, *De usu altaris portatilis*, cap. XV, n. 5; S. Alphonsus, Lib. VI, n. 356; Gasparri, *De Sanctissima Eucharistia*, Vol. I, nn. 274-276; Many, *De Missa*, n. 6.

di necessitatis afferendis omnes fere conveniebant: e. g. si ecclesia populum capere non posset, vel diruta esset, vel a militibus occupata; in castris pro exercitu, vel in litore pro navigantibus; vel si fidelium multitudo longam perageret peregrinationem procul ab ecclesia, ita ut Missa die festo carerent (5).

Ex allatis exemplis iam satis apparet nota quasi essentialis vel certe principalis eius necessitatis quae ratio erat concedendae licentiae. Agebatur nempe praesertim de necessitate audiendi Missam ex praecepto. « Haec necessitas », ait Gasparri, « in genere verificatur quando ecclesia vel oratorium non adest, aut adiri non potest, vel non sine magno incommodo a fidelium multitudine quae proinde Missa cui assistere debet careret nisi haec extra ecclesiam aut oratorium celebraretur » (6). Et alio loco eandem regulam generalem utique quibusdam exceptionibus obnoxiam — adhuc magis explicite proponit his verbis: « Porro in relatis necessitatis casibus Missae celebratio extra ecclesiam et oratorium publicum permitti non potest nisi diebus festis, cum in diebus ferialibus necessitas assistendi Missae non adsit » (7).

Iamvero si licentia datur propter necessitatem satisfaciendi praecepto, nonne evidenter supponitur praecepto in his adiunctis satisfieri posse?

Existebat enim in iure Decretalium, quamvis tantum implicite, vera concomitantia inter liceitatem Missae celebrationis et satisfactionem praecepti de Missa audienda. Haec duo, liceitas celebrationis (quod ad locum attinet) et praecepti satisfactio, erant plane coextensiva, nisi excipias casum ubi, vi indulti pontificii Missa in oratorio privato celebraretur. Tunc enim, sed unice propter clausulam restrictivam ipsius indulti, non omnes adstantes sed illi tantum qui in indulto comprehensi erant, praecepto satisfaciebant.

(5) Gasparri, *De Sanctissima Eucharistia*, Vol. I. n. 276.
(6) Gasparri, *De Sanctissima Eucharistia*, Vol. I, n. 274.
(7) Gasparri, *De Sanctissima Eucharistia*, Vol. I, n. 278.

Concomitantia de qua loquimur ex brevi historico summario clarius elucebit.

Concilium Tridentinum *hortabatur* tantummodo fideles ut diebus festis suam ecclesiam adirent (8). Unde aperte eruitur *praeceptum,* quod antiquitus existebat, de Missa audienda in ecclesia paroeciali, non amplius, tempore Concilii, viguisse.

Quidam inde concludebant praeceptum de Missa dominica impleri posse ab omnibus, qui etiam in oratorio privato Missam audirent (9). Melior autem sententia, quae plane communis evasit, docebat non impleri praeceptum in oratorio privato nisi ab eis qui in indulto pontificio essent comprehensi (10). Haec autem exceptio, ut superius dictum est, unice nitebatur consuetis verbis quae apponi solebant in indulto quo privilegium oratorii privati concedebatur: « Volumus autem ut qui non sunt de familia non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in ecclesia » (11). At, praeter hanc limitationem eiusque interpretationes, frustra quaeres legem ecclesiasticam quae explicite tractet de loco necessario ad praeceptum dominicum implendum. Ratio, quia praeceptum festivum relate ad Missam tunc impleri censebatur quoties Missa in loco licito fuisset celebrata.

Quam concomitantiam egregie expressit Gatticus:

« Haec est illa lex quae coarctat fideles, ne alibi praecepto Missae devote et attente audiendae, quam in locis ab Ecclesia ipsa probatis ad licitam Missarum celebrationem satisfacere valeant. Etenim duo ista seiungi nequeunt, videlicet praeceptum audiendae Missae et necessitas Missam eo loco audiendi, quo tantum licite celebrari potest pro illis, qui praecepto satisfacere debent. Profecto,

---

(8) Sess. XXII, De observandis et vitandis in celebratione Missae.

(9) Ita Busenbaum aliique citati apud S. Alphonsum, Lib. III, n. 318.

(10) S. Alphonsus, Lib. III, n. 319; S. C. C. 30 Mart. 1686; Pallottini, v. Oratorium, § 2, n. 79, v. Missa, § 8, n. 13.

(11) S. Alphonsus Lib. III, n. 318; Many, *De Locis Sacris,* n. 85; Gasparri, *De Sanctissima Eucharistia,* Vol. I, n. 235 et seq.

si haec duo ab invicem separemus, unum alteri repugnabit; et dum unum praeceptum Missam respiciens implebitur, aliud praeceptum violabitur, quo locus limitatur, ubi unusquisque libere ad Missam audiendam accedere potest. Frustra itaque quaerimus legem ecclesiasticam specialiter praecipientem fidelibus in hoc vel in illo loco Missam audire; cum exstet aperta lex Ecclesiae iubens non alibi quam in certis locis Missam permittere » (12).

Demum decretum Leonis XIII, diei 23 Ianuarii, 1889, ambiguitates quae profecto latebant in iure antiquo, de medio sustulit. Namque clare definivit quaenam oratoria ut semi-publica habenda sint, et declaravit: « In his, sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent » (13). In qua declaratione iuvat notare eandem, de qua diximus, aequiparantiam inter celebrationis liceitatem, quod ad locum attinet, et praecepti impletionem. Dicit enim, « *sicut* . . . *ita* ». Nequaquam igitur S. Pontifex ab ea generali regula recedere, sed e contra accuratius eam definire voluit. Et haec fuit disciplina quae in Codicem inducta est.

Ex quibus omnibus sane haec conclusio apertissime sequitur: ante Codicem, quoties Episcopus *legitime* licentiam concesserat Missam celebrare extra ecclesiam et oratorium, omnes pro quorum necessitate licentia data erat, praecepto audiendi Missam profecto satisfaciebant.

2. De iure Codicis.

Sane non est cur longius de iure Codicis disseramus. Norma enim generalis statuit Codicem antecedentem disciplinam plerumque retinere, ideoque a veteri iure non esse recedendum nisi certo constet canonum praescripta cum veteri iure discrepare (14). Porro id minime constat

(12) GATTICUS, *De usu altaris portatilis*, cap. XXVI, n. 10.
(13) *S. Rit. C. Decr. Auth.* n. 4007.
(14) C. I. C. can. 6, 4°.

relate ad facultatem Ordinarii concedendi licentiam ut Missa extra oratorium celebretur. Imo contrarium ex authenticis documentis est indubie tenendum. Nam Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum iam Litteris diei 26 Iulii 1924 aperte declarabat canonem 822 confirmare, non autem mutare, antiquam disciplinam (15). Et eiusdem Sacrae Congregationis Secretarius, inter annotationes quae publici iuris factae sunt, iterum declaravit canonem 822, § 4, nullam induxisse veteris iuris immutationem (16). Nec officit quod ista facultas sit ab Ordinario interpretanda restrictive, ut declaravit Pontificia Commissio ad Codicis Canones Authentice Interpretandos (17). Tota nostra quaestio enim versatur circa Missam quae *legitime* extra oratorium ex licentia Ordinarii celebretur. Obiter notare iuvat facultatem Ordinariis concessam canone 822, § 4, strictae quamvis subsit interpretationi, nihilominus esse ordinariam, ideoque posse sub debitis cautelis delegari (18).

Si, igitur, ut ex dictis plane constare videtur, in Codicem inducta est veteris iuris disciplina relate ad facultatem loci Ordinarii concedendi in necessitate licentiam extra oratorium litandi, nonne verisimile est eam licentiam secumferre sub iure Codicis, sicut in veteri iure secumferebat, facultatem praecepto satisfaciendi pro omnibus quorum necessitas fuit causa licentia concedendae? Id nobis valde probatur. Ne dicatur Codicem expresse contrarium statuere, nam canon 1249 de hac re silet omnino. Neque obstat quod nulla facultas *explicite* datur Ordinariis dispensandi ut quis in loco non sacro praeceptum de Missa audienda impleat. Nam, dato non concesso quod dispensatio *in tali casu* requiratur, dicimus dispensandi facultatem locorum Ordinariis competere ex canone 822, § 4,

---

(15) *Acta Apostolicae Sedis*, XVI (1924), p. 370.

(16) *S. C. Sacr. Romana et Aliarum*, 3 Maii, 1926, Annotationes, n. 1: *Acta Apostolicae Sedis*, XVIII (1926), p. 389.

(17) 16 Oct., 1919, ad 12, *Acta Ap. Sed.* XI (1919) p. 478.

(18) Cf. annotationes Cardinalis Jorio dum Secretarius erat Sacrae Congregationis de Sacramentis, in *Montis Regalis in Pedemonte*, 5 Ian., 1928; *Acta Apostolicae Sedis* XX (1928), p. 80.

non explicite, sed ex iure veteri non revocato, seu *implicite,* quod ex canone 81 plane sufficit.

Ergo data occasione extraordinaria et religiosa ut esset e. g. concursus iuvenum Catholicorum (Catholic Boy Scouts) vel etiam laicorum Actionis Catholicae studiosorum, in loco ubi ecclesia adiri sine gravi incommodo non posset, adveniente die dominica vel festo, Missa extra oratorium pro eorum necessitate celebrari poterit ex Ordinarii licentia (19), et sive sub dio sive in decenti aula haec Missa celebratur, omnes pro quibus licentia data est praecepto satisfaciunt.

b) De Missa ex Ordinarii licentia celebrata in oratorio privato.

Seposito casu de Missa in coemeteriorum aediculis, de quibus non est quaestio, duo sunt casus ubi loci Ordinarius permittere potest Missae celebrationem in oratorio privato. Primo, in omnibus oratoriis domesticis (praeter supradictas aediculas) permittere potest celebrationem « nonnisi unius Missae, per modum actus, in casu aliquo extraordinario, iusta et rationabili de causa » (can. 1194). Secundo, in oratoriis domesticis quae iam indulto pontificio gaudent vi cuius, exceptis diebus sollemnioribus, Missa ibi celebrari potest, Ordinarius « dummodo iustae adsint et rationabiles causae, diversae ab eis ob quas indultum concessum fuit, etiam sollemnioribus festis permittere potest per modum actus Missae celebrationem » (can. 1195, § 2).

An, his in adiunctis, audientes praecepto satisfaciunt?

Responsio affirmativa hoc in casu longe difficilior est quam in primo. Nam si agatur de Missa in privato oratorio permittenda, causa iusta et rationabilis vi cuius licentia conceditur plerumque non erit necessitas ex parte fi-

(19) Talis licentia per modum actus, igitur singulis vicibus, minime vero habitualiter ab Ordinariis concedi debet. Id plane constat ex canonibus et ex documentis supra allatis. Cf. notas 15, 16, 17, 18 supra.

delium multitudinis, quae est causa praecipua concedendae licentiae pro Missa extra oratorium celebranda. Accedit quod auctores passim simpliciter negant praecepto satisfieri posse in oratorio privato nisi ab eis qui gaudent peculiari indulto. Et, quod gravissimum est, canon 1249 positive negare videtur possibilitatem implendi praeceptum, ultimis illis verbis, « non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit ».

Verum dubitari potest an citata verba tam universalem exigant interpretationem. Nam etiam hac super re ius ante Codicem vigens attendi debet. Et de iure veteri haec quidem constant:

1) Potestas permittendi Missarum celebrationem in oratoriis privatis adempta fuit Episcopis a Concilio Tridentino unique Romano Pontifici reservata (20).

2) Attamen praefata potestas non fuit totaliter Episcopis adempta; nam post Tridentinum, teste Sancto Alphonso, communissima sententia affirmabat Episcopos adhuc posse Missae celebrationem permittere in privatis oratoriis *per modum actus* (21).

3) Quae tamen sententia, post plura severiora Sacrae Congregationis Concilii responsa (22) ita reformari debuit ut teneret Episcopos hanc facultatem concedere posse tantum *per modum actus et ob magnas et urgentes causas* (23).

4) Haec autem norma brevi ante Codicis promulgationem saltem ex parte temperata est. Nam Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, die 22 Mart., 1915, ad quaestionem: « An Ordinarii ex iustis et rationabilibus causis, servatisque de iure servandis, permittere possint

---

(20) Sess. XXII, De observandis et vitandis in celebratione Missae.

(21) S. Alphonsus Lib. VI, n. 339; Many, *De Locis Sacris*, n. 81; Gasparri, *De Sanctissima Eucharistia*, n. 225.

(22) *S. C. C. Monasterien.* 23 Ian. 1847; *Monasterien.* 5 Apr. 1851; *Calataveronen.* 20 Dec. 1856.

(23) Van Gameren, *De Oratoriis Publicis et Privatis*, p. 162-193; Many, *De Locis Sacris*, n. 82; Gasparri, *De Sanctissima Eucharistia*, Vol. I, n. 225.

per modum actus celebrationem Missae, domi, eorum favore qui domestici oratorii indulto gaudent in diebus qui in obtento indulto excepti sunt », respondit: « Affirmative, dummodo iustae et rationabiles causae aliae sint ab eis, ob quas concessum fuit indultum oratorii domestici » (24). Quae responsio inter fontes invenitur canonis 1195, § 2.

5) Iamvero hoc maxime est attendendum, quod hac in re non secus ac in quaestione de Missa extra oratorium ex Ordinarii licentia celebrata, semper in veteri iure agnoscitur illa implicita concomitantia, de qua supra fuit sermo, videlicet inter liceitatem celebrationis (quod ad locum attinet) et praecepti satisfactionem. Quidquid sit de gravitate causae ob quam Episcopi permittere possunt Missae celebrationem in privato oratorio, hoc numquam ambigitur, nempe praecepto satisfieri ab adstantibus dummodo celebrandi licentia legitime fuerit concessa. Utique sexcenta ex veteri iure afferri possunt dicta « non satisfieri praecepto in oratoriis privatis nisi ab iis qui in indulto pontificio comprehenduntur »; sed haec semper referuntur ad casus ubi Missa *vi solius indulti apostolici celebretur*, numquam vero ubi Missa ex *legitima* Episcoporum licentia in privato oratorio celebrata sit. Disputatur quidem de legitimitate licentiae ab Episcopis concessae; at, dummodo constet de legitimitate licentiae, de eiusdem effectu relate ad impletionem praecepti non ambigitur.

Et revera nonne canon 1249 ita intelligi potest ut in hoc cum veteri iure substantialiter congruat? Tunc quidem verificabitur canon 6: « Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat ». An verisimile est Ecclesiam, postquam in canonibus 1194 et 1195 Ordinariis dederit facultatem permittendi Missam, sub debitis cautelis et diebus festis minime exceptis, in privato oratorio, ita rigorose voluisse prohi-

(24) *Acta Apostolicae Sedis*, VII (1915), p. 147.

bere quominus ibi praecepto audiendi Missam satisfiat? An vero potius dicendum est canonem 1249 generalem statuisse regulam, quae dum indulta pontificia integre servat, in aliis tamen casibus, ex canonibus 1194 et 1195, nonnullas admittat exceptiones?

Putamus igitur, donec contrarium certo et authentice fuerit declaratum, haec teneri posse: Si Ordinarius legitime concesserit licentiam celebrandi Missam, sive in quovis privato oratorio « in casu aliquo extraordinario, iusta et rationabili de causa » ad normam canonis 1194, sive in oratorio iam privilegiato sed die festo qui in indulto erat exceptus, et ob causas « diversas ab eis ob quas indultum concessum fuit » ad normam canonis 1195, § 2, illi pro quibus haec legitima licentia conceditur praecepto satisfaciunt.

TIMOTHEUS L. BOUSCAREN, S. I.

Quaesitum liturgicum

DE TRANSLATIONE FESTORUM S. IOSEPHI ET ANNUNTIATIONIS

Anno 1940 festum S. Iosephi occurret feria III hebdomadis maioris, festum vero Annuntiationis feria II hebdomadis paschalis, ita ut utrumque sit post dominicam in Albis transferendum.

Non tam raro est ista gemina translatio agenda, nimirum quotiescumque illa festa ambo intra spatium quindecim dierum veniunt quod ab ipsa dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis pertinet, seu cum pascha Resurrectionis in unum e diebus 22-26 martii cadit. Porro ab anno 1475, circa quem SIXTUS IV (1471-1484), ut fertur, festum S. Iosephi, diei 19 martii adfixum, in calendarium Ecclesiae Romanae introduxit, tricies septies factum est ut pascha ante diem 27 martii rediret: annis

1478, 1486 et 1497, dein novies saeculo XVI, septies XVII, novies XVIII, octies XIX, denique anno 1913. Iterum autem fiet annis 1940, 1951, 1967, 1978 et 1989. Videlicet tribus postremis annis pascha erit die 26 martii, ideoque festum S. Iosephi veniet die dominica Palmarum, Annuntiationis sabbato sancto. Anno 1951 dies paschatis erit ipso die 25 martii et festum S. Iosephi feria II hebdomadis maioris. Quid anno 1940 futurum sit iam diximus. Anno 1913 cum festum paschatis esset die 23 martii, festum S. Iosephi cadebat in feriam IV maioris hebdomadis, Annuntiatio in feriam IV hebdomadis paschalis. Quod si pascha venit die 22 martii, festum S. Iosephi feriam V maioris hebdomadis, Annuntiationis feriam IV hebdomadis paschalis occupat, at in diem 22 martii pascha anno 1818 postremum incidit et iterum illa die non occurret ante annum 2285. A fine saeculi XV id omnino sexies evenit.

Animadvertendum porro est festum S. Iosephi intra hebdomadem maiorem cadere non posse, quin Annuntiatio in sabbatum sanctum vel in unum e quattuor subsequentibus diebus incidat, neque ergo illud festum unquam sine hoc transferendum esse.

Itaque nobis haec est proposita quaestio.

Cum festa S. Iosephi et Annuntiationis sunt ambo post dominicam in Albis transferenda — quod anno 1940 eveniet —, cui diei est unumquodque assignandum?

Istius autem translationis non semper eadem servata est ratio.

Quaenam haec fuerit a fine saeculi XVI usque ad reformationem Pii v ostendit rubrica quaedam, quam post festum S. Benedicti seu diem 21 martii collocatam iam continet missalis romani editio princeps seu editio Mediolanensis anni 1474, ceterae vero editiones inter annum istum et annum 1570 emissae eodem loco exhibent: « Notandum quod de festis quae veniunt post feriam quartam maioris ebdomade, usque ad feriam secundam post octavam pasce, nichil tunc fit sed post octavam celebran-

tur » (1). Similemque rubricam post eundem diem martii habebant etiam breviaria illius aetatis. Praeterea e *Notandis* quae, saltem aliquando, in fine totius libri adiungebantur, *Notandum* de mense martii secundum erat hoc: « Si festum annunciationis beate virginis: vel aliud quodcunque festum venerit a feria quinta in cena domini inclusive usque ad dominicam in albis inclusive talia festa transferuntur usque post dictam dominicam in albis: et resumuntur ordine suo » (2). Festum igitur Annuntiationis non erat transferendum, nisi in triduum sacrum vel quattuor priores dies octavae paschalis incidebat. Festum autem S. Iosephi tunc tantum transferre necesse erat, cum in Cena Domini veniebat seu cum festum Paschatis erat die 22 martii. Verum hoc numquam inter annum 1478 et 1568 factum est et, quoniam festum S. Iosephi in nullo breviario vel missali anno 1479 antiquiore reperitur (3), valde dubium est unquam ante reformationem Pianam opus fuisse istud festum transferre. Notemus tamen oportet iam inde ab anno 1481 festum S. Iosephi gradu festi duplicis, immo duplicis maioris, auctum esse, ita ut cum festo Annuntiationis pari sollemnitate decoraretur (4). Ceteroquin, etiamsi si festa sollemnitate parilia non fuissent,

---

(1) Edit. R. Lippe, *Missale Romanum Mediolani 1474*, vol. I, HBS, XVII, 1899, p. 322-323. De praesentia eiusdem rubricae in editionibus posterioribus, v. Vol. II, HBS, XXXIII, 1907, p. 185-187.

(2) *Quedam rubrice ad informandos pusillos: et eliminandos errores: qui quotidie fiunt circa divinum officium ex ignorantia vel falso intellectu rubricarum authenticarum breviarii: tam antiquarum quam novarum procedendo ordinate per notanda de mense in mensem. Breviarium secundum ordinem sancte romane ecclesie: magna cum diligentia revisum: et fideli studio emendatum per fratrem Philippum de Rotingo Mantuanum ordinis minorum de observantia. Impressum Venetiis arte et impensis Octaviani Scōtti Modoetiensis Anno domini. M.CCCC.LXXXII* (ex colophone). Hoc missale in usum Fratrum Minorum editum est.

(3) D. C. A., *Le développement historique du culte de S. Joseph*, Revue Bénédictine, XIV (1897), p. 148-149, auctore Lucot, *St. Joseph*, étude historique sur son culte, premier office avec variantes, notes et traduction sur les documents des XVe et XVIe siècles: recueil de pièces tirées des anciennes liturgies, Paris, Plon, 1875, p. 39; 115-116; 182 et maxime I. Bollando, *Acta Sanctorum Martii*, t. III, p. 9.

(4) Lucot, *St. Joseph*, p. 39. Quanquam in ipso breviario anni 1482 (v. nota 2) festum S. Iosephi nondum comparet, in calendario tamen illius ad diem XIV kal. aprilis (19 martii) memoratur festum « Sancti Joseph confessoris. duplex maius ».

haec differentia nullum momentum habuisset in determinando ordine quo post suam translationem celebranda fuissent, quoniam rubrica quam supra dedimus, sine discrimine diversarum sollemnitatum, praescribit ut festa translata suo ordine resumantur.

Necessitatem festum S. Iosephi una cum festo Annuntiationis post octavam paschatis differendi paulo frequentiorem reddidit regula a Pio V edicta, quoniam haec utrumque festum etiam tunc transferendum esse statuit, cum in unum e quattuor prioribus diebus hebdomadis maioris caderet. In breviario namque illius papae, anno 1568 iuris publici facto, *Rubricae generales, De translatione festorum,* praescribebant ut festa duplicia vel semiduplicia quae occurrerent in tota maiori hebdomada et infra octavam paschatis, in primam diem festo duplici, vel semiduplici non impeditam transferrentur. Titulo autem festo Annuntiationis haec rubrica subiungebatur: « Si hoc festum venerit in maiori hebdomada vel infra Octavam Paschae, transfertur post Octavam ».

Eandem regulam exponebat rubrica quae in missali anni 1570, sicut in antiquioribus editionibus, missam S. Benedicti (21 martii) excipiebat: « De festis duplicibus et semiduplicibus quae veniunt a Dominica Palmarum usque ad octavam Paschae, nihil fit: sed post octavam celebrantur ». Quibus porro diebus translata festa celebranda essent, erat ad normam rubricarum generalium breviarii decernendum, nimirum celebranda erant primis diebus festo duplici vel semiduplici non impeditis, idque eo ordine qui iisdem rubricis definiebatur: « Si plura festa novem lectionum transferenda essent, prius transferatur duplex, quam semiduplex, et inter plura duplicia, quod est dignius, semper prius transferatur, et prius celebretur: alioquin si sunt aequalia, unum ante aliud transferatur suo ordine » (5).

(5) *Breviarium Romanum ex Decreto Sacrosanti Concilii Tridentini restitutum Pii V Pont. Max. iussu editum,* Romae MDLXVIII,

Qualis autem fuerit singulis aetatibus a reformatione Pii v (1568-1570) usque ad reformationem Pii x (1913) ratio praestantiae duorum festorum inter se, utrum aequalia fuerint an alterum prae altero sollemnitate eminuerit, non uno verbo declarari potest.

Saltem ab anno 1481 usque ad reformationem Pii v festum S. Iosephi fuisse duplex maius iam novimus; eundem autem gradum per id tempus obtinuit etiam festum Annuntiationis. Verisimile tamen est hoc festum praeterea fuisse de praecepto servandum, quod nolimus de festo S. Iosephi affirmare. In breviario et in missali Pii v utrumque festum duplex apparet. At cum mentio festi Annuntiationis in calendario illorum librorum, sicut festa sollemnissima vel sollemniora, charactere rubro notetur, in mentione festi S. Iosephi adhibetur character niger, quo etiam signantur festa semiduplicia ac simplicia et quaedam festa duplicia minoris sollemnitatis, puta octavam Epiphaniae, festum S. Agnetis, S. Ioannis Chrysostomi, etc. Opinamur ergo festum S. Iosephi a Pio v in numerum festorum duplicium minorum adscriptum esse. In missali quidem Clementis viii (7 iul. 1604) festa S. Iosephi et Annuntiationis ambo dicuntur duplicia et ambo colore rubro notantur. In eius breviario autem (10 mai. 1602) eadem est colorum differentia quam habent editiones Pii v.

Die 8 maii anni 1621 festum S. Iosephi decreto generali S. Congregationis Rituum deinceps de praecepto ab omnibus fidelibus ubique terrarum servandum esse statutum est (decr. 387). Catalogus autem Urbani viii (Constitutio *Universa per orbem*, 13 Sept. 1642) utrumque festum, S. Iosephi id est et Annuntiationis, complectitur. A Clemente x (1670-1676), anno 1670, festum S. Iosephi ad gradum festi duplicis secundae classis evectum esse fer-

---

In aedibus Populi Romani Apud Paulum Manuntium, 1 vol. Eadem plane ratio servatur in Breviario Clementis VIII. Adhibuimus editionem anni 1606, Ex Typographia Vaticana.

tur (6). Qua dignitate festum Annuntiationis tunc iam gaudebat vel illam brevi postea est adepta, eaque honoris aequalitas per duo fere saecula perduravit.

Anno quidem 1870 (die 8 dec.) Pius IX festum S. Iosephi ritu duplici primae classis celebrandum esse decrevit (7), sed 25 annis postea idem egit de festo Annuntiationis Leo XIII, die scilicet 27 maii 1895 (8), immo in *Catalogo* festorum die 27 augusti 1893 edito iam ambo festa inter primaria ritus duplicis primae classis ponuntur (9). Ex hoc excelso loco ad breve tempus depulsum est festum S. Iosephi cum decreto super Motu proprio Pii X *Abhinc duos annos* diei 28 oct. 1913 ad gradum festi duplicis II classis reductum est (10), opera vero Benedicti XV anno 1917 in illum est restitutum (11). Quare in *Catalogo* hodierno festorum utrumque festum denuo primarium ritus duplicis primae classis est. Exsistit tamen inter duas sollemnitates hoc discrimen quod canone 1247, § 1, festum S. Iosephi inter festa sub praecepto in universa Ecclesia servanda ponitur, non autem festum Annuntiationis.

Pro hodiernis autem normis de festorum praestantia haec nequaquam a feriationis obligatione pendet (12), sed

---

(6) L. Eisenhofer, *Handbuch der Katholischen Liturgik*, t. I, 1932, p. 600. Qua autem auctoritate hoc passim ab historicis asseveraretur reperire non potuimus. Alii rem Clementi IX (1667-1669) adscribunt.

(7) Decreto S. Congregationis Rituum die 8 dec. 1870 promulgato. Illud comitabatur *Epistola circularis eiusdem Congregationis ad Sacros Antistites eadem die data*, qua mens S. Pontificis plenius explicabatur. Acta Sanctae Sedis, VI (1870), pp. 193-196.

(8) Decr. authent. 3850.

(9) Decr. authent. 3810.

(10) I, c), *Periodica* VII (1914), p. 199. Anno 1911, Motu proprio *Supremi disciplinae*, 12 iul. 1911, *Periodica* VI (1912), p. 81, festum S. Iosephi, servato gradu festi primarii ritus duplicis I classis et octava, in dominicam diem 19 insequentem perpetuo translatum erat. Si tamen dies 19 in dominicam incidebat, festum hac die celebrandum erat. At decretum S. Congregationis Rituum 24 iul. 1911, n. I, ibid., p. 82, repositionem festi in dominicam eiusque octavam sustulit. Ritum tamen illius retinuit.

(11) S. Congr. Rituum decretum Urbis et Orbis, 12 dec. 1917, *Periodica* IX (1920), 57-58.

(12) *Additiones et Variationes in Rubricis breviarii ad normam bullae « Divino afflatu »*, tit. II.

ratione altioris ritus, maioris sollemnitatis, festi primarii aut secundarii, et proprietatis duo nostra festa inter se plane aequalia sunt. Una tantum ratione dignitatis personalis inter se discrepant, cum festum Annuntiationis manifeste festo S. Iosephi praestet.

Quibus de praestantia duorum festorum dictis, revertamur ad ipsam quaestionem de illorum translatione.

Anno igitur 1690, cum caderet festum Annuntiationis in sabbatum sanctum, episcopi Galliae S. Congregationem interrogaverunt quid agendum esset et num illo die, praeter solitum officium, aliae plures missae celebrandae essent ut fideles commodius praeceptum missae audiendae implerent. Respondit S. Congregatio decretum generale edendo quo plures missas sabbato sancto celebrari vetabat, festum vero Annuntiationis una cum praecepto audiendi missam et vacandi ab operibus in Ecclesia universali transferri debere edicebat « ad feriam secundam post dominicam in Albis, protractis omnibus aliis festis ad aliam diem iuxta Rubricas Breviarii Romani » (13).

Quae solutio mox, ut videtur, facta est norma constans in translatione festi Annuntiationis sequenda. Eam sancivit decretum S. Rituum Congregationis die 2 iulii 1748 datum (14). Quare in breviario titulo festi subiuncta est haec rubrica: « Si hoc Festum venerit in Dominica privilegiata, transferendum erit in Feriam secundam immediate sequentem, quocumque Festo etiam aequalis, non tamen altioris ritus in eam incidente. Si autem occurrerit in Hebdomada Maiori, vel Paschali, transferendum erit in Feriam II post Dominicam in Albis ». Huic porro plane similis erat rubrica quae in missali missam Annuntiationis subsequebatur. Non iam ergo communi lege sed privilegio regebatur translatio festi Annuntiationis.

---

(13) Decretum generale 12 febr. 1690; authen. 1822.

(14) Huius decreti mentionem reperimus in fine rubricae *Si hoc festum venerit*, in breviario quodam Venetiis anno 1795 in Typographia Balleoniana impresso.

At cur non idem privilegium concessum est festo S. Iosephi? Utrum quia festum S. Iosephi, etsi *Catalogo* Urbani VIII (1642) comprehendebatur, re tamen vera inde a saeculo XVII pluribus in regionibus vel etiam in universo orbe sub praecepto non iam servandum fuit, cum diversas ob causas coacta esset S. Sedes cum istius festi praecepti tum aliorum aliquot cessationem concedere? Unde fiebat ut ad rubricarum generalium normam festum S. Iosephi ipso die 19 martii sine incommodo gravi plane omitti posset et post octavam paschalem tamquam « festum chori » tantum, ut aiebant, celebrari (15). An e contrario, saltem prioribus post constitutionem Urbani VIII temporibus et in iis regionibus ubi praeceptum vigebat, ideo festum S. Iosephi privilegio carebat, quia, cum hoc festum numquam post Cenam Domini veniret, poterat eius feriatio in die 19 martii remanere, officium vero post octavam paschatis differri? Die enim Palmarum, sicut in omni dominica, plures missae celebrabantur, idemque sine magno incommodo fieri poterat tribus prioribus feriis hebdomadis maioris. Sin autem festum S. Iosephi in ipsam Cenam Domini incidebat, quod rarum est, at iam anno 1693 et iterum annis 1761 et 1818 evenit, vel fideles omnes uni missae adesse cogi poterant, vel etiam, ubi opus erat, plures missae celebrari.

Hanc rationem decreto suo generali diei 13 septembris 1692 (n. 1883) praescripsit S. Rituum Congregatio. Attenta videlicet universali consuetudine Ecclesiae celebrandi Feria V in Cena Domini unam tantum missam, dubium oriebatur num una cum Officio ipsius S. Iosephi transferri deberet anno praedicto (id est anno 1693) etiam obligatio audiendi missam ac vacandi ab operibus servilibus. Porro S. Congregatio, ad relationem Cardinalis Albani, re mature discussa, censuit: « Officium transferendum esse ad aliam diem, iuxta Rubricas Breviarii Romani et De-

(15) Vide *Epistolam circularem* in nota 7 indicatam. Acta Sanctae Sedis VI (1870), p. 194-196 et notam editorum.

creta ipsius Congregationis; ceterum praeceptum audiendi Missam et vacandi ab operibus praedictis non esse transferendum, sed servandum esse praedicta Feria V Maioris Hebdomadae, adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum, ut eo die aliquae quidem Missae privatae, ante celebrationem solitae Missae Conventualis, celebrandae pro praecepti impletione non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Missa solemni eius diei, quo Ecclesia SSmi Eucharistiae Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur ».

Duobus circiter saeculis post festum Annuntiationis huius privilegium denique cum festo S. Iosephi communicatum est, videlicet die 15 aug. 1892, decreto Urbis et Orbis S. Congregationis Rituum, iussu Leonis xiii edito: « Cum saepe saepius illius (S. Iosephi) Festum XIV Kalendas Aprilis affixum, ob occursum Dominicae passionis vel Hebdomadae Maioris ea die recoli nequeat, ac proinde eius celebratio iuxta rubricas aliquando nimium protrahenda sit, ne id in detrimentum vertat singularis illius obsequii quod suo caelesti Patrono universus Catholicus una simul exhibeat: Sanctitas Sua, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit ut iis annis, quibus praefatum Festum occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam secundam immediate sequentem; et quoties inciderit in Maiorem Hebdomadam, reponatur in Feria quarta post Dominicam in Albis, tamquam in sede propria: servato Rubricarum praescripto, quoad translationem Festorum iisdem diebus occurrentium » (16).

Quo decreto tollebatur simul omnis quaestio de ordine translationis et celebrationis duorum festorum. Porro anno 1895 eodem decreto quo festum Annuntiationis deinceps ritu duplici primae classis celebrandum esse edicebatur, etiam eius translationis lex plenius determinata

(16) Decr. authent. 3789.

est: « Quotiescumque vel Feria VI in Parasceve, vel Sabbato Sancto hoc Festum impediatur, toties Feria II, post Dominicam in Albis, tanquam in sede propria, ut antea reponatur; in qua integra cum sollemnitate ac feriatione et sine octava, prouti die 25 Martii celebrabitur. Quando vero illius tantummodo impediatur Officium, ad enuntiatam Feriam II amandetur, ac nonnisi Festo primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditam transferatur » (17).

Verum bis tantum festo S. Iosephi suo privilegio frui contigit, anno 1894 et 1913. Cum enim in Rubricis servandis ad normam Constitutionis apostolicae *Divino afflatu*, tit. III, n. 3, quibus duplicia I et II classis, si impedita essent, in proximiorem insequentem diem quae ab alio festo duplici I vel II classis, vel ab officiis huiusmodi festa excludentibus libera esset, transferri debere decernebatur, integrum nihilominus servaretur festi Annuntiationis et festi S. Iosephi privilegium: « Salvo tamen privilegio a Rubricis concesso Festivitatibus Purificationis et Annuntiationis B. M. V., nec non Commemorationis sollemnis S. Ioseph » (18), e contrario Decreto super Motu proprio *Abhinc duos annos*, 23 oct. 1913, tit. IV, n. 1, in quo de iisdem translationibus agitur, plane tollitur illud privilegium et translatio utriusque festi legi communi omnium festorum I et II classis subicitur: « Festa Duplicia I et II classis, tam Ecclesiae universalis quam alicuius loci propria, impedita, etiam perpetuo, quocumque sublato privilegio hucusque certis Festis concesso, transferantur in primum sequentem diem non impeditam », etc. (19). Quare in definitiva quoque editione Rubricarum ad normam Bullae *Divino afflatu*, 28 mart. 1914, tit. IV, n. 3, praeter alias quasdam mutationes, omnino omissa est duorum festorum privilegii mentio et cum in breviario

(17) Decr. auth. 3850. Cfr. *Acta Sanctae Sedis*, XXVIII (1895-1896), p. 57-58.
(18) *Periodica* VI (1912), p. 131.
(19) *Periodica* VII (1914), p. 201-202.

tum in missali desunt rubricae quae illud privilegium significabant.

At sublato utroque privilegio, orta denuo est quaestio de ordine quo duo festa, ad normas communis legis translata, celebranda sint. Duo festa quidem in feriam II et III post dominicam in Albis transferenda sunt. Utrum vero feria II, utrum feria III celebrabitur?

Ponamus tamquam priorem hypothesim etiam num vim habere antiquam Pii v regulam, ad quam e duobus festis duplicibus semper prius transferendum erat ac celebrandum illud quod dignius erat. Tunc dubium non est quin festum Annuntiationis feria II post dominicam in Albis, festum S. Iosephi feria III celebrandum sit.

Sin autem alteram ac contrariam hypothesim adhibentes, negabimus antiquam Pii v regulam, quae praestantia festorum nitebatur, hodie valere, ad contrariam quoque conclusionem veniemus: id est duo festa nobis eo ordine celebranda erunt quo propriis suis diebus celebrari solent, festum S. Iosephi feria II, Annuntiatio feria III post dominicam in Albis.

Porro ex istis hypothesibus utra probabilior aestimanda est?

Ad priorem commendandam dici potest, etiam post reformationem Pii x, vim suam servasse omnia et singula illa antiquarum *Rubricarum generalium breviarii* quibus *Additiones et Variationes ad normam Bullae « Divino afflatu »*, contraria non statuant; his autem nihil regulae Pii v de ordine in translatione festorum servando opponi.

Alteram suadet hypothesim quod e contrario negari posse videtur nihil de ordine translationis esse mutatum novis *Additionum et Variationum* rubricis. Etenim regula pro qua transferenda sunt festa in primam diem non impeditam, ut dicunt rubricae Pii v, vel in proximiorem insequentem diem quae libera sit, ut ferunt rubricae hodiernae, per se, id est nisi contrarium decernatur, significat festa illa esse disiuncte seu unumquodque pro se

transferenda, ita ut e duobus festis, etiam si eadem de causa transferantur, id quod ex ordine calendarii prius veniat, sine respectu alterius festi, quippe quod nondum adsit, prius quoque transferatur atque e duobus primis diebus liberis priorem occupet; alterum vero festum, cum postea occurrat, etiam postea transferatur, alteramque diem non impeditam occupet, quoniam priorem iam ante suam translationem occupatam inveniat.

At vero cum rubricae Pii v speciali quadam rubrica statuant plura festa aliquando etiam coniuncta esse transferenda et tunc rationem eorum praestantiae habendam esse, nihil simile in rubricis hodiernis agitur.

Nihilo minus, quamquam rem aliquantum dubiam remanere sinimus, potiorem tamen priorem hypothesim seu sententiam arbitramur et quoniam ad practicam quandam conclusionem veniendum est, censemus anno 1940 festum Annuntiationis feria II post dominicam in Albis, id est die 1 aprilis, festum S. Iosephi feria III seu die 2 eiusdem mensis celebrandum fore (20).

Ioannes Michael Hanssens, S. I.

Num in ritu byzantino officium dulcissimi Iesu aequiperetur pietati SS. Cordis Iesu

Antequam aliquod officium vel exercitium pietatis, quod sit maioris momenti et valoris, alio ritu assumatur et in proprium ritum introducatur, communia principia liturgica applicanda erunt et quidem: 1) Videatur, num non existat iam officium vel exercitium pietatis analogum in proprio ritu, quod cum illo, de quo agitur, aequiperetur; ita v. g. in ritu byzantino canones hymni, acathistia in honorem B. M. V. sufficienter, imo abundanter aequivalent

(20) Huic solutioni iam adhaesit C. Callewaert in praeclaro suo libro *De Breviarii Romani Liturgia* (Liturgicae Institutiones. Tractatus secundus), n. 361, p. 245.

Litaniis Lauretanis ritus latini. 2) Officio analogo absente, deficientibus etiam elementis, quae in officio efformando adhiberi possint, saltem forma exterior novi exercitii ritui proprio omnino congruat; cf. modum, quo Orientales catholici lucrati sunt indulgentiam Anni Sancti 1934 (AAS 26 (1934) p. 317-415). — 3) In casu extraordinario orationes, preces, hymni alterius ritus, quae a proprio ritu non sunt aliena et quae profunditate spiritus, arte litteraria, pulchritudine styli et rythmi excellunt, interdum, quamvis raro, non mutata in alium ritum transferuntur; cogita hymnum Ambrosianum, qui in ecclesiis byzantinis in gratiarum actionem pro beneficiis in vita ecclesiastica et civili a Deo acceptis sollemniter cantatur (1).

Exercitium pietatis erga Ss. Cor Iesu sine dubio est medium eximium sanctificationis et in Encyclicis praesulibus et fidelibus « communionem et pacem cum Sede Apostolica habentibus » saepius commendatur. De conditione et lege a S. Congregatione apposita: « Pietas erga Ss. Cor Iesu, tam late hodie per totam Ecclesiam diffusa, quae est maxime fovenda, hac tamen lege, ut forma exterior huius pietatis indoli ac normis ritus orientalis propriis omnino congruat », disseri potest sub respectu dogmatico et historico (2) vel de ipsa forma officii; in praesenti articulo de hoc altero respectu agetur.

I. - *De officio dulcissimi Iesu.*

Notae bibliographicae: de Officio dulcissimi Iesu (stichcris, precibus, canonibus-hymnis cum vel sine acathistio) (3).

---

(1) Quidam auctores orientales defendere conantur, hymnum S. Ambrosii niti in *Hymno ad Deum* S. Gregorii Nazianzeni, cf. PG. 37, 507-510.

(2) Ioseph Schweigl S. I., *De forma exteriore pietatis erga Ss. Cor Iesu quae ritui byzantino congruat*, in *Periodica de re morali canonica liturgica* 27 (1938) p. 332-340.

(3) Documentis allatis probari tantum intenditur, officium dulcissimi Iesu esse antiquissimum et in ritu byzantino valde diffusum.

A. - FONTES MANUSCRIPTI:

In Bibliotheca Vaticana: Vat. gr. 778, fol. 1-7: Θεοκτίστου τοῦ Στουδίτου ἀκολουθία καὶ κανὼν κατανυκτικός περὶ νήψεως καὶ νίψεως τοῦ νοὸς, ἡ ἀρχὴ: Ἰησοῦ Γλυκύτωτε, ψυχῆς ἐμὴς θυμηδία.

In Archivio aulico-imperiali Vindobon. (*Hof- und Staatsarchiv*): Cod. gr. Nr. 299: hymnis-canonibus (fol. 1-76) IOHANNIS EUCHAITIS (ca 1050) enumeratis, sequitur fol. 77-83 officium dulcissimi Iesu (graece), attamen sine stichēris; manuscriptum provenit ex saec. 12. vel 13, citatur et describitur a FILARETE archiep. Cernigovien., *Istoričeskij obzor pjesnopievets i pjesnopienij grečeskoj tserkvi* (*Conspectus historicus hymnographorum et hymnorum sacrorum ecclesiae graecae*) Petrogradii 1902, pg. 323-326.

In Bibliotheca Synodali Mosquensi (hodie in *Gossud. Ross. Istorič. Muzej*) Cod. mss. Nr 435 Psaltyr s šestodnevnom i izbrannimi službami, saec. 14; ibidem fol. 193-200 officium dulcissimi Iesu cum acathistio (slavice), recensitum apud NEVOSTRUJEV, *Opisanie slavjanskikh rukopisej Moskovskoj Synodalnoj Biblioteki* (*Descriptio manuscriptorum slavicorum Bibliothecae Synodalis Mosquensis*) vol. III, pars 1, pg. 537.

Cod. ms. Nr. 406, 407, 408: Psaltyr s vozsljedovaniem; ibidem officium dulcissimi Iesu cum acathistio et quidem Nr. 406, fol. 300-325 (saec. 15); Nr. 407, fol. 358v-370v (saec. 15); Nr. 408, fol. 484-497 (partim saec. 15. partim ex saec. 16). — recensiti apud NEVOSTRUJEV, o. c. vol. III, pars 1 pg. 419, 425, 431.

B. - FONTES IMPRESSI ANTIQUIORES:

Malaja podorožnaja knižnitsa (parvum itinerarium) FRANCISCI SCORINI (Vilnae 1525); ibidem officium dulcissimi Iesu cum acathistio, recensitum apud I. KARATAJEV, *Opisanie slavjano-russkikh knig* (*Descriptio librorum slavico-russicorum*) Petrogradii 1878, pg. 60, 66.

Nota: A saeculo XVII officium dulcissimi Iesu cum vel sine acathistio variis iam in libris liturgicis prelo editis invenitur.

C. - Fontes recenter impressi, libri liturgici ritus byzantini:

1) Editiones catholicae, et quidem
graece: *Horologion to Mega* (Romae 1878) pg. 324-328.
Horologion (Romae 1937) pg. 967-978.
rumaenice: *Orologhion* (Blaj 1934) pg. 594-602.
slavice: *Molebny ta Akathisty najčastiše wžywani,* Zovka 1938
Molitvoslov (Albertyn 1929).

2) Editiones dissidentes, et quidem
graece: *Horologion to Mega* (Athenis 1897?) pg. 552-558
rumaenice: *Orologiu* (ciasoslov) (Bucaresti 1912) pg. 275-298.
slavice: *Kanony i Akathisty* (Petrogradii 1906) pg. 71-103.
Ierejsky Molitvoslov (Mosquae 1907) pg. 133-148.

Nota: Officium dulcissimi Iesu cum vel sine acathistio legitur etiam in aliis libris liturgicis.

D. - Opera:

Florinsky, *Istoria bogosluževnykh pjesnopjenij pravoslavnoj katholičeskoj vostočnoj tserkvi* (*Historia hymnorum liturgicorum ecclesiae orthodoxae catholicae orientalis*), Kiev 1881.

Krumbacher, *Geschichte der byzantinischen Litteratur* 1897, pg. 655 ss, 672 ss.

Alexej Popov, *Pravoslavnye Russkie Akathisty,* Kazan 1903.

A. Maltzev, *Andachtsbuch,* Berlin 1895.

Saepius auditur novum quoddam officium Ss. Cordis Iesu in ritu byzantino introducendum non esse, cum officium dulcissimi Iesu pietatem erga Ss. Cor in se contineat ad eamque plene aequiperetur. Officium dulcissimi Iesu (stichera, canon, preces) est antiquissimum et communiter adscribitur S. Theoktisto (ca. 880), studitae, coaevo S. Ignatii, Patriarchae Constantinopolitani. In manuscriptis graecis illud officium nobis exstat ex saeculo 12. vel 13. (4); in manuscriptis vero slavicis ex saeculo 14. (5). De auctore et de tempore compositionis acathistii dulcissimi Iesu periti non conveniunt; alii ut Florinsky adscribunt illud Metrop. Iohanni Euchaiti Mauropodi (ca. 1050) (6), alii vero de hoc dubitant et asserunt, acathistium dulcissimi Iesu non esse ortum ante saeculum 12. vel 13. (7). In manuscriptis slavicis et in libris antiquitus impressis hoc acathistium indicatur cum nomine acathistii dulcissimi nominis Iesu (8), de eius autem identitate cum acathistio dulcissimi Iesu omnino constat (9).

Officium praefatum arte litteraria, pulchritudine rythmorum, profunditate idearum et affectuum distinguitur panditurque in ipso immensus thesaurus humanitatis et bonitatis Salvatoris, flagrantis amore et misericordia erga nos, ad quem in omnibus difficultatibus animae et corporis humiles nostras supplicationes pleni fiducia profundere valeamus. Praesules ecclesiae dissidentis officium dulcissimi Iesu cum acathistio simul cum officio B. V. M. omnibus numeris perfectum, quo pulchrius aliud inveniri vix possit iudicant (10). Versio huius acathistii in linguam germanicam legitur apud Maltzev (11). Officium dulcissimi Iesu in ritu byzantino est valde diffusum, ma-

(4) Cod. ms. 299 Archivii aulico-imperialis Vindob., vide notas bibliographicas.
(5) Cod. mss. 435, 406, 407, 408 Bibliothecae Synodalis Mosquensis
(6) Florinsky, o. c., pg. 196.
(7) Filaret archiep. Cernigovien., o. c., pg. 325.
(8) *Malaja podorožnaja knižnitsa* (Vilnae, 1525).
(9) Alexej Popov, o. c., pg. 42-43.
(10) Alexej Popov, o. c., pg. 629.
(11) A. Maltzev, *Andachtsbuch*, Berlin 1895, pg. 293-313.

gis apud Slavos et Rumaenos quam apud Graecos, magis apud dissidentes quam apud catholicos. Hoc officium saepe cantatur in ecclesiis cathedralibus (dissidentibus) diebus ferialibus loco officii officialis, legitur a monachis in cubiculis tamquam exercitium privatum obligatorium (12), praescribitur diaconis et sacerdotibus in praeparationem ante liturgiam (pravilo), fidelibus vero, ut rite ad ss. comunionem sese praeparent (13).

Ratione intimae relationis ad amorem Christi Salvatoris officium dulcissimi Iesu sine dubio prae aliis proxime accedit ad pietatem erga Ss. Cor Iesu.

II. - *De officio supplicationis (paraclesis, paraclisul, moleben) dulcissimi Iesu.*

Notae bibliographicae: de officio communis supplicationis (ἀκολουθία κοινὴς παρακλήσεως, moleben obščij).

A. - Fontes manuscripti:

In Bibliotheca Vaticana: Vat. gr. 341 fol. 305v-307: κανὼν παρακλητικὸς (ad B. V. M.); fol. 307-312v: κανὼν παρακλητικὸς ἁρμόδιος ψάλλεσθαι κατὰ πᾶσαν ἡμέραν.

(ex saeculo 13.) - in *Bibliothecae Vaticanae Apost. codices Vaticani graeci,* tom. II (330-503), auctore Rob. Devreese (Romae 1937) pg. 14-15.

In Bibliotheca Montis Athos: Cod. 881 — Θ 19, fol. 228a-231a: ἡ μικρὰ παράκλησις

ex anno 1332, — In *Harvard Theological Studies,* XII: Sophronius-Eustratiades, *Catalogue of the Greek manuscripts in the library of the Monastery of Vatopedi on the Mt. Athos* (Cambrigde 1924) pg. 135.

---

(12) *Inočeskoje kelejnoe Pravilo,* Mosquae 1904.

(13) K. Nicolsky, *Posobie k izučenju Ustava Bogosluženija Prav. Tserkvi* (*Promptuarium Ordinis officiorum divinorum*) Petrogradi 1907, pg. 357 in nota.

Cod. 251 — Γ 11, fol. 71a-80b: Μικρὰ παράκλησις
fol. 168a-174a: Μεγάλη παράκλησις ex saeculo 14. — In *Harvard Theological Studies,* XII, o. c. pg. 32.
Alia manuscripta graeca de officio supplicationis vide citata in *Euchologion to Mega* (Athenis 1927) pg. 439-446 in notis.

In Bibliotheca Synodali Mosquensi: Cod. Nr. 403 fol. 20-23: de officiis supplicationum, ex saeculo 16. — In *Novostrujev,* o. c. tom. III pars I, pg. 394.

B. - FONTES RECENTER EDITI; libri liturgici ritus byzantini:

1) Editiones catholicae:
graece: *Horologion to Mega* (Romae 1876) pg. 292-306.
Paracletike (Romae 1885) pg. 737-745.
Horologion (Romae 1937) pg. 901-922.
rumaenice: *Horologhion* (Blaj 1934) pg. 577-593.
slavice: *Molebny ta Akathisty najčastiše wzywanj,* Zovka 1938.
Molitvoslov (Albertyn 1929).
Pomjanik (Romae 1935).

2) Editiones dissidentes:
graece: *Euchologion to Mega* (Athenis 1927) pg. 439-446.
rumaenice: *Orologhion* (ciasoslov) (Bucaresti 1912) pg. 351-363.
slavice: *Octoikh* (Mosquae 1906) pars I fol. 332-335v: pars II fol. 313v-317.
Pomjanik (Varsaviae 1930).

Nota: Idem officium supplicationis invenitur etiam in aliis libris liturgicis ritus byzantini; versionem eius latinam vide apud GOAR, *Euchologion* (Venetiis 1730) pg. 673-680.

Iam ex titulis, quibus hoc officium inscribitur in manuscriptis: κατανυκτικὸς et ex ipso textu (sticheris) ap-

paret, hoc officium in antiquitate una cum officio divino officiali celebratum esse. Decursu vero saeculorum officia supplicationum ad B. V. M., deinde ad Christum Salvatorem, ad Angelos, ad Sanctos etiam separatim ab officio officiali peragebantur, ita tamen ut in forma exteriore Matutini et Laudum (Orthros, Utrenja) structura retineretur, quamvis valde reducta. Officium supplicationis (paraklesis) ad B. V. M. est antiquissimum, quod, cantatum cum canone Theostericti monachi (ca. 830), nominatur paraclesis minor, cum canone vero imperatoris Theodori Ducae Lascaris (1259), paraclesis maior. Iam a saeculis (praesertim in redactione slavica) coerimonia supplicationis (paraclesis) ad B. V. M., mutatis mutandis (troparion, evangelium, canon cum vel sine acathistio, preces finales) adhibetur in officiis supplicationum ad Dulcissimum Iesum, ad Angelos, ad Sanctos (14).

III. - *Num officium (supplicatio) Dulcissimi Iesu elementa pietatis erga Ss. Cor Iesu contineat.*

Inter omnia officia D. N. J. C. officium (supplicatio) Dulcissimi Iesu ratione amoris et humanitatis Christi Salvatoris in ipso enuntiatae, proxime accedit ad pietatem erga Ss. Cor. Iesu. Ut tamen illam adaequet, in ipso officio sequentia elementa essentialia expressa inveniri debent: 1) Amor Christi erga nos et noster amor erga Christum seu Amor Christi redamatus a nobis; 2) ratio satisfactionis et reparationis ex nostra parte pro delictis contra Deum, Christum, Eucharistiam, Ecclesiam commissis (15); 3) ut occurrant expressiones, ut « Cor Iesu », « Cor Salvatoris » « Cor Christi »; nam vix potest dici officium Dulcissimi Iesu continere pietatem erga Ss. Cor Iesu, si

(14) Cod. 403 Bibliothecae Synodalis Mosquensis.

(15) Litterae Encyclicae: *Miserentissimus Redemptor*, AAS, 20 (1928) p. 165-178, praesertim p. 169. — Litterae Encyclicae: *Caritate Christi compulsi*, AAS, 24 (1932) p. 176-194.

ratio cordis numquam nominetur (16). Primum requisitum, nempe ratio Amoris Christi Salvatoris a nobis redamati in officio Dulcissimi Iesu adest, secundo vero et tertio requisita ex rationibus in articulo praecedente indicatis desunt (17).

Hinc concludendum erit: officium Dulcissimi Iesu rationem pietatis erga Ss. Cor Iesu quidem attingere, non vere adaequare.

IV. - *De officio supplicationis (moleben) Dulcissimi Iesu expiatorio secundum Motu Proprio: « Nostra Animarum ».*

Quamvis officium Dulcissimi Iesu et officium Ss. Cordis Iesu non convertuntur, attamen in officio supplicationis Dulcissimi Iesu expiatorio, Motu Proprio *Nostra animarum* praescripto (18) iam plures rationes exhibentur, quae ad pietatem erga Ss. Cor Iesu requiruntur. Hoc documentum Pontificium haec asserit:

« Hoc in templo (19) qualibet feria sexta, sollemnius vero prima feria sexta singulorum mensium, peculiaris supplicatio celebretur ad normam antiqui officii slavici, quemadmodum apud Ruthenos nostros et apud ipsos ab Apostolica Sede dissidentes fieri solet, quaeque inscribitur « Dulcissimi Iesu ».

Singulis annis sollemnior supplicatio pro iisdem populis cum liturgico eodem officio « Dulcissimi Iesu » celebretur feria sexta, quae secundam Dominicam post Pentecosten sequitur, ut, qui mitis est et humilis Corde, Christus Salvator mundi, Russiae populos ad seipsum et ad suam Ecclesiam reducere dignetur, eisque demum verum

(16) Cf. Officia Christi Regis, Nominis Iesu, Cordis Iesu.
(17) *Periodica de re morali canonica liturgica* 27 (1938) p. 332-340.
(18) AAS, 24 (1932) p. 353-354.
(19) Templum S. Antonii Abbatis in Esquiliis byzantini ritus.

domi forisque pacem cum christiana animarum laetitia ipsaque rerum temporalium prosperitate benignissime concedat.

Ut vero omnes slavici ritus filii Nostri ad easdem gratias implorandas magis magisque excitentur, praecipimus ut qui Consociationi praesunt, quam « Apostolatum Orationis » vocant, peculiarem eiusdem generis coetum in hoc templo instituant, qui de reparatione et expiatione pro nefandis « atheorum militantium » sceleribus sit sollicitus ».

Troparion (oratio) a Pontificia Commissione pro Russia ad hunc finem approbatum (Prot. 200/33) ita sonat:

Dulcissime Iesu, Amor ineffabilis qui dixisti: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos; et discite a me quia mitis sum et humilis corde », fac nos reddere amorem pro amore, offerentes Tibi opera dignae expiationis, servare Tua mandata, sincere diligere se invicem, intercessione Genitricis, solus amator hominum ».

In officio supplicationis legitur evangelium S. Mathaei c. 11, 27-30, ubi proferuntur verba: « Discite a me omnes, quia mitis sum et humilis corde ».

Ut vero hoc officium expiatorium pleno numero evadat officium pietatis erga Ss. Cor Iesu et ut ratio styli liturgici habeatur, indoles huius pietatis saltem in precibus finalibus directe et expresse enuntianda erit. In precibus finalibus eligendis datur maxima et amplissima libertas liturgica; prohibetur tantum, ne preces sint proprio precantis marte compositae, sed gaudeant oportet approbatione ecclesiastica (20).

Pro fine intento oratio consecrationis, a P. Leone XIII praescripta, cuius argumentum et forma a ritu byzantino minime est aliena, praeclare indolem pietatis erga Ss. Cor

(20) P. I. Nečaev, *Praktičeskoe rukovodstvo dlja svjaščennoslužitelej* (*Manuale practicum pro ministris cultus*), Petrogradii 1910, p. 344.

Iesu transmittit et proin optime tamquam preces in fine officii dicendae usurpatur; reddamus textum latine (21).

Iesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem Tibi coniuncti firmius esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte sua dedicat. — Te quidem multi novere nunquam: Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Iesu: atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, non fidelium tantum qui nullo tempore discessere a te, sed etiam prodigorum filiorum qui Te reliquerunt: fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto denique eorum omnium, qui in vetere gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumnitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis: perfice ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi honor et gloria in saecula: amen ».

Officium (supplicatio) expiatorium una cum oratione P. Leonis XIII, utpote diversum a simplici officio (supplicatione) Dulcissimi Iesu, rite insigniri possit nomine: officium (supplicatio) Dulcissimi Cordis Iesu (22).

V - *Litterae Encyclicae*: « *Caritate Christi compulsi* » *et Motu Proprio*: « *Nostra animarum* » (23).

Duo haec documenta non solum fere eodem tempore edicta sunt, sed etiam eadem mente et iisdem affectibus

(21) *Leonis XIII Pont. Maximi Acta* 19 (1910) pg. 80. Formula consecrationis in linguam slavicam versa est a D. W. Ivanov, professore linguae palaeo-slavicae in Pont. Inst. Orientali.

(22) Cf. Postcommunionem in Missa Ss. Cordis Iesu: Cogitationes Cordis.

(23) Litterae Encyclicae: De precationibus piaculisque Ssmo. Cordi Iesu exhibendis in praesentibus humani generis aerumnis, AAS, 24 (1932) p. 176-194.

generata, quibus animus Romani Pontificis gloriose regnantis commovebatur, cum aspiceret aerumnas totius mundi, quibus speciali modo afficiebatur, cum cerneret calamitates spirituales vastarum regionum Russiae, quosque duobus sollemnibus documentis expressit: Litteris Encyclicis *Caritate Christi compulsi* et Motu Proprio *Nostra animarum*. Quod autem partem liturgicam huius expiationis faciendae attinet, studiis liturgicis de hac re tunc nondum absolutis, Motu Proprio solum ea elementa expiationis et satisfactionis intimantur, quae Orientalibus catholicis et dissidentibus sunt communia, quibus primum initium habet pietas et cultus Ss. Cordis Iesu, omni feria sexta agendus, sollemnius vero prima feria sexta: et sollemnissime die qui concurrit cum festo Ss. Cordis Iesu. Qui cultus, sic inchoatus, facile possit evadere cultus adaequatus, quamvis primitivus, Ss. Cordis Iesu in ritu byzantino.

VI - *De officio (supplicatione) Dulcissimi Cordis Iesu et de stylo liturgico.*

In re liturgica occidentali et orientali praesenti tempore plus quam aliis aetatibus extollitur stylus liturgicus. Sicut in architectura diversi distinguuntur styli: romanus, gothicus, byzantinus, (cogita Basilicam S. Petri Romae, Ecclesiam cathedralem Mediolani, templum S. Marci Venetiis), ita unusquisque ritus constituit aliquod unum harmonicum, secundum certas leges artis constructum, quod elementis alienis infringi non licet. Num autem aliquod officium debito stylo liturgico gaudeat, diiudicandum erit aut ex plena scientia ritus aut ope alicuius criterii externi, quod in casu fere convertitur cum principio Lirinensi: id quod semper, ubique et ab omnibus admissum sit. Applicando hoc principium ad officium Dulcissimi Cordis Iesu dici possunt, quae sequuntur:

1) Officium Dulcissimi Iesu, ad quod pietas erga Ss. Cor Iesu arcte adaptatur, est antiquissimum et semper per saecula continuatum, ut ex manuscriptis patet.

2) Tum officium tum supplicatio (moleben) Dulcissimi Iesu cui pietas erga Ss. Cor Iesu inseritur, invenitur iam a saeculis in libris liturgicis catholicis et dissidentibus, idiomatis graeci, rumaenici et slavici; ubique diffusum et amatum, in usu est apud clerum regularem et saecularem et apud fideles; cuius structura convertitur cum officio officiali Matutini et Laudum (Orthros, Utrenja).

3) Elementa essentialia pietatis erga Ss. Cor Iesu iis in partibus exprimuntur, ubi secundum leges liturgicas exprimi possunt et debent, nempe in tropario, evangelio, precibus ultimis; neque admittuntur plura elementa quam omnino necessaria; ea, quae desunt, ut officium completum constituatur, sumuntur de Communi festorum D.N.I.C.

Principiis liturgicis observatis, elementis essentialibus, quae requiruntur et sufficiunt, expressis, praedictum officium Dulcissimi Iesu non videtur recedere ab indole ritus byzantini, imo omnino ei congruere.

VII - *Officium Dulcissimi Cordis Iesu supra descriptum et officium Ss. Cordis Iesu Ruthenorum.*

Officio cum officio collato, differentiae textus, structurae et caerimoniarum conspiciuntur. In hoc altero enim officio supponitur plena cognitio dogmatica cultus Ss. Cordis Iesu; destinatur fidelibus, qui minus laborant difficultatibus, quas experiuntur neo-conversi.

Officia supplicationum Ss. Cordis Iesu (24), quae ab influxu latino non sunt immunia, magis secundum rationem graecam antiquiorem quam slavicam efformata sunt (25). Neoconversos, qui utilitatem pietatis erga Ss. Cor Iesu apud

(24) *Molebny ta Akathisty najcastise wzywani*, Zovka 1938.

(25) Cf. manuscripta graeca, quae in *Euchologion to Mega* Athenis 1927 edito, pg. 439-446 citantur.

se ipsos et apud alios experti fuerint, officium liturgiae et acathistium Ss. Cordis Iesu, a S. Sede approbata, libenter admissuros esse, supponere licet.

Dissertatio existimari potest studium, quod peritis iudicandum traditur, conatus aliquis efficiendi ut amor Salvatoris ubique cognoscatur et colatur, praesertim ut quam primum in ipsa Russia expiationes et piaculae fiant, ad mentem precum quae ex cordibus plus quam 240 centenorum millium inscriptorum « Apostolatus Orationis » mense Iunii 1937 ad thronum misericordiae et bonitatis divinae advolaverunt: « Ut cultus Ss. Cordis Iesu in vastissimas Russiae regiones introducatur ».

Ioseph Schweigl, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A — Litterae Decretales trinae, die 17 apr. 1938 datae, de trina sollemni canonizazione qua Beatus Andreas Bobola martyr, Societatis Iesu Sacerdos, Beatus Ioannes Leonardi, Clericorum Regularium Matris Dei Congregationis Fundator et Beatus Salvator ab Horta, Laicus professus Ordinis Fratrum Minorum ad caelitum sanctorum honores evecti sunt.

Infine autem brevis praeconii quod S. Pontifex de illis novis Sanctis in eorum canonizatione texit, haec verba adiecit quae in Suis hisce Litteris iterare Ei collubuit: « Tribus in his Caelitibus peculiaris videtur Nobis providentissimus Deus benevolentiae dedisse pignus; quandoquidem iidem — populis in praesens tanto rerum discrimine turbatis — novam Ecclesiae portendunt meliorum temporum spem. Quorum Caelitum alterum, Poloniae decus, christiani Orientis et Occidentis unitatem suis precibus imploraturum confidimus, in cuius finibus ipse martyrii palmam promeruit; alterum catholicae Hispaniae, pace tandem concordiaque redintegrata, vigentiora christianae vitae opera conciliaturum; alterum denique sacris Missionalium expeditionibus uberiora usque incrementa deprecaturum, quas ipsemet indefaticabili studio suasit atque provexit. Benignissime iidem patriam quisque suam respiciant; suaque tutela efficiant ut, — errorum colluvione prohibita, quae ima Civitatis fundamenta subruens atque corrumpens, populos in barbariem veterem detrudere conatur — nostra quoque aetate eaedem Nationes validissima extent catholicae religionis civilisque cultus propugnacula. Itemque Ecclesiam universam benevolenti vultu respiciant, atque una simul comprecando a Deo impetrent, ut eius ductu e praesentibus tempestatibus victrix emergens, novos agat triumphos, omnesque gentes ad unum Iesu Christi ovile feliciter reducat. Amen » (*AAS* xxx [30 novembris 1938], p. 357 ss.; p. 369 ss.; [23 decembris 1938] p. 389 ss.).

B — Constitutione Apostolica *In dissitas terrarum,* 21 maii 1938, missio « sui iuris » de Karafuto in Iaponia ad praefecturae apostolicae gradum et dignitatem evehitur (*AAS* xxx [23 decembris 1938], p. 400 s.).

C — Constitutione Apostolica *Ad evangelizationis opus,* 21 maii 1938, a vicariatu apostolico Borneae Hollandicae pars seiungitur, quae in praefecturam apostolicam nomine de Bandjermasin nuncupandam erigitur (*AAS* xxx [23 decembris 1938], p. 402 s.).

D — Constitutione Apostolica *Ad regnum Dei,* 14 iunii 1938, Vicariatus Apostolicus de Laos dismembratur et nova erigitur praefectura apostolica de Vientianae et Luang-Prabang (*AAS* xxx [23 decembbris 1938], p. 403 ss.).

E — Litteris Apostolicis *Misericordia Dei,* 6 nov. 1938, venerabilis Dei famula Maria Iosepha Rossello e Tertio Ordine S. Francisci, Fundatrix Instituti Filiarum Nostrae Dominae a Misericordia, beata renuntiatur (*AAS* xxx [23 decembris 1938], p. 405 ss.).

F — Motu proprio *Qua cura,* 8 dec. 1938, de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Italiae pro causis nullitatis matrimonii decidendis.

De his porro tribunalibus, S. Pontifex, motu proprio certa scientia ac de Apostolicae plenitudine potestatis, haec omnia, quae sequuntur, statuenda decrevit ac decernit:

I. Singula quaeque Regio Conciliaris seu Ecclesiastica Italiae constituet circumscriptionem unicam unumque habebit regionale tribunal quoad tractationem et decisionem causarum de nullitate matrimoniorum. Ideoque in prima instantia tractabuntur causae Regionis Conciliaris 1) Pedemontanae apud tribunal *Taurinense;* 2) Longobardicae, apud *Mediolanense;* 3) Liguriae, apud *Ianuense;* 4) Aemiliae, apud *Mutinense;* 5) Venetae, apud *Venetiarum;* 6) Romandiolae, apud *Bononiense;* 7) Aetruriae, apud *Florentinum;* 8) Umbriae, apud *Perusinum;* 9) Picenae, apud *Firmanum;* 10) Latii, apud Tribunal *Vicariatus Urbis;* 11) Aprutinae, apud *Teatinum;* 12) Beneventanae, apud *Beneventanum;* 13) Lucanae et Salernitanae, apud *Salernitanum;* 14) Campanae, apud *Neapolitanum;* 15) Apuliae, apud *Barense;* 16) Calabriae, apud *Rheginense;* 17) Siculae, apud *Panormitanum;* 18) Sardiniae, apud *Calaritanum.*

II. Pro tractatione praedictarum causarum in gradu appellationis, incolumi semper facultate directe provocandi ad Sacram Romanam Rotam iuxta can. 1599, § 1, n. 1. Codicis I. C., ad quam Vicariatus Urbis semper appellabit, ita procedetur:

Ad tribunal Taurinense deferentur causae in prima instantia tractatae apud tribunal *Ianuense;* ad tribunal Ianuense, quae apud tribunal *Mediolanense;* ad tribunal Mediolanense, quae apud tribunalia *Taurinense* et *Venetiarum;* ad tribunal Venetiarum, quae apud tribunal *Bononiense;* ad tribunal Bononiense quae apud tribunalia *Florentinum* et *Mutinense;* ad tribunal Florentinum, quae apud tribunalia *Perusinum* et *Firmanum;* ad tribunal Vicariatus Urbis, quae apud tribunalia *Neapolitanum* et *Calaritanum;* ad tribunal Neapolitanum, quae apud tribunalia *Panormitanum, Rheginense, Salernitanum* et *Beneventanum;* ad tribunal Beneventanum, quae apud tribunalia *Barense* et *Teatinum.*

III. Officiales, iudices, promotores iustitiae, defensores vinculi aliique administri horum tribunalium — excepto tribunali Vicariatus Urbis, cuius Officialis, iudices, etc. ab ipso Summo Pontifice, proponente Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario, nominabuntur — deligendi sunt et constituendi, ad definitum tempus, ab Exc.mis Ordinariis in Coetibus Regionalibus.

IV. Horum tribunalium iura et officia necnon practicam agendi rationem Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum definiet, etiam circa tempus quo quae supra statuimus executioni demandanda sint, necnon circa normas temporarias relate ad causas pendentes.

V. Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum vigilem sedulamque, pro suo munere, det operam, ut tum Officiales, tum iudices, tum, praesertim, promotores iustitiae et vinculi defensores muneribus suis rite naviterque perfugantur iuxta normas ab eadem S. C. editas vel edendas (*AAS* xxx [23 decembris], p. 410 ss.).

2 - S. C. Consistorialis

Decreto 22 oct. 1938, a paroecia S. Laurentii in *Cospaia* partem illam territorii quae in finibus provinciae Aretinae invenitur, separat eamque paroeciae S. Ioannis Baptistae in *Trebbio,* dioecesis Biturgensis, perpetuo attribuit; simulque partem territorii paroeciae S. Nicolai in *S. Francisco,* quae intra provinciam Perusinam continetur, dismembrat et paroeciae S. Lauren-

tii in *Cospaia,* dioecesis Civitatis Castelli, in perpetuum attribuit; mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus (*AAS* xxx [30 novembris 1938], p. 414 s.).

3 - S. C. Rituum

Causa canonizationis:

Vicen. Decretum 6 iul. 1938, Super dubio: an signanda sit commissio reassumptionis Causae Canonizationis B. Antonii M. Claret Conf. Pont. in casu et ad effectum de quo agitur canonizationis B. Antonii Mariae Claret, Confessoris Pontificis, Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. Mariae V. Fundatoris (*AAS* xxx [30 novembris], p. 382 s.).

4 - Provisio Ecclesiarum

A - *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

6 dec. 1938, Exc. R. P. Abilius Vaz das Neves, Cathedrali Ecclesiae Brigantiensi.

10 dec. 1938, R. D. Iacobus Staunton, Cathedrali Ecclesiae Fernensi.

14 nov. 1938, R. D. Humbertus Malchiodi, Archiepiscopali Ecclesiae Camerinensi.

14 nov. 1938, R. D. Humbertus Ravetta, Cathedrali Ecclesiae Senogalliensi.

B - *Decretis S. C. pro Ecclesia Orientali nominati sunt*:

8 iulii 1938, R. D. Georgius Baraka, Cathedrali Ecclesiae Hermopolitanae Coptorum.

6 sept. 1938, R. P. Abraham Elias, Archiepiscopali Ecclesiae Sehnaensi Chaldaeorum.

15 oct. 1938, R. P. Athanasius Toutoundgi, Archiepiscopali Ecclesiae Hemesensi Melchitarum.

5 - Necrologium

28 oct. 1938, R. D. Bartolomeus Stanislaus Wilson, Episcopus tit. Acmoniensis.

14 nov. 1938, R. D. Camillus van Ronslé, Episcopus tit. Timbriadensis.

26 nov. 1938, R. D. Antonius Bahaban, Episcopus Caesareae Cappadociae Armenorum.

4 dec. 1938, R. D. Iosephus Teodorowicz, Archiepiscopus Leopolensis Armenorum.

4 dec. 1938, R. D. Alfonsus Archi, Archiepiscopus Caesenatensis.

6 dec. 1938, R. D. Donaldus Martin, Episcopus Ergadiensis et Insularum.

7 dec. 1938, R. D. Goffredus Zaccherini, Episcopus tit. Memphitanus.

6 - Commissio Pontificia de Re Biblica

MONITUM

DE PRAEMIIS A PONTIFICIA COMMISSIONE BIBLICA CONFERENDIS

A Pontificia Commissione de Re Biblica, anno 1939, duplex praemium utrumque centum dollariorum, pro dissertationibus de argumento biblico conscribendis distribuetur.

Argumenta tractanda haec sunt:

1. Pro primo praemio obtinendo: *S. Ignatius Antiochenus novitne quartum Evangelium?*

Textus tum quarti Evangelii tum S. Ignatii lingua graeca referendi sunt.

2. Pro secundo praemio obtinendo: *De charitate erga proximum in Veteri Testamento.*

Ius ad primum praemium contendendi iis omnibus iisque solis competit, qui inter auditores cursus theologici in Seminario quodam Maiori adscripti sunt.

Ius autem ad secundum praemium contendendi iis omnibus iisque solis competit, qui scholas Facultatis cuiusdam theologicae vel Athenaei, cui fas est gradus academicos conferre, frequentant.

Dissertationes linguis latina, anglica, gallica, germanica, hispanica, italica, exarari poterunt, at scriptoria machina conscriptae esse debent.

Nomen auctoris non in ipsa dissertatione, sed in folio seiuncto indicabitur simul cum inscriptione Seminarii vel Facultatis seu Athenaei cuius auctor est alumnus et cum attestatione Rectoris vel Magistri Sacrae Scripturae. Folium hoc obsignatum exterius lemmate notetur, initio dissertationis repetendo, ac si-

mul cum ipsa dissertatione usque ad diem 31 mensis octobris anni 1939 ad infrascriptum Secretarium Pontificiae Commissionis Biblicae Romam mittatur [Al Rev. Padre Giov. Battista Frey, Segretario della Pontificia Commissione Biblica, via Santa Chiara, 42 — Roma (117)].

De collatione praemiorum decernent E.mi DD. Cardinales Pontificiae Commissioni Biblicae praepositi, iuxta legitima suffragia Rev.morum DD. DD. Consultorum eiusdem. Ubi res postulaverit, praemia constituta etiam duobus candidatis per partes aequales vel proportionatas adiudicari poterunt. Sententia vero in Actis Apostolicae Sedis publici iuris fiet.

Romae, die 31 Octobris 1938.

Ioannes Baptista Frey, C. S. Sp., *Secretarius.*

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

L'Abbé Herbert Bednorz, *Le concordat de Pologne de 1925.* Paris (Domat-Mont-chrestien) 1938, 16,5×25,5 cm., 212 p.

Abrégé historique des concordats conclus par la Pologne et les Etats copartageants de la Pologne. - Les principes généraux de collation des offices et bénéfices ecclésiastiques, établis par les concordats d'après-guerre. - La nomination des évêques aux temps d'après-guerre. - L'attribution des bénéfices paroissiaux, d'après les concordats récents: L'attribution des bénéfices paroissiaux de libre collation, d'après le concordat polonais et les autres concordats récents. La collation des bénéfices paroissiaux soumis au droit de patronat. - Conclusion.

Lucien Bézuiller Rédemptoriste, *Alfred Soussia.* Paris (Téqui) 1938, 12×19 cm., 177 p., pretium Fr. 10.

Les Origines - L'Instituteur - Le Chef de famille - Le Chrétien - La Victime - Le Privilégié - L'âme reconnaissante - L'Holocauste.

Giovanni Bitelli, *La Santa degli Italiani.* Roma (Paravia) 1938, 14×22 cm., 354 p., pretium L. it. 10.

La visione: Ubbidienza, Sotto i colpi di maglio, « Et ne nos inducas in tentationem », Carità, La missione. Ombre e luci nel Trecento: Inciampi, Siena, A Lucca e a Pisa, « Il sangue dello svenato e consumato Agnello », Avignone, Il passo più difficile è quello della porta, La spada al petto, Roma, « Padre, nelle tue mani raccomando l'anima mia! ».

F. Cimetier, *Pour étudier le Code de Droit Canonique.* Paris (Gabalda) 1938, 12×19 cm., 69 p.

Règles Générales: Bibliographie, Document complémentaire - Des personnes: Bibliographie, Réponses et décisions, Documents complémentaires - Des choses: Bibliographie, Réponses et décisions, Documents complémentaires - Des procès - Des délits et des peines: Bibliographie, Réponses et décisions, Documents complémentaires.

John C. Ford S. I., *The Validity of Virginal Marriage.* Worcester, Mass. (Harrigan Press, Inc.) 1938, 18×25 cm. ix-139 p., pretium $ 1,50.

The essence of Marriage: Limiting the Question, The Essentials of Marriage in General, The Marriage Right as a Relation, The Radical Right in Marriage, Conjugal Love. The condition of preserving virginity: Definition of Terms and Status Quaestionis, The Argument from the Nature of Marriage, The Argument from Post-Marital Agreements, The Argument from Pre-Marital Agreements. The Opinions of Authors.

Armandus Gougnard, *Tractatus de Extrema Unctione,* Mechliniae (Dessain) 1938, 14,5×22 cm., 95 p.

De notione et exsistentia extremae unctionis: De nomine et definitione. De elementis constitutivis extremae unctionis: De materia remota, De materia proxima, De forma, De caeremoniis. De effectu extremae unctionis: De effectibus. De ministro extremae unctionis: De ministro. De subiecto extremae unctionis: De conditionibus ad extremae unctionis susceptionem requisitis, De necessitate extremae unctionis, De iteratione extremae unctionis. Appendix: De visitatione et cura spirituali infirmorum, Animadversiones finales.

Ch. Henri Pradel, *Les Lectures des Jeunes.* Paris (Téqui) 1938, 12×19 cm., vii-200 p., pretium Fr. 12.

Veiller: Ouvrir l'oeil sur le problème, Prendre conscience de la gravité et de la complexité de ce probleme, Avoir le sentiment du danger, Favoriser quand même la lecture, Surveiller intelligemment les lectures - Protéger: Ecarter les lectures dangereuses; Inculquer des convictions solides, Démolir les objections et les préjugés, Faire prendre de sages habitudes, Exercer à l'autodéfense - Diriger: Se préparer à ce rôle de guide, Préparer le lecteur, Apprendre à choisir ses lectures, Indiquer les sources de renseignement, Apprendre à s'organiser pour la lecture - Former: Ecarter les mauvaises façons de lire, Enseigner la bonne manière de lire, Se préoccuper des autres en lisant, Former le jeunes à servir les autres par le livre, Aider les ouvres d'apostolat par la lecture.

De Priester Missiebond. Beschouwingen, Voorschriften, Privilegiën. Uitgegeven als « Priester-Bijlage » van het Missiewerk, December 1938, 16×24 cm., 136 p.

Inleiding. Beschouwingen. Het Missievraagstuk en de Priesters. De Geschiedenis van den Priestermissiebond in Nederland. Documenten. Paus Pius xi over de missieactie der Priester en

Geloovigen. Bisschoppelijke Bepalingen over Missieactie. De Priestermissiebond. De Pauselijke Missiegenootschappen.

II - Ex Periodicis

BOHOSLOVIA XVI (1938) fasc. 2-3 — Dr. Leo Hlynka, *De codificatione iuris ecclesiastici orientalis*, p. 75-89.

LA CITE CHRETIENNE XIII (1939) fasc. 1 (5 janv.) — Dives, *L'assistance à la Messe*, p. 131-132.

COLLATIONES BRUGENSES XXXVIII (1938) fasc. 6 (nov.-dec.) — V. Coucke, *De intentione, probitate et fide ministri sacramentorum*, p. 465-478.

COLLECTANEA COMMISSIONIS SYNODALIS XI (1938) fasc. 11 (nov.) — P. Petit, S. I., *La vie commune dans le clergé séculier*, p. 949-963.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA XIII (1939) fasc. 1 (ian.) — A. Gougnard, *La loi du jeûne d'après le « Concile Provincial de Malines*, p. 5-13 — G. Thils, *De iis quae in adulto requiruntur ad baptismi receptionem*, p. 31-34. — A. Van Hove, *De H. Mis te Middernacht*, p. 38-43.

ESTUDIOS LX (1938) fasc. 330 (dec.) — Raùl Montes Ugarte, *Leyendo las Enciclicas*, p. 733-740.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN XXXIX (1939) fasc. 1 (ian.) — P. Lucidius Verschueren O. F. M., *Devotie en Devoties*, p. 1-7.

PASTOR BONUS (Augustae Treverorum) XLIX (1938), fasc. 5 (aug.) — Dr. Heribert Schauf, *Die Lehre von der Einwohnung des Hl. Geistes und der Begnadung bei C. M. Jovene*, p. 125-138. Fasc. 6 (sept.) — Prof. Dr. Seelhammer, *Zum Problem des Mitleids*, p. 171-176.

PASTOR BONUS (Romae) II (1938) fasc. 8-9 (aug.-sept.) — B. Mabritto, *Nationalismus et Catholicismus*, p. 518-524.

RAZON Y FE XXXVIII (1938) fasc. 1-2 (sept-oct.) — I. Gandía, *La Justicia social. Estudio filosófico de su concepto*, p. 42-63. Fasc. 4 (dec.) — Dr. Enriquez de Salamanca, *La Castidad y la Eugenesia*, p. 322-338.

REVUE DES COMMUNAUTES RELIGIEUSES XV (1939) fasc. 1 (ian.-feb.) — J. CREUSEN, *La clôture*, p. 11-20.

REVUE ECCLESIASTIQUE DE LIEGE XXX (1938) fasc. 3 (nov.) — F. LITT, *Les lois dites purement pénales*, p. 141-156. — A. MEUNIER, *La loi du jeûne au concile de Malines*, 171-174.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO V (1938) fasc. 9 (sept.) — MIGLIORI, *La pretesa « indulgenza » dei tribunali ecclesiastici.*

SAL TERRAE XXVI (1938) fasc. 10 (oct.) — E. F. REGATILLO, *Clérigos y seminaristas que vuelven de la guerra*, p. 774-790. — Fasc. 12 (dec.) — E. F. REGATILLO, *Las indulgencias*, p. 950-955. Tom XXVII (1939) fasc. 1 (ian.) — E. F. REGATILLO, *Las indulgencias*, p. 42-49.

THEOLOGISCH-PRAKTISCHE QUARTALSCHRIFT XCI (1938) fasc. 4 — Prof. Dr. OTTO SCHILLING, *Die Verwerflichkeit der Notlüge*, p. 621-627.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Ultima Monita Pii Pp. XI de Actione Catholica evolvenda et intensificanda

Eadem die, immo eadem quasi hora, qua Pius sanctae memoriae Papa XI animam suam apostolicam reddidit Salvatori, ephemeris pontificia communicavit ultimam Pontificis defuncti epistolam de Actione Catholica in Philippinis Insulis evolvenda et intensius exercenda.

Homo res sibi proponit, Deus autem eas disponit. Quod enim documentum Pius XI die 10 februarii 1939 in *Osservatore Romano* lingua italica editum voluit, ut non sine ratione sat tangibili coincideret cum vigiliis decimi anniversarii Pactorum Lateranensium, Deus Ipse destinavit tamquam supremum testamentum servi sui fidelis clero et laicatui in Catholica Actione strenue commilitantibus.

Attente meditantem hanc longam epistolam non commovere nequit cogitatio, quomodo vita advesperascente Pontifex terrenis valedicturus peractae curae pastoralis memoriam ultima vice evocet. Commemoratam videmus Encyclicam *Ubi Arcano,* in qua primum semen latet Actionis Catholicae; *Casti Connubii* de matrimonii sanctitate; *Quadragesimo Anno* de sociali problemate; *Divini Redemptoris* de communismo atheo; *Vigilanti Cura* de picturis mobilibus; *Ad Catholici Sacerdotii* de vocatione et munere sacerdotali; decretum *Provido sane,* ubi de instructio-

ne catechetica paroeciali; denique « non pauca ista documenta, ab Apostolica Sede emanata », in quibus de laicorum apostolatu est quaestio.

Constat autem Epistola Apostolica, quae italice incipit a verbis *Con singolare compiacenza,* tribus partibus sat inaequalibus. In parte prima agitur de statu Ecclesiae in insulis Philippinis; in parte altera res est de vocatione et formatione sacerdotali; in parte autem ultima eaque principali disseritur de Catholica Actione et problematibus ei annexis.

De prima parte non est cur multa dicam. Commemorantur laeta et tristia, quibus afficiuntur Ecclesiae insulares: congressus eucharisticus Manillanensis, florens Universitas Sancti Thomae, fervor catholicorum, idearum subversivarum propagatio, matrimonii labefactio, cetera. Haud magis de secunda parte est disserendum, cum ipse Pontifex Episcopos ad Encyclicam de sacerdotio catholico remittat, quam vocat « documentum gravissimum a se conscriptum », sicut olim eam nuncupaverat « mentem suam exhibentem, de re inter ceteras graves, a Se declaratas, longe gravissima » (1). Noto solummodo Pontificem commemorare se sibi reservasse ob summam rei excellentiam Sacrae Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum praefecturam; exigere ut encyclica de Sacerdotio non solum seminaristis, sed etiam sacerdotibus omnibus praelegatur et commentariis exponatur; exhortari sacerdotes — vocatus enim est sacerdos, ut sit alter Christus — ad sanctitatem et scientiam haud communem et vulgarem; imponere iterum specialem severitatem in eligendis ministris idoneis (2). Quibus edictis sic verbis suis finem imponit:

« Volumus etiam, ut paterna Nostra exhortatio non coarctetur ad diligentem selectionem eorum, qui petant

(1) Cf. *Firmissimam Constantiam* in *Periodica* 26 (1937) pag. 304 cum nota.

(2) Citat S. Pontifex *S. Th.* Suppl. part. III, q. 36, a. 4, ad 1.

sacros ordines, sed etiam extendatur ad strictam disciplinam servandam in vita seminaristica et ipsa vita sacerdotali. Nam maximopere hisce mollitiae et excessivae libertatis temporibus, iusta quaedam severitas absolute requiritur tamquam praeparatio et tutela vitae moraliter illibatae et in apostolatu frugiferae ».

Iam ad tertiam partem accedamus, Actionem Catholicam quae respicit. Hanc partem, in qua veluti in cardine tota epistola movetur, non esse compositam unice in bonum Philippinae Ecclesiae, clare apparet ex nota quadam praevia, quae absque dubio ex Pontificis intentione epistolam in *Osservatore Romano* apud lectorem introducit:

« ... Verba Sancti Patris ubique terrarum cum fructu legentur et meditando volventur, etiam ubi similes curae pastorales iam beneficum producunt effectum, sive ad animas in propositis actuandis confirmandas, sive ad eas confortandas in operibus actu iam coeptis. Maximum autem emolumentum sollicitudines apostolicae Summi Pontificis afferent in iis regionibus, ubi conditiones religiosae non multum distant ab iis, ad quas spectat hoc venerandum documentum ».

Sicut ipsa epistola, sic etiam sectio ea, quae de Catholica Actione agit, divisa est in tres partes. Incipitur ab indole et fine generali Actionis Catholicae; disseritur deinde de parte Cleri in hac nova apostolatus forma; in fine proponuntur munera quaedam specialia huius apostolatus ob conditiones hodiernas sive generales sive particulares magis necessaria.

Pars I: *de indole generali et scopo universali Actionis Catholicae.*

Ob summum rei momentum ipsius Pontificis verba quantum fieri potest accurata versione lectori proponam. Audiunt autem hoc modo:

« Ignorari nequit, Venerabiles Fratres, ad omnia mala modernae societatis reparanda iam non sufficere laborem Cleri, assiduo licet et prompto animo praestitum. Nam gravibus aliis rationibus omissis, certo constat inveniri hodie multos cuiusvis classis socialis homines, qui Dei et Christi eius vel immemores vel prorsus obliti, actioni evangelizatrici sacerdotum adversa vel etiam hostili mente obsistant.

« Inde urgens necessitas, ut apostolatus hierarchicus aliquo modo a laicis participetur; qui instructi et spiritualiter formati a sacerdotibus, vitamque christianam integraliter explentes, viam ad lumina veritatis et actionem sanctificantem gratiae ibi praeparent, ubi animae longe remotae sunt vel adverse abhorrent ab Ecclesia. Quod munus explere debent, qualitate fungentes cooperatorum ipsius Ecclesiae, operositate et subiectione Ecclesiae addictorum.

« Clare igitur apparet missionem horum laicorum esse certo quodam sensu missionem ipsius Hierarchiae et Iesu Christi: missionem scilicet ad vitam supernaturalem in aliorum animis procurandam, fovendam, defendendam. Sequitur, ut eorum activitas constituat pretiosum auxilium et opportunum complementum ministerii sacerdotalis.

« Et haec praecise est ratio, cur Nos inde ab initio Pontificatus Nostri, paterne invitaverimus Hierarchiam et populum ad fideles debito modo pro tali apostolatu praeparandos et organizandos; quem apostolatum, inspirationem haurientes ex textibus Sacrae Scripturae, definivimus: *participationem laicorum in Apostolatu hierarchico*, nomine quoque imposito *Actionis Catholicae*.

« Dicimus: Actionem catholicam. Possumus quoque dicere: vitam catholicam. Nam, sicut non exsistit actio sine vita, sic etiam vita non exsistit sine actione. Re enim vera Actio Catholica intendit formare sinceros catholicos, qui cognoscant, ament, integraliter expleant fidem christianam, eo ipso monstrantes, quomodo fieri possit, ut in quovis hominum coetu, in quavis conditione status vel pro-

fessionis socialis perfecte impleantur officia a fide imposita.

« Accedit quod tales catholici integri et exemplares, vero spiritu christiano animati vocemque Nostram dociliter audientes, non possunt in sese non sentire vivissimum desiderium et officium cooperandi cum Ecclesia in aedificando et augmentando Corpore Christi Mystico, novis membris in unitatem adducendis.

« Verissime igitur affirmari potest in iis, qui re vera ament et exerceant Actionem Catholicam, perfecte coincidere vitam catholicam integram ferventem cum vita apostolica activa. Et dum ex una parte haec ipsa vita catholica in individuis crescit et perpolitur, ex altera parte diffusione sui attingit alios fratres, in quibus vita ista est imperfecta vel etiam exstincta.

« Quam ob rem Actionis Catholicae membra, certos intra fines, etiam propagatores et defensores exsistunt vitae supernaturalis in animis.

« Ex omnibus praedictis clare deducitur, Actionem Catholicam numquam esse ordinis materialis, sed spiritualis; non ordinis terreni sed coelestis; non habere scopos politicos, sed religiosos. Fine suo proprio clare distinguitur ab omni motu, ab omni associatione, quae sibi proponant finem mere terrestrem atque temporalem quamvis nobilem dignumque laudis.

« Ex altera tamen parte est actio *socialis*, cum bonum maximum societatis promoveat: Regnum Iesu Christi. Insuper curae ei non esse nequeunt magna illa problemata, quibus societas vexetur, quorum repercussio etiam in ordine religioso et morali sentitur; immo in eorum studium incumbit eaque aggreditur, ut ad veram solutionem perducantur secundum principia iustitiae et caritatis christianae ».

Clarum est Romanum Pontificem in praedictis agere de Actione Catholica strictiore sensu intellecta. Quod non solum elucet ex verbis ipsis translatis, sed etiam ex iis,

quae sequuntur postea. In fine enim epistolae agitur cum de organizationibus oeconomico-socialibus, quae « non pertinent ad Actionem Catholicam proprie dictam », tum etiam de coetibus illis religiosis, qui « pretiosos auxiliares Actionis Catholicae » constituunt et cum ea arcte uniti collaborent oportet.

Huius autem Actionis Catholicae stricte dictae elementa principaliora omnia breviter attinguntur. Est apostolatus socialis sed in ordine spirituali; ex missione quadam et participatione apostolatus hierarchici; apostolatus auxiliaris, quo apostolatus cleri completur; apostolatus organice constructus; tandem, uti patet ex oppositione ad opera oeconomica socialia, apostolatus cuius responsabilitatem directam non solum habet laicatus sed ipsa quoque Hierarchia. Illud quoque notandum est, finem Actioni Catholicae a Pontifice assignatum non tantum versari in confortando sed etiam in extendendo Regno Christi, seu in conversione eorum, qui nondum Christi corpori sunt incorporati.

Dogmatice verba Pontificis considerantem fugere nequeunt quaedam voces restrictivae, ut: *aliquo modo* (apostolatus hierarchicus aliquomodo participatus), *certo quodam sensu* (missio certo quodam sensu missio ipsius Hierarchiae), *certo intra fines* (certos intra fines propagatores et defensores vitae supernaturalis); quae verba ex una parte dogmaticis et canonistis dant campum gratum disputationis, ex altera parte praecautiones sunt contra exaggerationes quasdam parum sapientes.

Et haec de prima parte sufficiant.

Pars II: *De munere Cleri relate ad Actionem Catholicam.*

In hac parte Papa evolvit, quomodo Actio Catholica esse debeat « pars sacri ministerii pastoralis ». Verba gravissima fideliter lectori transfero:

« Nunc vero aliud quid Nobis dicendum videtur, quod experientia Nostra, eaque iam nunc sat longa, Nos edocuit,

videlicet in omni regione Actionis Catholicae sortem positam esse in manibus Cleri. Quare clerus cum theorice, tum practice cognoscat oportet hanc novam apostolatus formam, quae partem constituit sacri ministerii.

« Plane nobis conscii de vestra sollicitudine paterna pro salute animarum, nullo modo dubitamus, quin Vos omni cura studeatis, ut omnes vestri sacerdotes huiusmodi praeparationem accipiant: iuvenes levitae in cursu seminaristico Theologiae Pastoralis, cuius hodie Actionis Catholicae explicatio debet esse pars integrans (haud aliter atque formarum classicarum apostolatus); sacerdotes iam in agro apostolico laborantes cursibus specialibus orationis et studii, et omnibus istis industriis, quas Vobis suggeret zelus vester.

« Postquam tali modo sacerdotes sunt formati — Nobisque promissum habemus haud aliter formatum iri etiam religiosos —: sese consecrent oportet labori haud facili praeparandi et spiritualiter et practice laicos Actionis Catholicae destinatos: quod opus summe meritorium continuo expostulat defatigationes nobiles, abundanter remunerandas ex ipso zelo, quo novi operarii ministris Dei generosum et fidele adiutorium praestabunt in aliorum animis conquirendis et ad progressum spiritualem evehendis.

« Nolumus esse longi in explicanda minutatim natura excellentia necessitate Actionis Catholicae, cum non pauca sint documenta ab hac Apostolica Sede emanata, in quibus de istis agitur. Nihilominus volumus urgere punctum essentiale, quod quasi canonem inconcussum debet constituere Actionis Catholicae, scilicet Catholicam Actionem vi propriae suae naturae evolvi debere in singulis dioecesibus cum dependentia directa erga Episcopos. Re enim vera cum Actio Catholica sit participatio laicorum in Apostolatu Hierarchico, ad Episcopum spectat ius et officium ipsius stabiliendae, organizandae, dirigendae in propria sua Dioecesi: ita tamen ut eius coordinatio nationalis facilius perficiatur. Et hoc ipsum est ad quod volumus ani-

mas vestras advertere, cum Actio Catholica in singulis dioecesibus futura sit exuberans vel gracilis, fructifera vel sterilis, prout id volunt Episcopus et Clerus eius.

« Deinde ut Actio Catholica efficaciam practicam acquirat, numquam satis commendari potest, ut eius associationes non solum vivent perfecta harmonia inter sese mutuo coniunctae, sed etiam ut modo opportuno sint coordinatae, colligatae in unitate directionum et finium. Ab associationibus paroecialibus Actionis Catholicae ad organismos dioecesanos, ab istis ad centra directiva nationalia, omnia bene sunt inserenda et compingenda, tamquam membra unius ac solius corporis. Hac de causa etiam organa centralia sunt necessaria ut media coordinationis, eorumque munus erit associationibus totius nationis rationes directivas et rectrices praebere activitatis, nova coepta suggerire agendaque proponere Centris Dioecesanibus, ratione habita et consensu impetrato, ut clarum est, Episcoporum ad quos spectat ».

Ad haec verba Pii XI pauca quaedam adnotare liceat:

Et primum quidem, Actionem Catholicam vocari *novam apostolatus formam*. Licet igitur laicorum apostolatus semper in Ecclesia fuerit, etiam ex mandato et missione ecclesiastica, tamen ille apostolatus, prout ex voluntate Papae organice cum ipsa Hierarchia ecclesiastica connectitur, aliquid novi est. Quare errant ii qui existiment in erigenda Actione Catholica nil novi introduci, sicut et ipsi errant qui putent hoc elementum novum introduci non posse, quin funditus destruantur antiqua, etsi experientia longa probata.

Alterum est organizationem Actionis Catholicae mansuram chartam papyraceam, nisi adsint laici spiritualiter et practice bene efformati; tales autem laicos de more ordinario haberi non posse, nisi ipse clerus in hac nova apostolatus forma debite sit instructus. Quare inter industrias illas, quae Episcoporum zelo relinquuntur, mea opinione periodica ista nationalia locum principalem occupant, quae

theoretice et practice agunt de Catholica Actione patriis circumstantiis fructuose accommodanda, quibus etiam fit ut alii ex aliorum experientia sive fausta sive diversa utiles fructus carpere possint.

Tertio loco animum adverto ad ea quae tam caute dicuntur de organismo centrali nationali. Clarum est tale organon munere suo bene fungi non posse, nisi contactus intimus adsit cum toto Episcopatu; si enim directiva generalia dantur ab organo laico, quae non probantur a singulis dioecesium Pastoribus, qui in sua Ecclesia vicarii ipsius Christi sunt constituti, detrimentum ipsi Actioni Catholicae procreari in aperto est. Ex altera parte tamen etiam Episcopi curare debent, ut in erigenda Actione Catholica in propria dioecesi non tantum ratio habeatur conditionum particularium ipsius dioeceseos, sed etiam totius regionis, ne ob nimias differentias organizationis in dioecesibus singulis, organizatio nationalis fiat vel impossibilis vel mera umbra.

Iam ad ultimam partem accedamus.

Pars III: *Fines speciales Actionis Catholicae.*

Exposita indole Actionis Catholicae et munere cleri in ea erigenda et consolidanda, Pontifex agit de quibusdam campis apostolatus, laicorum apostolatui maximopere accommodatis. Nam licet in iis quae sequuntur, forsan magis quam in praecedentibus, Papae prae oculis versatur conditio regionis particularis, tamen et ea continent haud pauca, quae toti Corpori Mystico Christi conveniant.

Est autem imprimis Actionis Catholicae defendere f a m i l i a m et nervis omnibus intendere « ut Christus de novo thronum in media familia occupet ». Est enim familia « focus, ubi vita supernaturalis filiorum Dei initium sumit ulterioris evolutionis ». Ut autem scopus tam altus attingatur haec media indicantur:

1° Prae ceteris exemplum sanctae vitae matrimonialis;

2° Impugnatio librorum et foliorum, quibus sanctitas eiusdem vitae in discrimen vocatur;

3° Propagatio librorum et foliorum, in quibus exponuntur principia encyclicae *Casti Connubii;*

4° Instructio et spirituale auxilium parentum in exercendis officiis statui matrimoniali annexis;

5° Talis iuventutis educatio, ut in matrimonio ineundo sibi sit conscia, qualia officia et quamnam obligationem sibi assumat;

6° Devotio S. Familiae Nazarethanae ad mentem Litt. Apost. Leonis XIII *Neminem fugit* (1).

Ad familiam christianam restaurandam Pontifex ante omnes provocat ad feminas. Ut earum laus sit in Ecclesia, refero verba integra epistolae:

« In hoc immenso agro bonae operae, qualis est familiae restauratio, magna quoque pars apostolatus mulieri competit, cuius zelum in Actione Catholica promovenda hoc loco speciali ratione volumus laudare, semperque magis confortare. Hac de causa paternam nostram invitationem dirigimus ad omnes mulieres catholicas cuiusvis conditionis et aetatis, ad puellas et virgines, ad matresfamilias et viduas. Utinam et ipsae concurrant, modo viribus, gradui, conditionibus singularum accommodato, ad opera omnia benefica; ut auxiliares validae exercitum apostolorum ingressae, agmina Christi ad animas salvandas fortificent; operam navent prae ceteris in catechismo explicando et in revocandis personis proprii sexus ad praxes verae pietatis Christianae. Hom modo suum quoque contribuent ad ponendas primas bases restaurandae familiae et continuabunt traditionem gloriosam earum primaevi Christianismi mulierum, quae ob zelum apostolicum meruerunt honorifice commemorari ab Apostolo: *Adiuva*

(1) In his litteris apostolicis 14 Jun. 1892 laudatur et commendatur et ad totum mundum extenditur pia Consociatio Sacrae Familiae, a Francisco Francos S. J. Lugduni anno 1861 erecta, eique dantur statuta et privilegia. Cf. *ASS* XXV pag. 8-20. Ab ea consociatione distincta est notissima Archiconfraternitas S. Familiae, ut fraternitas erecta Leodii anno 1845.

illas, quae mecum laboraverunt in Evangelio (Philipp. 4, 3). — Non dubitamus igitur, quin nostra exhortatio docili auri accipiatur, immo certi sumus, florentes feminarum uniones emolumento fore sanctuario domestico et toti societati civili».

Post renovandam familiam ut campus laboris indicatur religiosa instructio «in collaboratione cum S. Hierarchia et sub eius dependentia». Cum enim vita supernaturalis vere excoli nequeat quin prius cognoscatur, instructio religiosa id erit quod ante alia omnia Actioni Catholicae est aggrediendum. Quae lex generalis auctore Pontifice ibi summopere urget, ubi varias ob causas iuventus in civitatibus, in pagis, in agro absque formatione religiosa adolescit. Etiam in hac materia media et remedia efficacia indicantur:

1° Formentur utriusque sexus catechistae;

2° Condenda sunt instituta catechetica cum cursibus theoreticis et practicis, quibus peractis magistri futuri titulis opportunis honorentur;

3° Admeliorandae sunt scholae catechistarum iam existentes;

4° Erigantur ubique scholae paroeciales, ubi pueri rudimenta fidei addiscant, de quibus scholis in decreto S. Congr. Concilii *Provido sane,* 12 ian. 1935: *AAS* XXVII (1935) p. 149 (1).

5° In explicando catechismo adhibeantur meliores methodi paedagogicae, ut instructio reddatur facilis, amoena et efficax;

6° Ob bonum unitatis erigantur centra dioecesana coordinationis, non absque relatione ad organa nationalia Actionis Catholicae.

Quamquam praedicta omnia singulari ratione commendantur ecclesiis Philippinis, ob defectum instructionis religiosae in scholis publicis: tamen suo momento non carent

(1) Cf. *Periodica* XXIV (1935) pp. 127 ssqq.

pro iis regionibus, ubi doctrina christiana quasi unice in scholis elementaribus et mediis explicatur. Experientia enim nimis dolorosa constat unico decretulo scholas a « clericalismo purgari posse ». Ubi autem talis « purgatio » timenda est, curandum erit, ut amissis armis antiquis, statim adsint nova eaque efficacia.

Ut tertium obiectum activitatis Actioni Catholicae indicatur apostolatus excultorum, maxime iuventutis, quae in Universitatibus studiis incumbit. Ex ea enim « procedunt futuri directores societatis in variis campis culturae, commercii, industriae, boni publici, qui iuvenes pro dolor tempore formationis expositi sunt gravibus periculis et insidiis ». Non negat Pontifex hac in re obstare serias difficultates, quae tamen vinci possint, cum experientia constet iuvenes apostolicos ibi etiam, ubi vigeat indifferentismus et aversio religiosa, virtute et aperta fidei professione, sensim sine sensu condiscipulorum animos attrahere posse et ad Christum perducere. Quare in omnibus civitatibus universitariis uniones studiosorum adsint necesse est, non solum propriae sanctificationis gratia sed etiam apostolatus ergo.

Etiam scholae mediae obiectum curae spiritualis esse debent; ad quod attingendum S. Pontifex iterum commendat « uniones internas Actionis Catholicae », de quibus vide Epistolam ad Episcopos Brasiliae de Actione Catholica provehenda 27 Oct. 1935 et Instructionem Card. Secr. Status ad superiores ordinum et congregationum religiosorum utriusque sexus, 15 Mart. 1936 (1). Sunt autem associationes internae, quae dicuntur, uniones Actionis Catholicae, in ipsis scholis vel institutis mediis erectae, in quibus religiosi, si sacerdotes sunt, funguntur munere assistentis ecclesiastici, religiosi vero laici vel etiam moniales munere « assistentis technici vel technicae », manus dexterae, ut ita dicam, ecclesiastici assistentis.

(1) Vide *Periodica* XXV (1936) pp. 73, 77, 212, 216.

Non autem ad solos studiosos apostolatus excultorum limitandus est. Etiam isti qui iam formati in variis culturae, commercii, industriae, politicae campis prae aliis eminent, a Pontifice instanter invitantur ut sese Actioni Catholicae adscribant. Ipsi enim sunt, qui organizationes apostolicae informare possunt eo elemento culturali, sine quo actio religiosa haud raro effectu desiderato caret. Non autem sufficit, ut exculti sese associationibus generalibus adscribant; apostolatum quoque inter ipsos excultos exerceant necesse est. Quae ut omnia melius et facilius acquirantur, Papa de novo commendat Exercitia Spiritualia et diem recollectionis menstruae, renovata exhortatione calida Encyclicae *Mens Nostra* (1).

Non transcurari posse classes humiles mentione non indiget, cum pastoralis sollicitudo praecipue operarios respiciat, tum in fabricis, tum in agris laborantes; nam cordi sacerdotali prae aliis isti cari esse debent, qui in ea ipsa conditione sociali vivant, quam Dominus Noster pro vita sua mortali sibi elegit. Non ignorat Papa, eos saepe saepius obrui curis terrenis; iis haud raro ea deesse quibus vitam homine dignam vivere possint; eos ob crastini diei sollicitudines generatim frui non posse ea animae tranquillitate, sine qua in vita spirituali profectus excluditur. Et hac de causa deficiente auxilio spirituali, eos facillime seduci doctrina, specietenus operariis favente, revera inimica Christi, immo, testantibus factis, inimica boni non tantum spiritualis sed etiam temporalis ipsius operarii. Intellegit lector, Pontificem in evolvendis huiusmodi ideis Episcopos remittere ad Encyclicas *Quadragesimo Anno* et *Divini Redemptoris* (2).

Quibus expositis Papa deducit tres conclusiones:

1° Serio procurandum est operariis spirituale auxilium instructione religiosa illorum conditioni accommodata, et imprimis exercitiis spiritualibus;

---

(1) Cf. ibid., XIX (1930), pp. 1-15.
(2) Cf. *Periodica*, XXVI (1937) p. 227 ss.

2° Non minore cura laborandum est, ut miseriae temporales leniantur associationibus oeconomico-socialibus;

3° Ambo activitates istae, una religiosa, oeconomico-socialis altera, cum mutuo auxilio sese evolvant necesse est, quia una absque alterius adiutorio saepe fructu caret.

Ne autem confusiones oriantur clare exponitur, qua ratione Actio Catholica proprie dicta et actio oeconomico-socialis inter sese differant simulque cohaereant. En verba epistolae:

« Instituta oeconomico-socialia, de quibus modo diximus, non pertinent ad Actionem Catholicam proprie dictam, quia directe opus suum exercent in campo oeconomico et professionali. Hac de causa ipsa sola respondere debent de coeptis mere oeconomicis. Ex altera tamen parte, sicut iam aliis occasionibus explicavimus, ea ducantur necesse est principiis caritatis et iustitiae ab Ecclesia edoctis et sequantur oportet directiones ab auctoritate ecclesiastica in materia tam delicata iis propositas. Et hac de re non solum beneficio erunt elevationi materiali et morali operariorum, sed etiam viam praeparabunt Actioni Catholicae in mediis operariis ».

Notatu quoque dignum est Pontificem hac occasione statuere principium, *ipsa experientia,* uti dicit, comprobatum tamquam utilissimum et maximae efficaciae: scilicet « apostolatus similium apud similes ». Hac de causa, quantum fieri potest, et absque unitatis detrimento, in ipsis quattuor coetibus naturalibus Actionis Catholicae (virorum scilicet, mulierum, iuventutis utriusque sexus) nuclei operariorum formandi sunt, ut salus operarii per operarium obtineatur.

Ultimo loco agitur de p r e l o e t s p e c t a c u l i s, p r a e c i p u e c i n e m a t o g r a p h i c i s. Etiam maximis sacrificiis curandum est, ut spectacula habeantur, quibus virtus non solum nil detrimenti patiatur sed etiam faciat profectum. Quae omnia longe et late exposita sunt in En-

cyclica *Vigilanti Cura,* cuius contentum annotationibus utilissimis illustratum videre est in hisce *Periodicis* (1).

* * *

Expositis scopis specialibus, epistola apostolica clauditur exhortatione unionis. Non solum una sit Actio Catholica stricte sumpta, sed etiam sensu latiore considerata. Quare associationes istae, quas frequenter Pontifex nuncupavit « auxiliares pretiosas Actionis Catholicae » non tantum inter sese coordinandae sunt, sed etiam ligandae cum magis propria Actione Catholica, ut viribus omnibus unitis Regnum Christi continuo crescat in animis, familiis, societate universa. Qua exhortatione finita, implorato auxilio B. M. Virginis, Philippinarum Patronae, papalis benedictio super insulas descendit.

En verba ultima Pii Pp. XI de ea quam libenter vocabat oculorum suorum pupillam. Ipse plantavit et rigavit, alii messem congregabunt, Eo favente, qui incrementum dat, cuius Pius XI erat fidelis servus et prudens.

Pontifices moriuntur, manet Pontificatus. Iam primus nuntius novi Pii, divina Providentia Papae XII, oceanos transvolavit. Amantissima voluntate complectitur Cardinales; Fratres in Episcopatu benevolentissime salutat; sacerdotibus et utriusque sexus religiosis benedicit. Benedicit quoque iis qui in sacris expeditionibus Iesu Christi regnum usquequaque provehunt, atque istis omnibus, « qui in Catholica Actione, Episcoporum ductu, hierarchicum eorum apostolatum adiuvant » (2).

Ultima benedictio Pii XI et prima Pii XII Actioni Catholicae sint in signum benedictionis Illius, qui per Pontifices suos mittit apostolos omnes: clericos, religiosos, laicos; Ipse missus a Patre: Apostolus et Pontifex confessionis nostrae.

SEB. TROMP S. I.

---

(1) Cf. *Periodica* XXVI (-1937) pag. 47-74.
(2) Cf. *L'Osservatore Romano,* 4 Mart. 1939.

De Constitutione S. Pii Papae V *Romani Pontificis* (3 Augusti 1571)

(Canonis 1125)

IV

Doctrina Codicis iuris Canonici de potestate Romani Pontificis in matrimonia infidelium.

Scopus primarius codificationis iuris canonici a Pio X intentus erat non controversias inter auctores vigentes dirimere, sed universas Ecclesiae leges quae disciplinam spectant, ad illa usque tempora editas, lucido ordine digestas, in unum colligere amotis inde quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis, ubi opus fuisset, ad nostrorum temporum conditionem propius aptatis. « Nihil tamen prohibebat, quominus in Codice principia quaedam attingi possent aut deberent, quae ad ius naturae vel ad ipsam Fidem referrentur », ut habet una ex normis consultoribus et collaboratoribus Commissionis Pontificiae praescriptis (122).

Revera tamen ex modo amotionis et adaptionis legum et ex clara principiorum enuntiatione iuris naturae et Fidei non paucas diremit sive directe sive indirecte codex iuris canonici controversias. Quas inter illa recensenda videtur quae est de potestate Romani Pontificis ad dissolvenda matrimonia in infidelitate consummata; non quod Codex eam directe definivit, sed quia elementa quam plurima solutionis problematis nobis praestitit.

Doctrina porro Codicis iuris canonici circa indissolubilitatem vinculi matrimonialis est haec:

Matrimonium, quod efficitur partium consensu inter personas iure habiles legitime manifestato « quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generatio-

(122) Praefatio Card. Gasparri ad CIC, pp. xxxvi et xl.

nem » (c. 1081) inducit « inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum » (c. 1110). Hunc ipsum consensum partium, hunc contractum matrimonialem evexit Christus Dominus ad sacramenti dignitatem, ita ut inter baptizatos matrimonium haberi nequeat quin sit simul sacramentum (c. 1012).

Tale matrimonium in iure dicitur ratum, vel christianum (c. 1110), dum matrimonium inter non baptizatos vocatur legitimum (c. 1015) (123).

Porro matrimonium christianum hos speciales habet effectus prae connubiis legitimis, scil. quod sacramentum « coniugibus non ponentibus obicem gratiam confert » (c. 1110), atque firmius reddit vinculum matrimoniale (c. 1013 § 2), ita quidem ut, consummatione secuta, « nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi » possit (c. 1118) (124).

Doctrina hoc canone breviter sed clare expressa est maximi momenti in discernendis quaestionibus de dissolutione vinculi. Unicum ergo est matrimonium quod omnimoda indissolubilitate gaudet, matrimonium videlicet ratum et consummatum. Duo alii casus cc. 1120 § 2 et 1123 expressi nonnisi relative dicuntur indissolubiles, i. e. non possunt solvi ex privilegio Paulino; an ex alio capite, ex plenitudine nempe potestatis Summi Pontificis possint solvi, Codex non exprimit.

Porro indissolubilitas illa absoluta matrimonii christiani nititur duplici elemento seu conditione; alterum est ut matrimonium sit ratum, seu christianum vel sacramentale, alterum ut sit consummatione completum. Hic revocentur in mentem praecipua argumenta controversiae de potestate Romani Pontificis dissolvendi matrimonia in infidelitate consummata, superius allata (125), et conferan-

(123) Cui definitioni Codex ipse semper adhaeret vide c.c. 331; 1075.
(124) Trid. sess. XXIV, c. 5, 7 iam quasdam divortii causas in specie excluserat: haeresim, molestam habitationem aut affectatam absentiam et adulterium.
(125) Vide Partem II, § III, paulo post med.

tur cum c. 1118. Qua ex collatione elucet ambas controversiae partes inter se divisisse duplex indissolubilitatis elementum, parte quae affirmat matrimonia infidelium esse solubilia, retinente elementum sacramentale, altera parte quae negat talia connubia esse solubilia, retinente elementum completionis seu consummationis. Inde eius duratio per saecula. Canon vero noster haec duo veritatis elementa in unum colligendo rationem controversiae omnem penitus abstulit.

Omne ergo matrimonium quod una ex praedictis notis caret, caret ipso facto absoluta indissolubilitate, et proinde tale matrimonium solvi potest, non quidem pro lubitu contrahentium, sed per auctoritatem eius qui in Ecclesia supremam habet potestatem.

Deus enim qui creavit marem et feminam ut multiplicaretur genus humanum, statuit ut eorum unio sit stabilis seu perpetua et nonnisi per eius auctoritatem solvenda.

Nam in matrimonio considerandae sunt non solum partes contrahentes, verum et praecipue Deus, qui veluti pars tertia huic sacro adstat contractui atque hanc unionem sub sua potestate sumit suprema et tuetur inviolabilem. Porro matrimonium est institutum non solum iuris naturalis sed et iuris divini positivi. Quapropter mas et femina sunt quidem omnino liberi ad unionem matrimonialem ineundam, sed unione semel perfecta, ipsi non iam valent ad eam inficiendam. Quam autem facultatem Deus olim dederat Israelitis propter eorum duritiam cordis uxores suas dimittendi, eam Christus Dominus abstulit, sicque matrimonium ad pristinum revocavit ordinem. « Quod ergo Deus coniunxit homo non separet ».

Tamen Christus Dominus, cui data est omnis potestas in coelo et in terra, Ecclesiae suae, quam pretioso sanguine suo fundavit ut suum opus salvificum in terris continuaret atque perficeret, tradidisse creditur potestatem in matrimonia omnia baptizatorum praeter matrimonia rata et consummata. Quae potestas Ecclesiae probatur non per S.

Scripturam nec necesse est ut omnia dogmata Scriptura probentur, sed per Traditionem. Et haec potestas est Ecclesiae tradita non quidem absolute seu ad libitum usurpanda, sed in favorem fidei. Quando autem dissolutio alicuius matrimonii cedat in favorem fidei, eius est discernere qui est caput visibile Ecclesiae.

Ex hac ergo potestate divina a Christo Domino Ecclesiae commissa repetendum est quidquid Apostoli et Romani Pontifices decursu saeculorum statuerunt de dissolutione vinculi matrimonialis. De dispensationibus ab Apostolis vi huius potestatis concessis ad nos usque non pervenit notitia nisi de una per accidens nobis tradita in *I Cor.* VIII. Quid autem ipse S. Paulus in aliis casibus signanter polygamiae sive successivae sive simultaneae, quos certe in suis missionibus habuerat solvendos, statuerit penitus ignoramus. Saec. xvi et deinceps autem Summi Pontifices sive directe sive per SS. Congregationes Romanas non pauca concesserunt neophytis privilegia quae congruam non accipiunt explicationem nisi admittatur Ecclesiae potestas in matrimonia infidelium quamvis consummata. Et codex nunc procedit ad colligenda in unum haec privilegia neophytis in favorem fidei concessa.

Porro enuntiatio in c. 1118 principio quod matrimonium christianum consummatum sit omnino indissolubile, Codex in sequentibus canonibus statuit quomodo et quando cetera connubia omnia de facto solvantur. Et sequendo rationem illius canonis, matrimonia dividit Codex in matrimonia quae non sunt sacramenta, et matrimonia quae consummatione completa non sunt.

1. De matrimoniis quae consummatione non sunt completa agit c. 1119 et dicit: Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam — quamdiu autem ambae partes in infidelitate manent, eorum matrimonium non cadit sub potestatem Ecclesiae — dissolvitur:

a) ipso iure per sollemnem professionem religiosam, quod iam *Conc. Trid.*, sess. XXIV, c. 6 definierat;

b) per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessa, quod sententiam iam communiter receptam reddit certam (126).

Sed quid de matrimonio quod consummatum quidem est in infidelitate, non autem post utriusque partis conversionem? Utrum tale matrimonium ad effectum huius canonis considerandum sit ut ratum tantum? An hodie tale matrimonium dissolvi possit per sollemnem professionem religiosam, ut supponebatur in celebri causa Florentina? (127). Silet Codex.

2. De matrimoniis quae carent charactere sacramentali agunt cc. 1120-1126. Incipitur a privilegio, ut aiunt, Paulino cuius usus et applicatio ex iure Decretalium et ex praxi a SS. Congr. Romanis inducta in unum colligitur atque minute describitur. Porro « Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino » c. 1120 (128).

Consequenter ad principium c. 1118 expressum, nempe quod matrimonium sacramentale atque consummatum solum esse absolute indissolubile et modo parallelo ad c. 1119, expectandum erat ad finem praesentis canonis clausulam sequentis vel similis tenoris: « et per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam ». Sed tam hic quam ad c. 1125, qui praecise versatur circa dispensationes a Sede Apostolica ex iusta causa concessas, Codex altum tenet silentium de potestate pontificia ad solvenda matrimonia in infidelitate consummata.

Revertendo ad c. 1120, dicimus per privilegium Paulinum venire illam dispensationem a S. Paulo neophytis da-

---

(126) Ballerini-Palmieri: *Opus Theol. Moral.*, vol. VI, n. 488.
(127) Bened. xiv: *Quaest. Can. et Moral.*, Q. 446, n. 5.
(128) Etiam proxime elapso saeculo fuerunt qui negaverunt vinculum matrimoniale dissolvi posse per privilegium Paulinum, quos vide apud Joyce: *Christian Marriage*, p. 487 sqq.

tam sub certis conditionibus ad alia vota transeundi, de qua in *I Cor.* VII. 12 et sqq. Propter suam Evangelicae praedicationis oeconomiam, vel, ut nos hodie diceremus, propter suam methodum missiologicam vitandi, quantum poterat, quidquid in conversatione fidelium Gentilibus offensioni esset, vetuit ut fidelis coniugem secum habitare consentientem dimitteret, eique concessit facultatem contrahendi aliud matrimonium, dummodo infidelis discessisset. Quo in casu alii infideles et inimici Christi non potuissent ansam sumere vituperandi eius ministerium et impediendi propagationem fidei. Eadem sollicitudo Apostoli apparet et in aliis Epistolis, e. g., *Ad Titum,* ubi adolescentulas dicit monendas esse, ut viros suos amarent, filios suos diligerent, ut essent prudentes, castae, subditae viris suis, « ut non blasphemetur verbum Dei » (cap. II, 4, 5).

Privilegium Paulinum, ergo, supponit:

1) matrimonium fuisse celebratum dum ambae partes essent infideles;

2) dein unam partem tantum recepisse baptismum.

Ex quibus apparet hoc privilegium non obtinere in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus (1120 § 2). Nam tempore contracti matrimonii una coniux tantum est infidelis; et cum huic matrimonio baptismus supervenerit, iam ambae partes sunt fideles et sic non verificantur conditiones privilegio Paulino fruendo requisitae.

An proinde tale matrimonium sit absolute indissolubile sicut matrimonium sacramentale consummatum? Responsum huic quaesito dandum pendet a quaestione utrum illud matrimonium sit sacramentum an non. Ut isti quaesito rite respondeamus, praemittimus casum similem iure Codicis certe non sacramentalem. Certum est connubia in infidelitate celebrata non fieri sacramentum post unius coniugis conversionem. Nam « coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte

infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris » (c. 1124). Cum ergo matrimonium etiam post unius partis conversionem consummatum dicatur esse dissolubile, pronum est concludere illud carere aut charactere sacramentali aut consummatione. Non secundum, ut patet; ergo primum, seu hoc matrimonium non est sacramentum.

Sed ulterius quaeri potest cur illud matrimonium non sit sacramentum. Utrum quia consensus matrimonialis qui possit evehi ad dignitatem sacramenti, iam non adsit cum una pars baptizetur? An quia momento contractus ambae partes non sint fideles?

An idem censendum est de matrimonio a fideli contracto cum infideli debita dispensatione ab impedimento disparitatis cultus obtenta? Hic casus non est omnino identicus cum praecedenti, ut clarum est, quoniam momento celebrationis connubii iam una pars est christiana. An inde hoc matrimonium non fit christianum seu sacramentum?

His quaesitis Codex nullibi dat directam responsionem. Sedulo tamen vitavit vel umbram qua matrimonium fidelis cum infideli possit haberi ut sacramentum, quamvis obvias relinqueret lacunas. Nam in c. 1015 de verborum significatione matrimonium baptizatorum validum dicitur ratum; non baptizatorum autem vocatur legitimum. Sed datur tertium, matrimonium nempe inter partem baptizatam et partem non baptizatam, sive cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus initum, sive non (c. 1070). Quod matrimonium ratumne est an tantum legitimum?

Quam lacunam ut adimpleret, Card. Billot hanc proposuerat c. 1015 § 3 emendationem: « Matrimonium inter infideles, vel etiam inter fidelem et infidelem quacumque ex causa valide consistens, dicitur simpliciter legiti-

mum » (129). Quam tamen definitionis clarificationem Commissio Codificationis dignata non est recipere.

Codex adhibet et alium terminum identidem, qui non invenitur in definitionibus c. 1015, scil. « matrimonium christianum ». Et matrimonium christianum quod dicitur confirmare essentiales matrimonii proprietates (c. 1013 § 2), et conferre gratiam coniugibus non ponentibus obicem (c. 1110), estne ratum tantum?

Immemor definitionis matrimonii rati in c. 293 (1015) datae, *Schema CIC* anni 1913 concinnaverat c. 396 (1119) his verbis: « Matrimonium ratum tantum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure ... ». Item Card. Billot, hac vice feliciori successu, animadvertit « matrimonium inter partem baptizatam et inter partem non baptizatam nequaquam esse ratum, ideoque, si in praesenti matrimonium quoque disparis cultus includitur, esse dicendum « Matrimonium non consummatum, sive inter duos baptizatos, sive inter baptizatum et non baptizatum vel baptizatum et non baptizatum (130) dissolvitur etc. »; quam correctionem proponit etiam Card. Lorenzelli propter eamdem causam (131). Et consequenter fuit correctus can. ut habemus nunc in Codice.

Inde clarum est matrimonium fidelis cum infideli debita etiam dispensatione contractum non esse ratum seu sacramentum, sed solum legitimum. Idem colligitur ex ipso c. 1120 § 2, quippe qui dicat illud matrimonium non posse solvi per privilegium Paulinum, non autem esse absolute indissolubile ut matrimonium de quo in c. 1118; quod debuisset praedicare si hoc etiam matrimonium esset sacramentum.

---

(129) *Riassunto delle Osservazioni dei Vescovi ... al lib. III del Codice*, ad c. 293, p. 126.

(130) Sic in textu; mendum tamen typographicum facili negotio sic corrigatur: Matrimonium ... sive inter baptizatum et non baptizatam vel baptizatam et non baptizatum ... ».

(131) *Riassunto delle Osservazioni dei Vescovi e Superiori Regolari al libro III del Codice*, ad can. 396, p. 172.

Ergo, cum non sint sacramenta, Romanus Pontifex ex plenitudine suae potestatis dissolvere valet et matrimonium inter partem baptizatam et partem non baptizatam initum cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus (c. 1120 § 2), et matrimonium inter duos infideles, post conversionem unius partis, quae post baptismum dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam, et sic amiserit ius ad privilegium Paulinum (cc. 1123; 1124).

3. Est et tertium suppositum privilegii Paulini, discessus nempe infidelis odio fidei, seu, ut INNOCENTIUS III explicat in cap. *Gaudemus*, necesse est ut pars infidelis renuat cohabitare cum fideli, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum.

Ratione oeconomiae sui Evangelii Apostolus Gentium concessit fideli facultatem novas ineundi nuptias solummodo post discessum infidelis, ita ut tota ratio dissoluti matrimonii penes infidelem maneat, fidelisque innocens sit ab omni vituperatione. Si vero fidelis post baptismum dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam, ipsi denegatur ius aliud contrahendi matrimonium, quamvis infidelis cohabitare renuerit (cc. 1123; 1124).

Innocentia ergo fidelis praesupposita, intentio infidelis non continuandi vitam coniugalem cum baptizato constare debet antequam is ad alia vota convolat. Inde necessitas partem non baptizatam interpellandi:

a) An velit et ipsa converti et baptismum suscipere;

b) an saltem velit cum eo cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris (c. 1121).

Itaque quod praecipue et principaliter occurrit attendendum, est exploratio et declaratio infidelis verbis vel factis se nolle cohabitare cum fideli, quod semper requiritur ad validitatem subsequentis matrimonii. Cum tamen matrimonium sit institutum publicum seu sociale simulque iuridicum et ut tale cum sanctione aut probatione ecclesiastica celebrandum, necesse est ut haec exploratio vo-

luntatis infidelis fiat regulariter de auctoritate Ordinarii loci, cuius est urgere observantiam legum ecclesiasticarum. Si vero interpellationes privatim factae sint, de his in foro externo constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo (c. 1122); ita ut parochus vel sacerdos assistens de statu contrahentium libero certi sint, et valor secundi connubii in tutis ponatur.

Sed quaenam est ratio vel habitudo inter duas illas interpellationes? An responsio negativa ad utramque interrogationem requiritur, antequam fidelis novum matrimonium valide contrahat? Huic quaesito respondet ipse canon modo quo altera interpellatio concinnatur: « An saltem velit... » Supponitur ergo ad primam interrogationem negative fuisse responsum; et necessitas responsi negativi ad secundam interrogationem clare deducitur.

Id enim manifeste docet Apostolus in *I Cor.* VII, 12: « Si quis frater uxorem habeat infidelem, et haec consentiat habitare cum illo, non dimittat illam ». Similiter: « Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentiat habitare cum illa, non dimittat virum ». Qui quidem consensus habitationis intelligendus est non tantum de materiali cohabitatione, sed de cohabitatione quam fidelis tuta conscientia acceptare possit, i. e. cohabitatio, ubi non sit periculum blasphemiae divini nominis, et adductionis partis fidelis ad grave peccatum. Secus enim infidelis reipsa cohabitare non vult.

« Si infidelis discedit odio christianae fidei, discedat. Non est enim frater aut soror subiectus servituti in huiusmodi » (132).

Optime ergo in unum colligit verba Apostoli et interpretationem eorundem ab Innocentio III datam Codex his verbis: « An saltem velit... habitare pacifice sine contumelia Creatoris ».

Sed quid de prima interpellatione: « An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere »? Si infidelis vult qui-

(132) C. 2, C. xxviii, q. 2.

dem converti sed renuat cohabitare, an fidelis possit vi privilegii Paulini ad alia vota transire?

Respondendum est negative. Quia S. Paulus hunc casum in *I Cor.* VII non contemplatur. Apostolus enim loquitur ibi de fidelibus, qui ex matrimonio contracto in infidelitate, infidelibus coniuncti sunt; infidelis autem propter conversionem coniugis ad Christum abrumpit cohabitationem. Quare non intelligitur cur infidelis converti quidem velit, cohabitare vero renuat. Ergo hic casus Apostolo non fuit propositus, nec solutio eius hunc spectabat casum. Proinde casus in quo infidelis vult quidem converti, sed renuat cohabitare non potest venire sub figura iuridica privilegii Paulini.

Itaque SO non semel declaravit non esse locum privilegio Paulino, cum ambo coniuges ad fidem convertuntur vel baptismum suscipere volunt.

Quo non obstante, si quandoque S. Sedes indulsit in talibus casibus uni alterive coniugi facultatem alias contrahendi nuptias, hoc fecisse dicendum est non virtute privilegii Paulini, sed ex plenitudine potestatis apostolicae.

Porro ut constet locum esse privilegio Paulino, eiusque usui, non alius privilegii vel facultatis a S. Sede concessae, necesse est ut incipiatur a prima interpellatione. Si infidelis respondeat se velle converti, casus iam non cadit sub figura iuridica privilegii Paulini, et proinde inutiliter procederetur ad secundam interpellationem.

Aliis verbis, antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet a parte non baptizata accipere responsum negativum ad utramque interpellationem c. 1121. Si autem accipiat responsum affirmativum ad primam interpellationem et negativum ad secundam vel vice versa, iam non potest, vi privilegii Paulini, ad alia vota convolare.

In dissolutione enim vinculi matrimonialis agitur de iure divino, a quo nemo dispensare valet qui non habet potestatem a Deo concessam. In usu illius dispensationis

omnes conditiones a Deo vel ab eius delegato praescriptae adamussim implendae sunt, nec facultas seu privilegium ad similes casus extendi potest, secus periculum esset ne vinculum non solvatur.

Quare « hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit », c. 1121 § 2.

Quid enim sibi vult hoc? Multis in casibus dispensatio super interpellatione nihil aliud esset nisi legitimae declaratio auctoritatis discessum infidelis constare, e. g., quod infidelis latet ne a fideli inveniatur aut interpelletur. Sed dari possunt et de facto dantur casus in quibus infidelis intentio nullo modo manifestatur, nec ipse ubinam gentium sit cognoscitur et hoc quidem citra eius culpam (FTM. 25), vel ex interpellatione grave damnum aut coniugi iam ad fidem converso aut christianis timetur (FTM. 26), vel non vult discedere, immo iam factus est christianus (Gregorius xiii, *Populis et Nationibus*). Quibus in casibus dispensare super interpellatione est admittere fideles ad novas nuptias, etsi infidelis non discesserit, quod manifeste contradicit privilegio Paulino, quippe quod consequenter tantum ad discessum infidelis baptizato det ius ad aliud matrimonium.

Proinde hae dispensationes non fluunt ex privilegio Paulino, nec congruenter explicari possunt, nisi agnoscatur potestas Summo Pontifici in matrimonia in infidelitate contracta et consummata, ut clare animadverterunt Cardinales Billot et Lorenzelli (133).

---

(133) *Schema CIC* paragraphum 2 c. 1121 exaraverat his verbis: « Ab his interpellationibus una Sedes Apostolica per se vel per delegatum dispensare potest » c. 398 § 2.

Ad quem can. Card. Billot « non videtur, ait, quod Sedes Apostolica possit dispensare ab interpellationibus, proprie loquendo. Potest quidem dispensationes dare praeter privilegium Paulinum, sed si de ipso privilegio Paulino sermo sit, non valet mutare conditiones eius, aut aliquid demere de iis quae ad ipsum requiruntur » [N. B. Si potestas competeret Ecclesiae in matrimonia quamvis in infidelitate consummata, non apparet cur Sedes Ap. non valeat mutare conditiones privilegii Paulini; quas si mutaret, non iam utique esset nec vocandum privilegium Paulinum, sed alio nomine]. « Certe, sicut ad Sedem Apostolicam pertinet directe solvere gravi de causa, et salvo ordine iustitiae, matrimonium *ratum et non consummatum*, sic etiam ad eamdem

Huc usque de privilegio Paulino, quod per se monogamum videtur spectare. Et idem ius de se valet quoque pro polygamo, qui non habet plus iuris quam monogamus, quum nonnisi una sit lex pro omnibus christianis evangelica. Quoniam Christus Dominus matrimonium ad pristinam revocavit unitatem, iusque dimittendi uxorem abrogavit, officia polygami in se clara erant, clareque in cap. *Gaudemus* expressa, solam videlicet uxorem primam esse legitimam et conversum eam retinere vel recipere teneri, aliis dimissis, quippe quod nullum ius haberent matrimoniale (134).

Haec in summo iure. Sed summum ius est summa iniuria.

Saeculo XVI, haec iura non poterant plane applicari in conditionibus peculiaribus quae obtinebant in Novo Orbe.

---

pertinet ex causis pariter gravibus et proportionatis, directe solvere ex plenitudine potestatis matrimonium *consummatum et non ratum*. Et hoc est quod facit, aut mihi certe facere videtur, quando iuxta modum loquendi schematis « dispensat ab interpellationibus ». Re enim vera, dispensare ab interpellationibus idem est ac ponere rem in eo statu in quo privilegium Paulinum nullum amplius habere aut habere potest locum. Huius siquidem privilegii essentialis conditio est ut coniux infidelis discedat (*I Cor.*, VII, 15). Atqui discedere nullatenus dici potest, qui nec fuit interpellatus, nec voluntatem suam aperire potuit ». Idem observat in can. 400 (= 1123) quoad dispensationem ab interpellationibus, et adiungit etiamsi fidelis dederit infideli iustam discedendi causam, ac propterea (discessu non se tenente ex parte infidelis) privilegio paulino locus amplius non sit; esse adhuc nihilominus modum providendi fideli per directam solutionem: quorum veritatem confirmari putat constitutionibus pontificiis citatis in can. 402 (= 1125).

Card. Lorenzelli scribit: « Quia Sedes Apostolica proprie non dispensat ab interpellationibus, quando hae *possibiles* sunt, idcirco non dicerem absolute quod *ab eis dispensare*, sed quod *Ipsa*, cum interpellationes fieri nequeunt, *providere potest* ». *Riassunto delle Osservazioni ... al lib. III del Cod.*, ad can. 398, p. 173.

Quibus rationibus permota Commissio Codificationis statim reformavit hanc paragr. canonis uti nunc est in CIC, et clausulam initialem c. 1123 qui legebat etiam in schemate sine anno (c. 1126) sic: « Si dispensatum fuerit ab interpellationibus ... », nonnisi in ultima redactione.

SS. CC. Romanae vero nullum talem habent scrupulum, pergunt enim sicut antea per saecula adhibere verbum: « Dispensandi super interpellatione ... » FTM. 24, 25, 26.

(134) Ergo, duas interpellationes debent, salvo praescripto can. 1125, facere etiam polygamus, nisi S. Sedes aliud declaraverit in casu particulari aut concesserit facultatem n. 24 FTM. contentam quae dispensat a secunda interpellatione. Ipso iure autem non dispensatur cum polygamo omni a neutra interpellatione, cum explicita sunt verba c. 1121 § 2. Cf. CPF. n. 1333 (26 sept. 1837).

Eo quod communis erat polygamia et divortium apud quasdam tribus, inviniebantur qui non recordarentur quam primo accepissent uxorem. Alii ab immanibus mercatoribus capti, a patriis finibus et propriis coniugibus avulsi, in remotissimas regiones venditi in servitutem, proprias non poterant requirere coniuges vel monere. Alios durissimum erat separare ab uxoribus quae non erant primae.

Quibus praecavere difficultatibus ius Decretalium congruenter non valebat. Aut enim erat ius servandum, aut permultis ex illis hominibus Baptisma, quod est Ecclesiae ianua, erat intercludendum. His rebus certiores facti Romani Pontifices pro eorum sollicitudine ad dilatandos regni Dei fines, et talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati, quasdam mitigationes iuris vel quaedam privilegia eis concesserunt, quae nunc Codex extendit ad universam Ecclesiam per c. 1125.

De natura autem harum dispositionum pontificalium canon silet. Quid autem Codex de eis revera senserit satis clare apparet ex principiis in praecedentibus canonibus expressis, et ex modo quo canones disposuit in art. de dissolutione vinculi. Insuper clare et explicitis verbis distinguit dispositiones huius canonis a privilegio Paulino, et a lege interpellationum, quae huius privilegii essentiales sunt conditio, eximit c. 1121: « Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet salvo praescripto can. 1125, partem non baptizatam interpellare... ».

Ex quo concludere licet a lege interpellationum aut ipso iure dispensari, quod tamen ad mentem codificatorum Ecclesia non valet facere, aut potius in illis privilegiis nullum esse locum interpellationibus, cum ius ad novas nuptias exsistat non sub conditione infidelis discessus, cuius certiorandi causa monitio praescripta est, sed sub aliis conditionibus in Litteris Pontificiis recensitis. Ex quo etiam patet cur nos superius dixerimus responsum PF ad votum Primi Conc. Sinensis esse declarationem verborum

const. *Romani Pontificis* in se certorum et ex collatione cum c. 1121 clariorum (135).

Ergo casus de quibus in c. 1125 sunt diversi a casu Apostoli nec privilegia ibidem concessa derivari possunt a privilegio Paulino, sed ex plenitudine potestatis Ecclesiae. Idcirco magni nominis doctores sententiam agnoscentem Romano Pontifici potestatem ad dissolvenda matrimonia in infidelitate consummata proponunt post Codicem non iam ut probabilem vel probabiliorem sed potius ut certam (136). Multo clarius loquitur Card. GASPARRI, qui hanc praeponit rubricam canoni 1125: De solutione matrimonii legitimi auctoritate Sanctae Sedis quando salus animarum id exigit et absit scandalum (137).

Et ipsum SO iam saltem ter post Codicem obtinuit a SSmo dissolutionem matrimonii naturalis seu non sacramentalis (138).

Sunt nonnullae sat gravis momenti quaestiones canoni 1125 peculiares, de quibus in capite sequenti.

V

Canon 1125.

Secundum normam alteram sibi praefinitam, exquirendi scil. Ecclesiae leges de disciplina ex Corpore iuris, ex Tridentino Concilio, ex Actis Romanorum Pontificum et ex decretis SS. Congregationum Romanarum aut Tribunalium Ecclesiasticorum atque eas in canones redigendi (139), Consultor vel Collaborator Commissionis pro elaborando CIC, cui commissum erat caput de dissolutione vinculi (140),

(135) Vide P. III paulo ante finem.

(136) Quos auctores vide apud WERNZ-VIDAL: *Ius Matrim.*, p. 770, nota 88.

(137) GASPARRI: *Trat. Can. de Matrim.*, vol. II, p. 231.

(138) Quos casus videre est apud BOUSCAREN: *The Canon Law Digest*, p. 552; *The Cumulative Supplement*, 1935-36, p. 61.

(139) Praefatio ad CIC, p. XI.

(140) Schema CIC anni 1913 habebat: « De divortio pleno ». Provinciae Bisuntin. et Cameracen. optabant ut huius loco scriberetur « De dissolutione vinculi » quod nunc habemus in Codice. *Riassunto delle Osservazioni* ... ad c. 395, p. 172.

selegit tria acta pontificia circa matrimonia neophytorum ad regiones particulares spectantia, quae invenit in CPF sub titulo: *De Privilegiis in favorem Fidei*. Quae documenta uno comprehendit canone quem sic concinnavit:

Ea quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III, *Altitudo*, 1 iun. 1537; S. Pii V, *Romani Pontificis*, 2 aug. 1571; Gregorii XIII, *Populis*, 25 ian. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad universam Ecclesiam extenduntur.

Haec eadem verba in successivis schematibus immutata fuerunt retenta, numero utique seriei canonum variato. Sed Commissio Cardinalium, cui mandatum fuit ut Codicem I. C., iam promptum ac paratum, ultimum relegerent atque emendarent, si quid minus perspicue dictum occurreret, opportunum existimaverunt clausulam finalem huius canonis modificare (141). Et loco « ad universam Ecclesiam » scripserunt verba « ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis ». Et hunc textum definitivum nunc habemus in c. 1125.

Quae verborum mutatio ad lucidiorem reddendum canonem facta originem dedit controversiae utrum incisum « in eisdem adiunctis » referri debeat ad regiones an ad casus singulos. Si primum, adiuncta de quibus in Litteris Pontificiis debent verificari in tota regione ut possit quis dispositione huius canonis frui. Si secundum, sufficeret eadem verificari in unoquoque casu dato. Mox tamen praevaluit sententia quae docet adiuncta tantum singulorum casuum eadem esse debere (142).

Et quidem recte. Nam ex cap. III patet iam longe ante Codicem constitutiones S. Pii v et Gregorii xiii tradi solitas esse ad missionarios per tramitem PF cui aliquando subiectae non erant regiones paucissimae. Et Const. *In Suprema* Benedicti xiv nil aliud est quam concessio Brevis Gregorii xiii ad Nuntium suum apud Venetos. His in omnibus extentionibus certe respiciebantur non adiuncta

(141) Vermeersch in *Foreword* ad Dissertationem F. Woods: *The Constitutions of Canon 1125*.
(142) Woods: *The Constitutions of Canon 1125*, ch. VI.

regionum sed tantum casuum. Ex analogia ad normam c. 6 § 2 statutam etiam nunc attendenda sunt adiuncta casuum, non autem regionum.

Et ipsi Cardinales per praedictam mutationem verborum nil aliud intendisse videntur nisi ordini logico consulere. Nam verba schematis « quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad universam Ecclesiam extenduntur » non plane faciunt sensum, cum universa Ecclesia includat et illa peculiaria loca et sic oppositio inter utrumque incisum minuitur. E contra forma Codicis hos evitat defectus. Praecise enim opponuntur peculiaria loca ad alias regiones neque unum incisum includit alterum.

Proinde ex duabus restrictionibus quibus hae constitutiones primitus afficiebantur, regionis nempe cui datae erant et adjunctis casuum, prouti a Pontificibus descriptis, Codex abstulit primam et retinuit secundam restrictionem: « in eisdem adiunctis ».

Quae hucusque dicta sunt, ad totum c. 1125 pertinent. Quae vero sequuntur nonnisi constitutionem S. Pii v *Romani Pontificis,* subiectum huius dissertationis, unice spectant.

Porro ante omnia venit agitanda gravis momenti quaestio, quae intime afficit constitutionem nostram. Quae quaestio ac difficultas exsurgit ex collatione c. 1125 cum c. 6. Qui c. 6 statuit principium hoc generale: « Codex vigentem hucusque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat ». Ex quo deducit sex conclusiones quarum secunda sic legit: « Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi ».

Applicando hanc rationem ad c. 1125 invenimus Codicem quidem opportunam immutationem attulisse in disciplina hactenus vigente circa Breve S. Pii v, sustulisse nimirum limitationem ad certum locum et sic in ius commune evectum ad universam Ecclesiam extendisse. Cum

canon ius vetus, quamvis particulare, ex integro referat i. e. totam constitutionem *Romani Pontificis*, haec fit obnoxia § 2 eiusdem canonis, ita ut hoc Breve explicandum sit secundum interpretationem probatorum auctorum, ex veteri nempe doctrina et iurisprudentia.

Nec huic obiici recte potest dicendo CIC extendisse ad totam Ecclesiam non explicationem auctorum sed ipsam constitutionem Pianam, dum mens legislatoris clare manifestetur in c. 6. Sarta tectaque debent esse principia ibidem tradita.

Agnoscimus ergo totam vim c. 6, eiusque applicationem ad c. 1125.

Et illico exsurgit quaestio: Sed quaenam est recepta apud probatos auctores interpretatio decreti S. Pii v? Vel quaenam est illa vetus doctrina et iurisprudentia?

Quoad veterum doctrinam: Ex capite II satis patet fere nullum fuisse probatum auctorem, qui de hac constitutione ex professo tractasset ante Codicem; sed unumquemque illam interpretatum esse secundum suam sententiam circa potestatem Summi Pontificis in matrimonia infidelium, vel iuxta subiectam materiam in variis controversiis. Proinde non habemus interpretationem ante Codicem Brevis S. Pii v, quae dici possit recepta apud probatos auctores.

Quoad iurisprudentiam: Ut vidimus in capite III, nihil est in praxi SS. Congr. Romanarum quod constituat iurisprudentiam proprie dictam, quippe quae sit constans in iisdem rebus iudicandi ratio. Una tamen responsio SO specialem meretur attentionem.

Nimirum *Vicarius Apostolicus Siamensis* quaesivit:

An potestate a S. Pio v universe concessa per Breve quod incipit: *Romani Pontificis* uti possint missionarii in tota sua latitudine.

Comparetur hoc quaesitum cum voto 12 Primi Concilii Sinensis (143). Laudatus Vicarius Ap. etiam non videtur

(143) Vide Pars III, n. III. *Sacra Congregatio de Propaganda Fide* paulo ante finem.

dubitasse de potestate per Breve concessa, sed non audet eadem uti!

Die 22 Nov. 1871, SO respondit:

« Breve s. m. Pii v spectare ad casum in quo prima uxor legitima nota non sit, simulque sit difficillimum eam reperire; in eius vero usu servandam esse regulam ab eiusdem successore Gregorio xiii praescriptam, hoc est ut, antequam neophytus cum alia muliere quae simul cum eo baptizata est matrimonio iungatur, per summarium et extraiudicialem processum constare debeat difficillimum reapse esse primam uxorem reperire » (144).

Quo in responso est distinguere duas partes. In prima patefacit responsio naturam Brevis s. m. Pii v; in altera parte vero, pro sua competentia, praescribit sapientissimam regulam in praxi servandam cum nec Gregorius xiii hanc adiecerit regulam constitutioni *Romani Pontificis,* nec S. Pius v ipse eam statuerit. Est ergo haec regula quid extraneum Brevi.

Ad scopum nostrum maioris momenti est prima pars responsi.

Ex una parte praedictus Vic. Ap. facultates largas eruere videtur ex Brevi S. Pii v: « An potestate universe concessa » ... et ex altera parte non audet iisdem facultatibus uti « in tota sua latitudine ».

SO vero errorem eius mitissime corrigit dicendo illud Breve non spectare nisi ad casum in quo inter plures uxores quae sit prima, proinde legitima, ignoratur vel memoria non tenetur. Aliis verbis, si prima uxor nota est, illam neophytus debet retinere.

Insuper, altera clausula: « simulque sit difficillimum eam reperire » restringit facultatem a Pio v concessam ad casus in quibus sit difficillimum reperire primam uxorem etsi hic et nunc eam neophytus ignorat vel non recordatur. Praecedat oportet ergo seria investigatio.

Itaque secundum hoc responsum SO, Breve S. Pii v

(144) CPF. n. 1356.

providet solum casui in quo duae circumstantiae simul verificantur:

1. ignorantia quoad personam primae uxoris;
2. difficultas eam reperiendi.

Sed tunc ad quem casum spectaret const. Pauli III quae praecise his verbis utitur: « qui ante conversionem plures... habebant uxores, et non recordantur quam primo acceperint, conversi ad fidem unam ex illis accipiant, quam voluerint »... ? Haec quaestio post Codicem est legitima atque ad rem pertinens, cum per c. 1125 et ipsa constitutio Pauli III *Altitudo* ad universam Ecclesiam sit pariter extensa. Et si constitutio S. Pii V nihil aliud concessisset quam quae constitutio Pauli III concedit, inutiliter illam Codex ad alias quoque regiones extendisset. Verba enim aliquid operari debent.

Itaque incisum c. 1125 « in eisdem adiunctis » et aliam significationem pati posse videtur, scilicet, lectoris attentionem dirigere ad ipsum documentum pontificium, et adiuncta casuum ex eodem documento determinanda esse statuere.

Quidquid sit de hoc, praescindendo a superius dictis, sumamus responsum SO uti est in CPF et inquiramus an hoc responsum constituerit ius vetus circa Breve S. Pii V particulare quod vi c. 6 debeat nunc teneri.

In limine huius inquisitionis observandum est responsa particularia SO non obligare nisi eos ad quos data sunt, ut monet compilator CP (145). Et certe responsum de quo nunc agitur, est particulare; quaesitum fuerat missum a certo Vicario Ap. et responsum fuit ad eumdem transmissum. Ceteri Ordinarii loci et missionarii quibus pariter concessum fuerat Breve S. Pii V non poterant in cognitionem huius responsi devenire, nisi post CPF typis edita, cum CP fuisset destinata ad usum missionariorum certae Societatis.

---

(145) CP: *Litterae dedicatoriae* (uti Praefatio), p. iii.

Etiam editis collectaneis, auctores ad illud responsum generaliter non satis attenderunt, cum ageretur de iure aliquo particulari.

Post Codicem vero P. VROMANT sequens DE SMET hoc responsum habet ut authenticam interpretationem constitutionis *Romani Pontificis,* quae tamen nota deest in eius articulo in *Periodica* (146). P. PAYEN vocat illud interpretationem « quae olim strictissima fuit » et in alio loco de eodem dicit, « licet quandoque strictior visa fuerit S. C. S. O. interpretatio » et ipse docet constitutionem *Romani Pontificis* spectare *etiam* ad eos polygamos *qui recordantur* quamnam mulierem primo acceperint, eamque reperire possunt (147). Alii auctores aut non considerant hoc responsum ut interpretationem authenticam aut explicant constitutionem *Romani Pontificis* ad illud non attendentes, ut GASPARRI (148), VERMEERSCH (149), CREUSEN (150), JOYCE (151), VIDAL (152), WOODS (153), etc.

Citavimus auctores, non quod eorum acceptatio reddat

---

(146) VROMANT: *De Matrim.*, p. 285, n. 359, nota 2; *Periodica*, vol. XX (1931), p. 114*.

(147) PAYEN: *De Matrim.*, vol. II, n. 2407; vol. III, n. 2406-8, 1.

(148) GASPARRI: *Tract. Can. de Matr.*, vol. ii, n. 1158: « . . S. Pontifex viro, qui in infidelitate plures uxores duxerat, permittit illam retinere, quae cum ipso conversa est, etiamsi non sit prima . . . ».

(149) VERMEERSCH: *Periodica*, XI (1922), p. (139), n. 119 b.: « . . . Iam vero, C. *Romani Pontificis* permittit ut polygamus maneat cum uxore quae cum ipso baptizetur, sine ulla distinctione primae vel alterius et sine interpellatione primae . . . ».

(150) VERMEERSCH-CREUSEN: *Epit. Iuris Can.*, t. II (1934), n. 429: « . . . S. Pius V, Const. *Romani Pontificis* . . . concessit ut Indi polygami post baptismum eam uxorem tamquam legitimam retinere valerent quae cum ipsis baptizari vellet, etiamsi cognoscerent quaenam uxor prima fuisset et haec in pacificam cohabitationem, non tamen in baptismum recipiendum consentiret . . . » Fere iisdem verbis loquuntur n. 436/2.

(151) JOYCE: *Chistian Marriage*, p. 495: « . . . There is no real basis for the supposition that the Pope was assuming that it would in general be quite impossible to discover the first wife . . . ».

(152) WERNZ-VIDAL: *Ius Matr.*, n. 633, p. 767: « . . . Pius V declarat, dictos polygamos quamlibet ex uxoribus, quae una cum ipsis baptizetur, posse retinere, tametsi recordentur quaenam prima fuerit ».

(153) WOODS: *The Const. of Can. 1125*, p. 58: « . . . But this answer (of the Holy Office) cannot be considered as definitive because, as mentioned above, we find in the subsequent practice of the Church, ordinaries and missionaries have been granted faculties, which presumes that the first wife is known and yet allow the convert to use this constitution, should the first wife refuse to become a Christian ».

responsum authenticum, sed quia tanti doctores quod sit vel versum fuerit in ius commune non poterant ignorare.

PF ipsa hoc responsum non intellexit ut authenticam interpretationem Brevis S. Pii v, nec ante nec post C.I.C. Secus haud explicatur approbatio Conciliorum provincialium vel nationalium, quae, aliter quam laudatum responsum, explicant praedictam constitutionem.

Ante C.I.C: *Conc. Calcuttense* docuit S. Sedem interdum dispensasse atque dispensare ab interpellatione « ex lege ecclesiastica » ad infidelem facienda; « e. g., si infidelis longe absit, aut fugerit, vel latitet. (S. Pii v. Const. *Romani Pontificis* 2 Aug. 1571 pro India data) ». In duobus prioribus saltem casibus infidelis cognoscitur ubi sit. Eodem modo et iisdem verbis loquuntur concilia Prov. Bombayensis, Madrasensis, etc. (154).

Post: Nec Votum 12 Primi Conc. Sinensis, nec responsio PF supponunt constitutionem S. Pii v spectare casum in quo prima uxor legitima nota non sit... (155).

Immo Commissio Codificationis ipsa hoc responsum SO ad quaesitum circa Breve S. Pii v de industria non recepit inter fontes Codicis IC. Praescriptum enim erat « ut in canonibus redigendis Consultor, aliusve operis ordinator, e documentis excerpta verba, quantum posset, fideliter referret, brevitati simul et perspicuitati studeret, alias eorumdem documentorum partes rebus declarandis aptas adderet, paginis, volumine, editione accurate adnotatis » (156).

Ex quibus adnotationibus ordinatoris operis vel redactoris canonum desumptae videntur notae quibus adornavit Card. Gasparri canones in extrema quaque pagina schematum et demum Codicis IC adiectis, « quae varios indicant fontes unde ii (canones) eliciti sunt: qua in re vix animadvertere attinet, canones haud semper cum suis fontibus omni ex parte in sententia congruere » (157).

(154) Vide nota 17.
(155) Vide loc. indic. in nota 143.
(156) Gasparri: *Praefatio* ad CIC, p. xl.
(157) Ibid. p. xlii.

Porro nec in schemate CIC anni 1913 (c. 402), nec in alio huic posteriori, sine anno indicato, (c. 1128), nec in CIC ipso ulla est nota adiecta ad c. 1125. Proinde documenta pontificia in hoc canone designata ipsa sunt fontes huius canonis, et non alia.

Quantum ad responsum SO de quo agimus, illud omnino desideratur inter fontes canonum in schematibus, quae prae manibus habemus. CIC autem bis refert decretum SO die 22 nov. 1871 datum.

Primo, sub c. 1121 § 1 refertur tantum pars huius decreti: « (Siam.), 22 nov. 1871, ad postrem. dub. » Ergo, responsum in eodem decreto contentum ad quaesitum eiusdem Vicarii Ap. Siamensis circa Breve S. Pii v deliberate omittitur. Quod responsum hoc in loco ad casum faceret, cum agatur de interpellationibus ad legitimum coniugem faciendis.

Secundo, sub c. 1123 allegatur decretum SO integrum: « (Siam.), 22 nov. 1871 ». Sed hic responsum ad quaesitum de Brevi Piano non facit ad casum, cum hoc in canone agatur non de facienda vel omittenda interpellatione sed de effectu factae vel omissae monitionis. Nec omnes loci in notis relati faciunt ad canones, ut dissertis verbis monuit Card. Gasparri in praefatione ad CIC. Idem repetit in Prooemio ad Fontes CIC, vol. I.

Quibus omnibus rite perpensis atque ad c. 1125 aptatis, dicendum est constitutiones S. Pii v *Romani Pontificis*, 2 Aug. 1571, quae pro peculiari loco scripta est, ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis quae recensentur in ipso documento pontificio extendi.

Quae adiuncta casus ex constitutione pontificia ipsa hauriuntur in capite sequenti

(*Continuabitur*)

Puthota Rayanna S. I.

De missa pro eligendo Summo Pontifice

Recens Sedis Apostolicae vacatio multorum sacerdotum animos iterum in missam illam convertit quae in missali romano prima inter missas votivas *ad diversa* cum hac inscriptione occurrit: *Missa pro eligendo Summo Pontifice.* Duo autem eius formularia seu, ut olim dicebatur, officia proponuntur: alterum missae votivae de Spiritu Sancto, alterum omnino proprium, cuius introitus his verbis inchoatur: *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem.* Rubrica autem alterutrum officium adhibendi optio datur.

Quibus condicionibus ac legibus obnoxia sit celebratio privata vel sollemnis missae votivae de Spiritu Sancto unicuique satis perspicuum est. De alterius vero officii usu plura oriuntur dubia: Utrum a quolibet sacerdote usurpari potest, an est illius missae omnino proprium quae pro consuetudine singulis diebus in conclavi celebratur ante scrutinia? Si ab omnibus sacerdotibus adhiberi potest missa *Suscitabo,* utrum potest hoc fieri etiam in celebratione privata an in sollemni dumtaxat? Quinam denique esse debet paramentorum color?

Rationes primi dubii hae sunt: 1. Formularium tertium inter missas votivas *ad diversa* seu officium *In consecratione Episcopi* certe reservatur geminae missae quam consecrator et consecratus simul celebrant. 2. Missam *Statuit ei Dominus* ipso die creationis et coronationis Papae a quibuslibet sacerdotibus adhiberi posse dubium est; etenim *Additiones et Variationes,* tit. II, n. 4, illius usum in anniversariis tantum electionis et coronationis Summi Pontificis prospiciunt. 3. Oppositio quam exprimit collecta et postcommunio ipsorum celebrantium vel saltem adstantium (*nos*), qui a novo Pontifice pium dumtaxat erga se studium optant, et populi seu plebis quam idem Pontifex regat, virtutibus instruat, spiritualiter aedificet, difficile explicatur, si isti celebrantes vel adstantes quilibet essent

sacerdotes vel fideles. Melius e contrario res intellegitur, si pronomine *nos* cardinales designantur in cotidiana conclavis missa praesentes.

Alterius dubii causa est quod missas *Statuit ei Dominus* et *Sacerdotes tui,* quae missam *Suscitabo* subsequuntur, private celebrari rubricis vetantur.

Tertium denique dubium ex eo oritur quod missae votivae *ad diversa* pleraeque colore violaceo, quaedam vero albo vel etiam rubro sunt celebrandae.

Verum tamen arbitrantur liturgistae missam *Suscitabo* a quovis sacerdote etiam ut votivam privatam, servatis ordinariis rubricis, celebrari posse. Etenim missarum officia quae in missali romano proponuntur, nisi contrarium declaratur vel demonstratur, ab omni sacerdote usurpari posse omnino censendum est. Illam etiam ut votivam privatam adhiberi posse eo demonstratur quod, cum hoc de missis *Statuit ei Dominus* et *Sacerdotes tui* rubricis particularibus ac generalibus vetetur, nihil simile fit de missa *Suscitabo.*

Profecto, ut celebrari possit, debet Sedes Romana vacare. Non tamen necesse videtur ut iam sit inchoatum conclave. Romae utique in recenti Sedis vacatione, recitatio orationum e missa *Suscitabo* ad instar orationum imperatarum iam die 10 februarii praescripta est, id est 19 diebus ante quam conclave initium habuit.

De colore vero etiam minor est disputandi locus. *Rubricarum* namque *generalium missalis* titulo XVIII, n. 3, clare decernitur: « Item (rubeo colore utendum est) ... in Missa pro eligendo Summo Pontifice ». Quae verba non tantum missam de Spiritu Sancto sed etiam officium *Suscitabo,* quae pro illa adhiberi potest, significare videntur.

Nihilominus non uno e capite missa illa valde singularis et tanquam arcanum quid complectens apparet, neque plene intellegi potest, nisi satis constiterit quo tempore, quo loco, quanam de causa redacta sit et qua ratione olim usurpanda fuerit.

Hanc indagationem saltem inchoatam reperire nos posse existimabamus apud eruditissimum virum Iosephum Catalanum in eius commentario in caeremoniarium Augustini Patritii (1). At de ipso officio *Suscitabo mihi* non solum vix quidquam praeter testimonii Ioannis Burckardi mentionem apud illum invenimus, sed eum candide suam ignorantiam his verbis deprehendimus confitentem: « Una cum [omnium fidelium] orationibus celebratas quoque fuisse et Missas pro electione celeri Summi Pontificis haberi pro certo debet, tametsi de ipsa Missa in hoc nostro §. descripta [id est de missa *Suscitabo*] nullum apud antiquiores Auctores monumentum invenerim... Ceterum Missa ipsa in nostro hoc §. descripta legitur in omnibus Romanis Missalibus, hac praefixa rubrica: Missa pro eligendo », etc.

Feliciorem habuit inquisitio nostra exitum.

Missa *Suscitabo* in missale romanum introducta esse videtur a Pio v anno 1570. Certe in nulla antiquiore illius libri editione eam repperimus. Textus autem eius in editione Piana plane idem est quem exhibet editio typica anni 1920, titulus vero est paulo amplior: *Missa pro eligendo Summo Pontifice sede vacante.*

At cum isto modo in ipsum Ecclesiae Romanae missale admittebatur, missa nostra iam annos plus ducentos nata erat.

E chronicis namque Werneri Hasselbeckensis (1384), canonici Traiectensis, Leodiensis, Bonnensis et etiam Romani, deducendum videtur missam *Suscitabo* redactam esse occasione conclavis Avenionensis anni 1362 in quo electus est Urbanus V (2).

---

(1) *Sacrarum Caeremoniarum sive Rituum Ecclesiasticorum Sanctae Romanae Ecclesiae libri tres ab Augustino Patricio ordinati et a Marcello Corcyrensi archiepiscopo primum editi, nunc vero tandem in duos tomos distributi, ac innumeris pene mendis purgati, et Commentariis aucti...* auctore Josepho Catalano... Duo vol., Romae MDCCL-MDCCLI. De missa *Suscitabo*, v. t. I, p. 45-50; p. 60-61; p. 410-412.

(2) *Vitae Paparum Avenionensium, edid. Stephanus Baluzius, nouv. édit. d'après les manuscrits* par G. Mollat, t. I, Parisiis, 1914, p. 383; cfr. p. 394; p. 398. Fontes praecipui de vita et opera Werneri Hassel-

Fungebatur autem Wernerus munere « scriptoris et secretarii domini pape » in curia Avenionensi et valde veri simile est eum tempore conclavis illius in curia papali praesentem fuisse.

Ecce eius narrationis verba:

> Peractis exequiis domini Innocentii [VI] more solito, alias novem diebus, die decima cardinales numero viginti intraverunt conclave, die videlicet beati Mauritii [22 septembris 1362]. Et, cum inter se concordare non possent, in dominum Guillelmum Grimoardi, ...tunc abbatem Sancti Victoris Massiliensis, absentem, in regno Sicilie nuntium Sedis apostolice, vota sua major pars et sanior direxit [28 septembris 1362]. Qui, decreto electionis recepto, in vigilia Omnium Sanctorum [31 octobris 1362] reversus [est] Avinionem.
>
> Interim vero domini cardinales erant in conclavi. Prelati quolibet die missas celebrabant et sermones faciebant, rogando Deum pro celeri et felici pontificis provisione, quodam speciali officio misse ad hoc ordinato, quod incipit *Suscitabo michi sacerdotem fidelem,* etc. Die vero XXVII octobris [1362], cum dominus Guillelmus, papa futurus, applicuisset Massiliam, eodem die misit dominis cardinalibus, adhuc in conclavi existentibus, consensum electionis de se facte.

Qua narratione plura docemur: 1. Hac nempe occasione orta est missa: post sex dies elapsos quibus de eligendo aliquo ex ipso sacro Collegio convenire non potuerant, maior et prudentior cardinalium pars in electione Guilelmi Grimoardi, tunc abbatis Sancti Victoris Massiliensis, consenserat, ut pote quem altissimo pontificatus munere dignissimum omnium existimaret. Non erat igitur lumen Spiritus sancti invocandum ut sapiens fieret electio; peracta namque erat haec et perquam optime, sed dubium manebat num Grimoardi delatum sibi officium accepturus esset et cardinalibus restabat ut cotidianis ac supplicibus precibus Deum rogarent ut per sancti viri adsensum Ecclesiae idoneus pontifex concederetur. Ad hunc ergo finem composita est missa *Suscitabo*. 2. Constituta est ut cotidie, praesentibus et fortasse etiam celebrantibus cardi-

---

BECKENSIS percensentur apud U. CHEVALIER, *Répertoire des sources historiques, Bio-bibliographie,* II, 4754.

nalibus, ageretur. 3. Scripta est Avinione quinquagesimo et tertio anno post discessum Curiae ab Urbe, id est eo tempore et loco quo vix quisquam reperiri poterat qui artem romanam collectas liturgicas redigendi bene novisset.

Ex officio *Suscitabo* Wernerus nobis quattuor tantum priora introitus verba indicat. Duas praeterea voces ipsius collectae referunt litterae quibus Urbanus v eodem anno 1362, die 7 novembris, suam electionem omnibus archiepiscopis horumque suffraganeis nuntiabat. Licet, inquit, nos tanto oneri ferendo plane impares iudicaverimus, iugo apostolicae servitutis colla nihilo minus submittere voluimus « confidentes in Deo ... quod ad ipsius laudem et gloriam ac nostram et totius populi christianam salutem, in eiusdem populi *salubri regimine* dabit fortitudinem debili, indigno virtutem et scientiam ignoranti » (3).

Integrum vero missae officium continetur illo caeremoniali ac diario quod annis 1396-1398 a Francisco de Conzie, tunc episcopo Narbonnensi et camerario papae Benedicti XIII (Petri de Luna), redactum esse existimaverimus. E 47 capitibus e quibus constat istud caeremoniale 26 pertinent ad ea quae in infirmitate et morte Summi alicuius Pontificis et in electione, consecratione, coronatione eius successoris agenda sunt. Hanc ob causam prorsus singulare dicendum est. Caput autem eius vicesimum quod inscribitur *De modo audiendi missas per dominos cardinales in conclavi existentes,* textum totius missae praebet (4).

Integer quoque missae textus iis partibus comprehenditur quibus caeremoniale Iacobi Caietani de Stephanescis (1314 vel 1342) ab eodem Francisco de Conzie aliquando (certe post diem 16 octobris 1412) auctum esse videtur. Ce-

---

(3) A. Fierrens - C. Tihon, *Lettres d'Urbain V*, t. 1 (Analecta Vaticano-Belgica t. IX), Rome, 1928, p. 4.

(4) Cfr. Ioannes Baptista Gatticus, *Acta selecta caerimonalia Sanctae Romanae Ecclesiae*, t. I, Romae, MDCCLIII. Textus tamen noster, quem Gatticus omisit, ex ipso cod. Vaticano lat. 4736 (s. XV), fol. xiij.r-xv.v sumptus est. Vide infra.

terum hic textus priori tam propinquus apparet, ut censuerit quis ambos de eodem exemplari esse exscriptos (5).

Eundem textum adnexuit Augustinus Patritius Piccolomineus Episcopus Piensis primo libro sui caeremonialis Romani, quod regnante Innocentio papa VIII (1484-1488) redegit. Qui textus praeter paucas quasdam variantes lectiones duobus prioribus consimilis est (6).

Caeremoniale Patritii, reticito auctoris nomine, typis edidit anno 1516 Christophorus Marcellus Corcyrensis Episcopus electus (7). Missam *Suscitabo* in fine primi libri retinuit idemque egerunt illi omnes qui post Christophorum hoc caeremoniale denuo ediderunt, v. g., annis 1560, 1572, 1573, 1584, 1750-1751, id est etiam post quam textus nostrae missae a Pio v in Missali romano fixus est ac divulgatus.

Antequam quaestionem adgredimur qua ratione missa *Suscitabo* olim adhibenda fuerit, iuvat hic antiquum eius textum lectori ante oculos ponere. Textum proponemus qualis est in caeremoniali codicis Vaticani lat. 4736, quod Francisco de Conzie adscribendum esse censuimus, ei autem adiungemus variantes praecipuas quas habet textus codicis Urbinatis lat. 469, id est supplementum caeremonialis Iacobi Caietani (U), textus Caeremonialis Augustini Patritii (P), et textus editionis Christophori Marcelli (M).

Officium [a] misse apostolica [b] sede vacante et eius introitus

Suscitabo michi sacerdotem fidelem qui iuxta cor meum et animam meam faciet [c] et edifficabo ei domum fidelem et ambulabit coram christo meo cunctis diebus [d]. V. Ut sedeat cum principibus et solium glorie teneat. Domini enim sunt cardi-

(5) Cod. Vaticanus Urbinat. lat. 469 (s. XV), fol. 77r.

(6) Cod. Vaticanus lat. 4738 (s. XV/XVI), fol. 6v 80r.v.

(7) *Rituum Ecclesiasticorum sive sacrarum cerimoniarum S.S. Romanae Ecclesiae Libri tres non ante impressi.* (In colophone: *Gregorii de Gregoriis Excusere Leonardo Lauredano Principe Optimo. Venetiis. M. D. XVI. Die XXI. Mensis Novembris*). Hanc editionem ipsam adhibendi facultatem nobis procuravit R. D. F. Bossarelli, C. M., Ephemeridum Liturgicarum moderator. Ceteras editiones in bibliothecis Urbis invenimus. In edit. a. 1516 missae textus datur fol. LXVII r-LXVIIIr.

nes e) terre et posuit super eos orbem. Gloria patri etc. Sicut erat etc.

ORATIO

Supplici domine humilitate deposcimus ut sacrosancte Romane ecclesie concedat pontificem f) illum tua inmensa pietas qui et pio g) in nos studio semper tibi placitus h) et tuo populo pro salubri regimine sit assidue ad gloriam i) tui nominis reverendus. Per Dominum nostrum Ihesum k).

LECTIO EPISTOLE BEATI PAULI

APOSTOLI AD HEBREOS

Fratres adeamus ad thronum gracie eius ut misericordiam consequamur, graciam inveniamus in auxilio oportuno. Omnis namque pontifex ... exauditus est pro sui reverencia.

R. l) Pontifex sacerdos magnus m) inter fratres suos super cuius caput n) fusum est unctionis o) oleum et cuius manus in sacerdocio consecrate sunt vestitusque est p) sanctis vestibus. Debuit per omnia fratribus similari. V. Ut misericors fieret et fidelis pontifex ad deum ut repropiciaret debita populi. Alleluia. V. Sacerdos sit sanctus sicut ego q) sum dominus qui sanctifico vos. Alleluia.

TRACTUS IN SEPTUAGESIMA

Erunt filii iacob sicut a principio et cetus eius coram me permanebit V. Et erit dux eius ex eo et princeps de medio eius producetur V. Et applicabo eum et accedet ad r) me V. Quis enim iste est qui applicet cor suum et appropinquet michi ait dominus V. Et eritis michi in populum et ego vobis in deum.

SECUNDUM s) IOHANNEM

In illo tempore dixit Ihesus discipulis suis. Si diligitis me mandata mea servate ... vos autem videbitis me quia ego vivo et vos vivitis.

OFFERENDA

Non participentur sancta donec exurgat t) pontifex in ostensione et veritate.

SECRETA

Tue nobis domine habundancia pietatis indulgeat ut sacra u) qui v) munera tibi reverenter offerimus gratum w) maiestati x) tue pontificem sancte matris ecclesie preesse y) regimini z) gaudeamus. Per dominum a) nostrum Ihesum christum.

COMMUNIO b)

Veste sancta utetur pontifex qui fuerit constitutus et qui ingrediatur c) tabernaculum testimonii ut ministret d) in sanctuario.

Oracio post communionem

Preciosi corporis et sanguinis tui nos domine sacramento refectos mirifica e) tue gracia maiestatis de illius summi pontificis concessione f) letificet qui et plebem g) tuam virtutibus instruat h) et fidelium mentes spiritualium aromatum odore perfundat i). Per k) christum dominum nostrum. amen.

a) Hunc titulum totum et ceteros omnes om. P b) vac. sed. ap. U c) fuerit M d) om. P e) terre card. P f) conc. ill. tua imm. pietas pont. U g) pie mos studio ms. pie vite studio U h) placidus ms. placida U i) ecclesiam U k) om. P l) G. R. M m) maximus U n) capud ms. o) unicornis U p) om. P q) sanctus add. U r) de ms. s) sec. ioh.: om. P Evangelium. Sec. ioh. M t) om. P u) qui sacra U v) que M. w) gradum U x) magestatis ms. maiestatis U y) preces ms. U reg. preesse PM z) regnum ms. a) ihesum etc. U b) comunio ms. c) ingredietur P ingrediebatur M d) ministrent ms. e) om. U f) confessione ms. P confexione U assumptione M g) plebam ms. h) instituat U i) perfudat ms. k) Qui vivis et. P

Si antiquum istum textum cum textu missalis Piani contulerimus, haec animadvertemus:

1. Mutatus est versus introitus, sane quia parum cum antiphona congruebat quae Summi Pontificis sacerdotium praedicat; praeterea prior ratio dominium magis temporale quam spirituale significabat.

2. Restitutae sunt in initio epistolae voces *cum fiducia,* quae in textu antiquiore constanter desunt.

3. In graduali verbum *debita* correctum est in *delicta* (*Hebr.* 2, 17).

4. Completus est versus alleluia: « sicut et ego *sanctus* sum Dominus qui », etc. (*Lev.* 21, 8).

5. Omnino mutatus est totum tractus eandem, ut videtur, ob causam propter quam correctus est versus introitus.

6. Additum est alleluia temporis paschalis.

7. Evangelium, adiunctis vv. 20 et 21 (cap. 14), protractum est usque ad verba: « et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum ».

8. In offertorio pro duobus ablativis posita est lectio

in Bibliis recepta, quae duos accusativos habet: « in ostensionem et veritatem » (8).

9. In secreta sententia « ut sacra qui munera tibi reverenter offerimus ... gaudeamus » in hanc conversa est: « ut per sacra munera quae tibi reverenter offerimus ... gaudeamus ». Prior tamen certe multo elegantior erat et clarior; voces namque *per sacra munera,* sive ad verbum *praeesse,* sive ad *gaudeamus* referuntur, vix quidquam significant. Re vera editio Piana non antiqua illa ratione nititur sed lectione editionis Christophori Marcelli, quae pro pronomine *qui* habet *que*: « ut sacra munera que tibi reverenter offerimus ... gaudeamus ». Quae sententia manifesto manca est et correctione utique indigebat; at correctio editione Pii V inducta parum felix fuit.

10. In postcommunione sublatus est chiasmus: « mirifica tue gracia maiestatis » qui durior videbatur. Doxologia autem *Per Christum* merito emendata est in *Qui vivis,* quoniam orationem non ad Patrem sed ad Filium dirigi liquet (« corporis et sanguinis tui »).

Melior igitur post istam reformationem textus missae *Suscitabo* profecto exstitit, maxime quia maior in eum inducta est unitas. Attamen etiam ante eius correctionem officium illud nihil continebat quod non esset pium et sanctum. Aliter nunquam esset in usum Ecclesiae Romanae admissum. Quid autem est de eiusdem officii meritis cen-

---

(8) Hic textus sumptus est de libro quodam apocrypho, scilicet de *Libro III Esdrae* 5,40: « Et dixit illis Nehemias et Astharas: Ne participentur sancta, donec exsurgat pontifex doctus in ostensionem et veritate ». Textui huic respondet libri *I Esdrae* 2,63: « Et dixit Athersatha eis, ut non comederent de sancto sanctorum donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus »; vel graece: Καὶ εἶπεν Ἀθερσασθὰ αὐτοῖς τοῦ μὴ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων ἕως ἀναστῇ ἱερεὺς τοῖς φωτίζουσι καὶ τοῖς τελείοις. Et libri *II Esdrae* 7, 65, ubi eadem facta narrantur: « Dixitque Athersatha eis ut non manducarent de sanctis sanctorum donec staret sacerdos doctus et eruditus »; vel graece: Καὶ εἶπεν Ἀθερσασθὰ ἵνα μὴ φάγωσιν ἀπὸ τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων ἕως ἀναστῇ ἱερεὺς φωτίσων. Utriusque vero huius loci textus hebraicus ita vertendus est: « Et gubernator prohibuit eos de sancto sanctorum quidquam comedere, dum iterum sacerdos exsisteret ad (tractanda) urim et tummim ». De his v. H. Lesêtre, in *Dictionnaire de la Bible,* t. V, p. 2359-2365. Singularissimum hunc usum textus alicuius apocryphi in liturgia Romana nobis indicavit R. P. Prof. R. Galdos.

sendum quod ad rationem pertinet qua scriptum est? Quae quaestio, ut patet, ad tres tantum orationes: collectam, secretam, postcommunionem spectat, cum sint reliqua omnia fere sine ulla variatione e Sacra Scriptura sumpta.

Non splendet, ut nobis videtur, in tribus illis orationibus ea in doctrina exprimenda subtilitas, ea aptiorum vocabulorum selectio, ea artissima sententiarum colligatio et implicatio quaedam, ea fluentissima verborum consecutio, brevitas, concinnitas ac numerus, universa ea plenitudo atque elegantia quam in orationibus seu collectis romanis admiramur.

1. Quaedam sententiae minus rectae sunt: Sic, v. g., oppositio ipsorum precantium et populi in collecta significare videtur istos precantes Summi Pontificis regimi non subici. Quod certe ipsi cardinales non sentiebant. Parum felix quoque est distinctio plebis et fidelium quam habet postcommunio.

2. Aliarum sententiarum incerta est consecutio: nimis videlicet obliqua est consequentia a « munera qui tibi offerimus » ad « praeesse gaudeamus », a « sacramento refectos » ad « de concessione gaudeamus ».

3. Aliae nimia rerum vel potius verborum copia onerantur: « qui . . . et populo tuo pro salubri regimine sit assidue ad gloriam nominis tui reverendus », « gratum maiestati tue pontificem sancte matris ecclesie preesse regimini gaudeamus », « mirifica tue gracia maiestatis de illius summi pontificis concessione letificet ».

4. Verborum constructio non numquam durior est: « mirifica tue gracia maiestatis », « concedat pontificem illum tua immensa pietas qui ».

5. Simplici elegantiae orationis liturgicae officit quoque grandiloqua quaedam in dicendo affectatio, quam produnt, v. g., haec verba: « sacrosancta Ecclesia, Summus Pontifex, sancta mater Ecclesia, mirifica gratia, fidelium mentes spiritualium aromatum odore perfundere ».

Missam *Suscitabo* in curia papali ortam esse, quando

haec una cum ipso suo capite sedem suam extra Urbem constitutam habebat, demonstrat etiam nomen Ecclesiae Romanae quo Ecclesia catholica appellatur. Hoc in ipsis collectis romanis non fit sed Ecclesia vocatur simpliciter Ecclesia, vel Ecclesia tua, vel Ecclesia catholica. Romae videlicet, cum ibi praesens est papa, supervacaneum est declarare Ecclesiam catholicam Romanam esse. Avenione vero, tempore « exsilii Babylonici », non deerat causa hoc memorandi.

Non multum autem in redigendis orationibus missae *Suscitabo* curatam esse membrorum earum seu articulorum aptam distinctionem horumque proportionem ac convenientiam manifestum faciet haec dispositio, qua indicatur etiam numerus syllabarum in singulis articulis:

Supplici Domine humilitate deposcimus	15
ut sacrosante Romane ecclesie concedat pontificem illum tua inmensa pietas	29
qui et pio in nos studio semper tibi placitus	16
et populo tuo pro salubri regimine sit assidue ad gloriam tui nominis reverendus	32
Tue nobis domine habundancia pietatis indulgeat	20
ut sacra qui munera tibi reverenter offerimus	17
gratum maiestati tue pontificem sancte matris ecclesie preesse regimini gaudeamus	31
Preciosi corporis et sanguinis tui nos domine sacramento refectos	24
mirifica tua gracia maiestatis de illius summi pontificis concessione letificet	32
qui et plebem tuam virtutibus instruat	13
et fidelium mentes spiritualium aromatum odore perfundat	23

Multae ex istis sententiis prolixiores sunt, quam ut apta sint membra illius verborum circuitus et quasi orbis e quo unaquaeque collecta in missa ritus romani plerumque constat. Inde fit ut vix eas possis aure inter se commetiri. Denique distinctio et ordinatio sententiarum prolixiorum et brevium tam parum cum ipsius orationis cursu congruit, ut ei aliquando adversetur. Sic, v. g., in collecta e duabus sententiis « qui et pio ... placitus » at-

que « et tuo populo ... reverendus », prior brevis est, altera longissima.

Melius observatae sunt in singularum partium terminationibus leges cursus rhythmici.

Ad cursum planum pertinent: « sacramento refectos », « odore perfundat ».

Ad velocem: « nominis reverendus ».

Ad tardum: « humilitate deposcimus », « pietatis indulgeat », « reverenter offerimus », « concessione letificet ».

Ad dispondaicum: « preesse gaudeamus ».

Ad nullum cursum: « inmensa pietas », « tibi placitus », « virtutibus instruat ».

* * *

His de textu missae *Suscitabo* expositis, inquirendum nobis nunc est quinam fuerit in antiquitate huius officii usus.

Quo modo adhibitum sit in ipso conclavi anni 1362 in quo ortum habuit aliquatenus e narratione WERNERI HASSELBECKENSIS intellegimus. Cotidie celebratum est et fortasse ab ipsis cardinalibus, non tamen ante scrutinia sed post quam haec cuncta iam erant peracta: absoluta namque electione exspectabatur electi consensus isque erat a Deo totius sacri Collegii precibus assequendus.

Caeremoniale vero FRANCISCI DE CONZIE iam multo clarius regulas exponit quibus recitatio missae *Suscitabo* regebatur (9):

Sciendum est quod domini cardinales in conclavi existentes omni die de mane debent congregari in loco eis ordinato pro omnibus alloquiis et missis audiendis, ubi debet esse continue altare erectum. Et ibi die qualibet debent coram ipsis due misse basse submissa voce celebrari per duos ex cappellanis ipsorum pro suo servicio per ipsos in conclavi introductis, qui ad hoc invicem se sic disponere et ordinare debent quod alternatis vicibus hoc faciant sine deffectu. Si tamen ipsimet domini cardinales episcopi sive et presbiteri hoc facere velint, prout quan-

(9) Cod. Vaticanus lat. 4736, fol. xiij.v. Cfr. GATTICUS, *Acta selecta*, I. p. 241.

doque facere visi sunt, erit magis decens honestum congruum et opportunum, praesertim ubi devocio ad alibi tunc in secreto celebrandum eos induceret seu incitaret. Item si aliquis ex dominis cardinalibus tunc ibi celebret, non deberet alios sibi assistentes seu servientes [habere] nisi solummodo unum ex suis servitoribus, presbiterum maxime si habeat, cum superpellicio et dictum clericum cappelle papalis.

Item ex dictis missis una semper debet dici de festo vel de die prout occurret, alia vero de officio specialiter ordinato quando sedes apostolica vacat; de quo etiam debet fieri commemoratio in alia missa.

Prius autem quam conclave ingrediebantur, quod fiebat die decimo post mortem papae, debebant cardinales « audire missam solemnem de Spiritu sancto dicendam per unum ex ipsis in eadem ecclesia [in qua celebratum erat novendiale defuncti pontificis], si hoc fieri commode possit » (10).

Regulam ab Episcopo Narbonnensi definitam breviter memorare videtur Augustinus Patritius in suo caeremoniali: (11):

Consuetudo fuit apud superiores: ut due misse singulis diebus in conclavi dicerentur: una de die currenti, altera propria, que de sede vacante dicitur, infrascripta in fine huius voluminis; una per sacristam altera per aliquem ex cappellanis cardinalium, nisi ipsi personaliter velint celebrare.

De missa vero in ipso conclavis ingressu (12):

Nona die post missam pro defunctis cantatur de Spiritu sancto et fit sermo exhortatorius ad electionem Pontificis.

Quas normas omnes editiones huius caeremonialis sine ulla mutatione vel additione iteraverunt (13).

Summorum autem Pontificum Constitutiones quae conclavis legem, anno 1272 a Gregorio x, constitutione *Ubi periculum,* conditam, perficiunt ac complent, mentionem faciunt missarum quae sunt cum in ipso conclavis initio

(10) Gatticus, *Acta selecta,* I, p. 237.
(11) Cod. Vaticana lat. 4738, fol. 6v.
(12) Ibid. fol. 79 v.
(13) V. g. in edit. a. 1516, fol. VIr et fol. LXVIIv.

tum intra illud celebrandae, videlicet: Bulla Pii IV *In eligendis*, 9 oct. 1562, *Caeremoniale* Gregorii XV, 2 apr. 1622, Bulla Urbani VIII, *Ad Romani Pontificis*, 28 ian. 1625, Constitutio Pii X, *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1914 (14). De missis autem quae sunt cotidie in conclavi celebrandae, praescribunt eaedem constitutiones, si bullam Pii IV excipias, ut in prima illarum, id est in ea quae primo conclavis mane agenda est, fiat etiam cardinalium communio.

Nullum autem e quattuor documentis officium *Suscitabo* memorato.

Sin autem non iam leges tantum seu regulas, sed consuetudinem quae in conclavibus reapse obtinebatur respexerimus, multo plures utique missae *Suscitabo* mentiones reperiemus, at etiam videbimus eius usum paulatim tantum et quasi cunctanter a Curia Romana in Urbem reversa admissum esse eumque etiam post receptionem suam multis vicissitudinibus obnoxium fuisse.

Trium dumtaxat conclavium ex iis quae inter mortem Urbani V (1389) et mortem Sixti IV (1484) acta sunt (15), prolixior narratio nobis transmissa est, in qua etiam missarum mentio fiat, videlicet conclavium in quibus electi sunt Urbanus VI (1378), Nicolaus V (1447) et Paulus II (1464), quaeque omnia Romae habita sunt. Iam vero de conclavi anni 1378 refertur primo eius die cardinales omnes

---

(14) Collectio horum documentorum pluries edita est in usum, ut videtur, ipsorum cardinalium. Usi sumus editione anni 1724: *Caeremoniale continens ritus electionis Romani Pontificis Gregorii Papae XV iussu editum, cui praefiguntur Constitutiones Pontificiae et Conciliorum decreta ad eam rem pertinentia, cum Appendice compendii caeremonialis eiusdem nec non Constitutionum, Reformationum Innocentii Papae XII, et Clementis XII, Romae*, MDCCXXIV, Typis Reverendae Camerae Apostolicae. Loci qui ad missas pertinent, leguntur his paginis: 26, 31, 51, 53, 70, 73, 76, 80, 82. Constitutio vero Pii X adiuncta est ipsi *Codici Iuris Canonici*.

Mos celebrandi missam sollemnem de Spiritu Sancto in ingressu conclavis ortus esse videtur brevi postquam Gregorius X (1272) legem conclavis instituit. Illius mentio habetur iam apud Iacobum Caietanum de Stephanescis, card. diaconum S. Georgii in Velabro (1341 vel 1342), *De electione, et coronatione S. D. Bonifacii Papae VIII*, lib. I, c. 1, L. A. Muratori, *Rerum Italicarum Scriptores*, t. III, 1723, p. 642 A; cfr. p. 641 B. Electus autem est Bonifacius VIII anno 1294.

(15) Acta illa edita sunt in vitis singulorum Pontificum apud L. A. Muratori, *Rerum Italicarum Scriptores*, t. III, pars II, p. 645-1068.

in cappellam convenisse duasque missas celebrasse vel audivisse, alteram de Spiritu Sancto, ut moris est, alteram de feria tunc occurrenti, ante quam electionis negotium aggressi sunt. Ipsa vero missa de Sede vacante nullo verbo indicatur (16). Anno 1447 Domini Cardinales « cum processione et invocatione Sancti Spiritus, humi deflexis capitibus atque oculis, conclave sunt ingressi », et intra conclave cappella erat in qua cotidie « communis missa celebrabatur », prius quam scrutinia agerentur. De missa tamen *Suscitabo* etiam haec narratio silet (17). Idem denique fit de conclavi anni 1464, in quo « celebrata sacra eucharistiae oblatione invocatoque Sancti Spiritus auxilio (sicuti mos est in tam arduo fidei negotio) », omnium consensu electus est cardinalis S. Marci (18).

Clarissimas autem mentiones habemus missae *Suscitabo* in narrationibus conclavis anni 1484 et duorum conclavium anni 1503, quibus creati sunt Innocentius viii, Pius iii et Iulius ii. Narrationis autem auctor est vir non unam ob causam notissimus, Ioannes Burckardus, in suo *Libro notarum*. Burckardus erat caeremoniarum papalium magister et suo munere in tribus istis conclavibus functus est. De missa porro ante initium conclavis anni 1484 haec scribit (19):

> Feria V, XXVI mensis augusti, r.mus d. cardinalis Sancti Marci in basilica sancti Petri et altare ante cancellum, ut supra parato, in ceterorum XXIIII rr. morum dd. cardinalium supradictorum presentia ac prelatorum et oratorum in romana curia existentium, celebravit missam solemnem de Spiritu sancto cum oratione conveniente et prefatione, omissis verbis *hodierna die*, et, si bene memini, prima dicta oratione sub sua conclusione, dixit aliam, et bene; debet enim dici pro electione futuri pontificis, videlicet: *Supplici, Domine, humilitate deposcimus*, etc. Dixit *Credo* et alia more solito.

---

(16) Ibid., p. 680 C - 681 D et 719 B.
(17) Ibid., p. 892 BC.
(18) Ibid., p. 1005 C.
(19) Edit. G. Carducci et V. Fiorini, in *Rerum Italicarum Scriptores, Raccolta degli Storici Italiani del cinquecento al millecinquecento*, t. XXXII, 1913 ss., p. 24.

Primo autem mane post conclavis ingressum missarum celebratio hoc modo ordinata est (20):

Feria VI, XXVII mensis augusti, summo mane, r.mus d.mus cardinalis Sancti Marci in altare maiori parve capelle celebravit missam pro devotione sua, ministrante sibi uno ex suis conclavistis. Idem fecit post eum cardinalis Agriensis et Masticonensis et quidam alii, si bene memini. Deinde circa horam XII abbas Sancti Sebastiani, sacrista noster, nobis sibi ministrantibus, dixit missam publicam, in paramentis tamen sacerdotalibus tantum. Interfuerunt omnes cardinales... Missam dixit de Spiritu sancto cum oratione: *Deus qui corda fidelium*, etc., et sua prefatione, in quibus omisit illa verba: *Hodierna die*. Primam orationem dixit sub sua conclusione, deinde aliam pro electione cum *Gloria in excelsis Deo* et *Credo* et *Ite missa est*. In paramentis rubeis celebravit prout conveniebat.

Idem porro actum est die sequenti quae fuit ultima huius conclavis (21):

Sabbato, XXVIII mensis augusti, summo mane incipiente, plures ex rr.mis cardinalibus celebraverunt missas in capella parva predicta, ut heri; deinde circa horam XII, sacrista noster celebravit missam publicam, omnibus cardinalibus praesentibus similiter ut heri.

Igitur, etsi cum dubio aliquo, refert Burckardus anno 1484 officium *Suscitabo* non solum in missis ipsius conclavis sed etiam in missa ingressus adhibendum fuisse, non tamen totum sed ita ut eius orationes in missa de Spiritu Sancto, singulis huius orationibus, cum distinctis conclusionibus, subiungerentur.

Similis ratio servata est in duobus conclavibus anni 1503. In initio prioris conclavis circa horam XV diei 16 septembris cardinalis Sanctae Crucis celebravit missam de Spiritu Sancto in qua « dixit II orationes, quamlibet sub sua conclusione, videlicet de Spiritu sancto et alia de sede vacante, *Gloria, Credo* et prefatio de Spiritu sancto ». Die vero sequenti seu 17 septembris quae erat dominica XV post pentecosten et dies octava Nativitatis B. V. Mariae,

(20) Ibid., p. 29.
(21) Ibid., p. 29.

pro sacrista infirmo « missam publicam » dixit alter caeremoniarius. Dictumque est *Credo*, praefatio de Spiritu Sancto et orationes duae, altera *Deus qui famulis tuis* (e missa Nativitatis?), altera de sede vacante. Pari modo actum est diebus subsequentibus usque ad diem 22 septembris. Die tamen 20 fuerunt duae missae, altera privata a cardinali Sanctae Crucis, altera « publica » ab ipso Burckardo celebrata. Huic interfuerunt omnes cardinales. Missa autem publica erat de Spiritu Sancto cum commemoratione de sede vacante (22).

In altero conclavi anni 1503 missa ingressus eadem fuit quae celebrata est in conclavi priore. Primo autem conclavis die, quae erat 1 novembris seu festum Omnium Sanctorum, servata tamen est consuetudo et circa horam XVI sacrista conclavis dixit missam de Spiritu Sancto cum oratione de sede vacante (23).

Igitur tempore quo Burckardus magister erat caeremoniarum, licet caeremoniale Augustini Patritii contrarium praescribat, missa *Suscitabo* nondum de loco suo demovere potuerat missam de Spiritu Sancto quae, ut videtur, erat pro vetere more romano cotidie in ipso conclavi recitanda. Quam rerum conditionem memorare videtur rubrica nostri missalis quae in celebratione missae *Pro eligendo Summo Pontifice* optionem dat officii de Spiritu Sancto atque officii *Suscitabo*.

Eam tamen victoriam mox retulisse videtur missa nostra. In conclavi namque anni 1512, quo electus est Leo x, teste alio caeremoniarum magistro celebri, Paride de Grassis, missae hoc modo ordinatae sunt. In ingressu conclavis celebrata est missa de Spiritu Sancto: utrum autem cum commemoratione de sede vacante necne, nescimus. Intra conclave vero nova est adhibita ratio antiquiori contraria: « Die sabbati 5 martii hora secunda diei, vel circa, sacrista Palatinus super altare capellae maioris [id est

(22) Ibid., p. 372, 373, 383, 384, 386.
(23) Ibid., p. 399.

Sixtinae] celebravit missam de sede vacante et cum commemoratione de Spiritu Sancto et nulla alia commemoratione, in qua dixit hymnum angelicum et symbolum; cardinales [aderant] omnes... et semper inter missam fuerunt genuflexi . . Etiam aliqui cardinales ibidem celebrarunt ante missam sacristae ordinariam, ut eis placuit. Et quia forte aliqui voluissent celebrare, etiam ereximus altare in aula congregationum, ubi solet teneri consistorium publicum pro creatione cardinalium; et super solio papali ereximus illud, quod sic pro magnificentia et ostensione posueramus, nam in eadem aula quotidie ibi congregationes agebantur ».

Quae ratio etiam diebus sequentibus servata est (24).

A conclavibus vero anni 1522 et 1523 quae ADRIANUM VI et CLEMENTEM VII elegerunt, caeremoniarum autem magistrum habuerunt BLASIUM DE MARTINELLIS missa de sede vacante brevem eclipsim passa esse videtur. Etenim huius Blasii diariis memoratur quidem missa de Spiritu Sancto in ingressu conclavis et missa cotidie intra hoc a sacrista celebranda, ipsius autem officii *Suscitabo* nulla certa mentio fit. In diario autem conclavis anni 1523 primum significatur nova quaedam consuetudo, quae fortasse etiam tunc ortum habuit, id est ut primo scrutiniorum die, qui plerumque primus est dies conclavis totius, missa « publica » seu « conventualis » ab ipso decano Sacri Collegii celebretur in eaque omnes cardinales communionem accipiant. Porro anno 1523 scrutinia septimo dumtaxat die post ingressum in conclave inchoari potuerunt (25).

Attamen missae de sede vacante eclipsis, si re vera accidit, certe non fuit diutina. Denuo enim comparet illa in actis conclavis anni 1534 e quo papa exivit PAULUS V. Acta autem illa servata habemus in diariis utriusque caeremoniarum magistri, BLASII DE MARTINELLIS huiusque socii IOANNIS FRANCISCI FIRMANI. In ingressu nimirum concla-

(24) GATTICUS, *Acta selecta*, I, p. 314-315.
(25) Ibid., p. 318-823.

vis pro more celebrata est a decano cardinalium missa sollemnis de Spiritu Sancto in ecclesia Sancti Petri, cumque sit haec consuetudo exinde usque ad nostra tempora constanter servata, eius mentionem posthac omittemus. Neque ab illo tempore umquam iam memoratur usus quilibet vel ipsius officii *Suscitabo* vel eius orationum in illa missa ingressus.

Intra conclave vero prima die decanus Sacri Collegii Cardinalis Farnesius summo mane celebravit missam in cappella minore cui interfuerunt fere omnes cardinales. Post communionem, cum iubente caeremoniario, exclamatum esset ut omnes cardinales qui vellent de sacramento communicare, accederent, quamplures communicaverunt, pro quibus ipse caeremoniarius confessionem recitavit. Dicta est missa de Spiritu Sancto. Quibusdam tamen obicientibus eam dici debuisse de sede vacante, respondit caeremoniarius missam a Decano celebratam censendam esse missam votivam pro devotione ipsius cardinalis celebratam. Alteram igitur missam celebraturum esse sacristam, nimirum de sede vacante, pro bono initio conclavis, cui interessent omnes cardinales ad sonum campanulae, ut moris erat, vocati. Quae solutio maiori cardinalium parti placuit, quamvis aliqui graviter ferrent necessitatem duas missas audiendi. Reversi igitur omnes cardinales in cellas suas, post quartum horae, audita campanula, in cappellam congregationum iterum convenerunt ibique missam sacristae audiverunt (26).

In narrationibus conclavium annorum 1559, 1565-1566, 1585, 1590, 1592, in quibus creati sunt Pius IV, Pius V, Urbanus VII, Innocentius IX, Clemens VIII, caeremoniarum vero magistri fuerunt Ioannes Franciscus Firmanus, Cornelius Firmanus, Ioannes Paulus Mucantius et Paulus Alaleone, parcissime rursus edocemur quaenam fuerit ratio in missarum celebratione servata. Et quibusdam tamen indiciis concludendum videtur rationem istam eandem fuis-

(26) Ibid., p. 325-327; 330-331.

se quae in conclavi anni 1534 definita erat, nisi quod primo die non duae missae sed una tantum celebrabatur. Anno 1559 primo conclavis die cardinalis Decanus in cappella Paulina missam de Spiritu Sancto celebravit et dicta missa communicavit omnes cardinales (27), eodemque modo egerunt cardinales Decani ac ceteri cardinales anno 1565 et 1591 (28). Reliquis diebus missa pro more a sacrista celebrabatur. Die 1 novembris 1559, in festo Omnium Sanctorum, missa iterum celebrata est a decano S. Collegii, in qua communicaverunt 42 cardinales, cum quinque aegroti communionem in suis cellis reciperent. Die 25 decembris eiusdem anni, cum omnes cardinales tres consuetas missas private celebrare voluissent, duodecim horae in hac re transactae sunt, ita ut tempus missae conventualis celebrandae necessario deesset (29). Anno 1590, die 8 septembris, ob festum Nativitatis B. V. Mariae multi quoque cardinales missam private dixerunt (30).

E nullo autem conclavi tam plene edocemur quod ad usum officii *Suscitabo* attinet, sicut e conclavi anni 1605, cuius acta caeremonialia nobis a Ioanne Paulo Mucantio enarrantur (31).

Primo videlicet die cardinalis Decanus in cappella Paulina missam, sine cantu legendo, celebravit de Spiritu Sancto, cum una collecta more sollemni et absque commemoratione de feria [erat feria III post dominicam III quadragesimae] et postquam ipse sacrum corpus et sanguinem sumpsit, manu propria omnes cardinales ibi praesentes communicavit. Die vero sequenti multi cardinales missas lectas celebraverunt in cappella Sixtina ubi praeter solitum octo altaria erant. Deinde ad pulsum campanulae convenerunt omnes cardinales in cappellam Paulinam, ubi sacrista missam conventualem [antea vocabatur

(27) Ibid., p. 332.
(28) Ibid., p. 335 et 342.
(29) Ibid., p. 334.
(30) Ibid., p. 339.
(31) Ibid., p. 344-347.

haec missa « publica »] de sede vacante et de eligendo Summo Pontifice celebravit cum paramentis rubris, sine alia commemoratione de feria. Quae missa durante sede vacante sic celebrabanda erat cotidie, etiam dominicis diebus et festivis, sine *Gloria* et sine *Credo*.

Ita etiam ceteris diebus actum esse videtur. Die autem 20, quae erat dominica IV quadragesimae, missam solitam sede vacante celebravit R. D. Angelus Rocca, tunc S. Palatii sacrista. Rem autem sic a Mucantio refertur:

Missam solitam de Sede vacante R. P. D. Sacrista absque commemoratione de Dominica, et cum una tantum oratione de eligendo Summo Pontifice prout toto tempore Sedis vacantis fieri debet, celebravit. Dixit symbolum, quia sic faciendum esse alta voce monuit Rmus Cardinalis Gallius, licet in libris Sacristae et annotationibus Rev. P. D. Augustini Fivizzani huius Sacristae Praedecessoris, annotatum sit, quod huiusmodi Missa, singulis diebus, etiam Dominicis, sine *Gloria*, et sine *Credo* celebratur tanquam Missa votiva, prout revera est; cui Sacristae tanquam experto credendum est, quia haec pertractavit in Conclavibus post obitum Gregorii xiii [1585], Sixti v [1590], Urbani vii [1590], Gregorii xiv [1591] et Innocentii ix [1591], et haec ipsa, quae ad officium suum pertinent, manu sua propria scripta reliquit etc.

Die 25 martii in festo Annuntiationis idem sacrista cum paramentis rubris missam solitam conventualem dixit de sede vacante sine *Gloria* et sine *Credo*, et omissa qualibet commemoratione, similemque rationem tenuit die 27 quae fuit dominica Passionis.

Instabat autem hebdomas sancta et festum paschatis nec vicinus videbatur conclavis finis. Iussi igitur caeremoniarum magistri ordinem parare qui esset illis diebus servandus, hanc rationem proposuerunt:

In literis fel. rec. Pii IV super conclave simpliciter statuitur, ut singulis diebus scrutinium fiat; et licet de antiqua consuetudine ante scrutinium singulis diebus a Sacrista celebrari soleat et debeat Missa de Sede vacante specialiter ordinata pro eligendo Summo Pontifice, sine aliqua commemoratione Dominicae, Feriae Quadragesimalis, vel cuiuscunque Festi occurrentis, et sine *Gloria*, et sine *Credo;* tamen nec in dictis

literis Pii IV, nec alibi prohibitum reperitur, quin alia Missa ante scrutinium celebrari possit.

Quare si electio Summi Pontificis ante Dominicam Resurrectionis D. N. I. C. conclusa non erit, et RR. DD. Cardinales in Conclave erunt Hebdomada Sancta, et in die Paschatis, convenire videtur ut Feria V in Coena Domini, Feria VI in Parasceve, et Sabbato Sancto, quibus diebus unica tantum Missa per singulas Ecclesias celebratur,... [propriae eorum dierum] solemnitates celebrentur, si non solemniter, saltem simpliciter et sine cantu; et eo modo quo melius potuerit, absque eo quod postea alia Missa de Sede vacante celebretur.

[Die vero Palmarum post celebratam ramorum benedictionem et distributionem poterunt cardinales] assistere ad Missam Conventualem de Sede Vacante, quam more solito celebrabit R. P. D. Sacrista.

[Denique] in Dominica Paschatis Resurrectionis RR. DD. Cardinales Presbyteri poterunt summo mane celebrare, et Rmus Decanus, vel alius Cardinalis ante horam scrutinii poterit celebrare in Sacello Paulino, et communicare omnes RR. DD. Cardinales Diaconos, et deinde omnes Conclavistas; et postea R. P. D. Sacrista celebrabit Missam solitam de Sede vacante.

At die 1 aprilis, feria VI ante dominicam palmarum, electio peracta est.

In conclavi anni 1644, quod INNOCENTIUM X elegit, vacante sede cotidie missa ante scrutinii actum atque accessum celebrata est, cum caeremoniarius esset FULVIUS SERVANTIUS. Quaenam autem fuerit ista missa non refertur (32).

Clarius vero nobis idem caeremoniarum magister exponit quid actum sit in conclavi anni 1655 quo papa creatus est ALEXANDER VII. Primo die loco cardinalis Decani aegroti missam celebravit cardinalis Barberinus, nimirum de Spiritu Sancto cum secunda collecta de Sede vacante, in eaque omnes cardinales communicaverunt. Die secunda plerique cardinales private celebraverunt, iisque ipsi magistri caeremoniarum, epitogiis induti, et conclavistae ministraverunt. Postea tamen omnes adfuerunt missae conventuali de sede vacante quam rubris paramentis indutus celebravit sacrista Apostolicus et Sacri Collegii Parochus, sine *Gloria* et *Credo* et sine ulla penitus commemoratione.

(32) Ibid., p. 353.

Isti missae ministraverunt tantum caeremoniarii « cum epitogiis absque coctis ». Die autem 25 martii qui erat Feria V in Cena Domini quamplurimi ex E.mis Patribus missas privatas currentis feriae sine ulla commemoratione celebrarunt in Cappella Paulina et eorum conclavistis communionem dederunt. In cappella vero Sixtina R.mus Sacrista albis paramentis amictus eandem missam cum commemoratione pro eligendo Summo Pontifice dixit in qua duas hostias consecravit (33).

Denique in conclavi Clementis x, anno 1670, eodem Servantio caeremoniarum magistro, primo die, ut ferebat consuetudo, cardinalis Decanus missam conventualem celebravit in eaque communionem cardinalibus distribuit. Die 19 februarii, qui fuit dies Cinerum, hi solito ritu a decano benedicti atque impositi sunt et postea ab eodem Decano celebrata est in paramentis rubris missa de Spiritu Sancto sine ulla commemoratione. Res utique mira, quoniam ex narrationibus priorum conclavium exspectandum erat illo die celebratam esse missam de sede vacante (34).

Ceterorum conclavium quorum mentionem omisimus et eorum omnium quae post mortem Clementis x (1676) usque ad nostrum tempus habita sunt acta caeremonialia edita non sunt vel certe praesto nobis non fuerunt.

Ex iis tamen quae hic exposuimus, haec concludi possunt, quae aliquatenus saltem nobis ostendunt quomodo ab antiquissimis usibus ad praesentem rationem perventum sit qua missae cum in ingressu conclavis tum intra illud celebrandae sunt.

1. Missa ingressus in ecclesia Sancti Petri vel in cappella Sixtina, quae eius pars censetur, a Cardinali aliquo ex senioribus sacri Collegii semper sollemniter celebrabatur. Missa autem illa erat de Spiritu Sancto. Solum in conclavi anni 1484 et in duobus conclavibus anni 1503, si

(33) Ibid., p. 354, 355, 356, 357.
(34) Ibid., p. 360-361.

Ioanni Burckardo credendum est, in illa missa commemoratio facta est de sede vacante.

2. Teste Francisco de Conzie, in conclavibus Avenionensibus consuetudo fuit ut singulis diebus celebraretur ab aliquo cappellano vel etiam ab aliquo cardinali missa *Suscitabo* sine ulla commemoratione. In conclavibus autem Romanis saeculi xv dubium est eandem missam ullo modo esse usurpatam, licet affirmet Augustinus Patritius consuetudinem fuisse ut singulis diebus duae missae celebrarentur in conclavi quarum altera semper officium *Suscitabo* erat. Re vera in conclavibus tribus annorum 1484 et 1503 solummodo orationes missae *Suscitabo* recitabantur, nimirum in altera missa cotidiana, quae semper erat de Spiritu Sancto. Etsi non constanter, crevit tamen apud caeremoniarum magistros aestimatio officii *Suscitabo*, ita ut ineunte saeculo xvii sententia eorum fuerit missam illam ne in die paschatis quidem omitti posse, si fieret ut cardinales tunc in conclavi essent. Primo fuit in illo officio commemoratio facienda de Spiritu Sancto, postea vero omnis commemoratio exclusa est, omittendusque fuit hymnus angelicus et symbolum. A sacrista celebranda erat praesentibus omnibus cardinalibus. Locus eius cappella minor erat seu Paulina, color vero liturgicus ruber.

3. Priora caeremonialia praescribebant ut ante missam de sede vacante altera etiam « publica » seu « conventualis » celebraretur, nempe de feria, dominica vel festo occurrenti. At hic usus, si unquam reapse obtinuit, cito dimissus est. Etenim magis ac magis invaluit mos ut cardinales private missam celebrarent, qui vero hoc non facerent, sed tamen communicare vellent, hoc in missa privata a decano S. Collegii celebrata agerent.

4. A conclavi anni 1523 comparet consuetudo ut primo conclavis mane missa sine cantu a decano celebraretur in eaque fieret omnium cardinalium communio. Prius fortasse fuit de sede vacante dicenda, postea vero certe de Spiritu

Sancto, etsi aliquando in ea fiebat commemoratio de sede vacante. Eodem die omittebatur solita missa sacristae.

Legem autem quam posuit Constitutio Pii x, *Vacante Sede Apostolica*, c. 5, n. 54, communionis ab omnibus cardinalibus in prima illa missa agendae, Pius xi, Motu Proprio *Cum proxime*, 1 martii 1922, eorum gratia sustulit qui eodem die private celebravissent, hanc autem facultatem omnibus concessit.

* * *

Si igitur affirmari non potest officium *Suscitabo* magnas laudes mereri ob rationem qua compositum est atque scriptum, omni tamen veneratione nostra dignissimum declarandum est, non solum quia a compluribus iam saeculis eius usus tam arte cum celebratione conclavium coniunctus apparet, sed quia prorsus credendum est eius frequentem ac devotam in actione eucharistica recitationem pro parte sua effecisse ut illa conclavia modo magis ac magis cum altissimo eorum fine consentaneo agerentur et Ecclesiae regimini pastores vere eximios praeficerent.

Ioannes M. Hanssens S. I.

Estne una cum festo S. Iosephi transferenda etiam obligatio illud feriandi?

Animadvertamus primo festum S. Iosephi unum esse festum ex obligatione in universa Ecclesia latina feriandum quod etiam aliquando transferendum sit. Duae autem sunt huius translationis rationes: altera ex uno e quattuor prioribus diebus hebdomadis maioris (e dominica Palmarum aut e feria II, III, vel IV) in feriam III post dominicam In Albis, quemadmodum in priore quodam articulo nuper exposuimus (1); altera e dominica aliqua quadragesimae

(1) *De translatione festorum S. Iosephi et Annuntiationis, Periodica de re morali, canonica, liturgica*, XXVIII (1939, pp. 61-72. In quo

(II, III, IV vel V) in feriam II istam dominicam subsequentem, ut hoc anno factum est. Numquam autem occurrit festum S. Iosephi in diem quo omnis missa prohibeatur, immo neque in diem quo unam tantum missam celebrare liceat. Si enim festum S. Iosephi in Cenam Domini inciderit, non est tam severa lex unius missae hoc die celebrandae, ut, propter necessitatem praecepti implendi, concedi non possit celebratio aliarum missarum praeter sollemnem missam ipsius officii. Certe sic factum est anno 1693, quo illud obvenerat (2), et fortasse etiam anno 1818. Iterum vero festum S. Iosephi in Cenam Domini non incidet ante annum 2285.

De non transferenda feriationis obligatione tria modo sunt S. R. Congregationis decreta, quorum unum tantum est generale atque ipsum festum S. Iosephi spectat (3), cetera duo ad festum, de praecepto feriandum, patroni dioeceseos cuiusdam vel civitatis pertinent (4). Decretum generale, 13 sept. 1692 (n. 1883), in articulo de *Translatione festorum S. Iosephi et Annuntiationis* exhibuimus (5). Praecavens nimirum difficultati quam anno 1693 exstitisse diximus, quia festum s. Iosephi in ipsam Cenam Domini occurrebat, decernit illud decretum officium quidem transferendum esse ad aliam diem iuxta Rubricas Breviarii Romani et Decreta ipsius Congregationis; praeceptum vero audiendi missam et vacandi ab operibus servilibus non esse transferendum sed retinendum in Feria V Maioris Hebdomadis. Si igitur non transfertur obligatio feriandi festum S. Iosephi sed in die 19 martii retinetur, etiam si hoc fieri non potest sine gravi immutatione usuum liturgicorum vel

---

articulo erravimus cum negabamus (p. 72) in rubricis hodiernis praecipi ut in transferendis festis ratio haberetur eorum praestantiae. Haec norma namque clare exprimitur in *Additiones et Variationes, in rubricis generalibus Breviarii*, tit. II, in initio. Quare conclusio nostra non tantum probabilior dicenda erat, sed certa. Quod non tam durum est confiteri.

(2) Cfr. Decr. auth. 1883, de quo dicturi sumus.

(3) Decr. auth. 1883, 13 sept. 1692.

(4) Decr. auth. 2164, 20 mart. 1706 et 2305, 10 dec. 1733.

(5) *Periodica*, t. c. pp. 68-69.

sine incommodo fidelium, magis utique valebit eadem lex, si festum S. Iosephi recurrerit in feria II, III vel IV hebdomadis maioris, quibus, sicut diebus ordinariis, plures missae celebrari possunt, et etiam magis cum idem festum cadit in dominicam II, III, IV vel V quadragesimae seu in diem quo iam est feriationis obligatio.

Quoniam autem nulla est ratio ambigendi decretum anni 1692, quod est in collectione authentica decretorum S. C. Rituum vulgatum, etiam hodie vim suam servare, dubium nullum est quin obligatio feriandi festum S. Iosephi numquam cum ipso festo transferatur sed in die 19 martii maneat.

Nihilominus non erit inutile examinare quid huius legis exsecutio importet.

In festo proprie dicto omnibusque numeris absoluto, quale est festum 19 martii quo « natale » S. Iosephi celebratur, plura distingui debent, nimirum:

1. Commemoratio quaedam liturgica facti alicuius sacri ad opus nostrae redemptionis pertinentis: mysterii e vita D. N. Iesu Christi vel B. V. Mariae, natalis vel quasi natalis alicuius sancti, dedicationis, translationis, apparitionis, victoriae de hostibus Ecclesiae reportatae, etc., quae martyrologii recitatione agitur. Haec namque commemoratio e martyrologio non videtur ita concipienda quasi esset mere historica, sed est liturgica seu est ipsa actus cultus quo persona vel res sacra honoratur.

2. Sacrificium eucharisticum quod est etiam illius facti sacri commemoratio quaedam, generalis videlicet et eminens, quia est commemoratio sacrificii Christi quod est centrum et fons totius operis nostrae redemptionis.

3. Officium missae et horarum canonicarum quo idem factum sacrum modo peculiari et proprio commemoratur.

4. Dignitas quaedam atque excellentia festo inhaerens quae postulat ut hoc non a solo clero agatur sed a tota communitate, omnium scilicet praesentia in missa ceterisque officiis liturgicis et abstinentia ab operibus servilibus. Est

scilicet feriatio quaedam quam « potentialem » vocare velimus, eamque, pro sententia nostra, significat *Additionum et variationum in rubricis generalibus breviarii* tit. II, *b*), ubi agitur de festis quae celebrantur cum feriatione in foro reducta vel sublata. Quid enim potest esse feriatio in foro, id est in vita civili, sublata, nisi nobilioris festi qualitas quaedam, eaque legitime agnita et sancita, qua illud festum dignum exsistit quod ab omnibus ferietur, etsi reapse ob gravem aliquam causam feriationis obligatio penitus sublata est.

5. Feriatio effectiva ex toto vel ex parte, id est praesentia communitatis in liturgicis officiis una cum abstinentia ab operibus servilibus, vel praesentia dumtaxat in officiis.

6. Obligatio e lege feriationis alicuius. Eam definivit Codex iuris canonici, c. 1247.

Quaenam autem ex istis elementis transferuntur, quaenam secus, cum transferendum est festum?

1. Non transfertur commemoratio liturgica e martyrologio, quia transferi nequaquam potest. Est enim natura sua anniversaria, id est certo anni diei penitus adfixa. Vera enim commemoratio non est illa mentio seu adnuntiatio quae hodie fit translati vel repositi alicuius festi, sed hic usus natus est cum martyrologium non iam merum martyrologium aestimari coeptum est sed etiam calendarium quoddam perpetuum, eiusque recitatione non solum facta sacra sed horum quoque festa adnuntianda fuerunt.

2. Neque transfertur, ut patet, sacrificium eucharisticum. At inde oritur quaestio in cuius honorem illud offerendum sit die a quo translatum est festum, non autem obligatio feriationis: utrum illo sacrificio celebretur factum sacrum cuius festum translatum est, an aliud factum cuius eo die missa fit et officium. V. g., die 19 martii huius anni fuitne sacrificium eucharisticum oblatum in honorem Passionis Dominicae an in honorem S. Iosephi? Dubii autem solutionem praebent ea quae sequuntur.

3. Neque transfertur, ut diximus, feriationis obligatio sed haec remanet in die *a quo*, licet in eo nulla fiat mentio facti sacri cuius festum translatum est. Unde liquet quomodo solvenda sit quaestio quam paulo supra indicavimus. Certum namque est causam ob quam die *a quo* ex obligatione feriandum est esse etiam vel solum festum translatum, seu verius factum sacrum cuius festum est translatum. Etenim si festum ex obligatione feriandum transfertur e feria aliqua quae per se ferianda non est, puta feriam II, III vel IV hebdomadis maioris, retinetur nihilominus in ea obligatio feriationis, quia est dies anniversarius facti sacri cuius festum in ea celebrandum fuisset. Dubium igitur non est quin die a quo translatum est festum, non autem huius feriationis obligatio, sacrificium eucharisticum offeratur etiam in honorem facti sacri, puta natale S. Iosephi, cuius festum est translatum, quamquam mirum videri potest quod missa in honorem alicuius facti sacri offerri debet cuius « officium » prorsus omittatur et in alium diem translatum sit.

4. Transfertur vero totum officium cum missae tum horarum canonicarum.

5. Transferturne etiam una cum officio ipsa feriatio? In hac interrogatione est totum dubium quod solvere nobis proposuimus. De feriatione tamen effectiva non est quod hic agamus sed tota quaestio est de feriatione quam potentialem appellavimus.

Iam vero asseverandum nobis videtur dignitatem illam festi feriati propriam cum huius officio omnino transferri. Etenim non solum festorum officia sed ipsa festa, cum integra sua solemnitate, esse transferenda rubricae generales breviarii cum antiquae (6) tum recentes (7) praescri-

(6) *Rubricae generales breviarii*, tit. X.

(7) *Additiones et Variationes in rubricis generalibus Breviari*, tit. IV. His rubricis quae ad translationem festorum pertinent, opponendae sunt illae quae agunt de anticipando toto officio quarundam dominicarum. *Additiones et Variationes in rubricis Breviarii*, tit. IV, n. 2; *Rubricae propriae breviarii* ante Sabbatum infra Hebdomadam I post Epiphaniam et ante dominicam XXIII post Pentecosten; missalis, in

bunt. Festum feriatum igitur aequo gradu feriatum remanet post suam translationem, licet propter causas, non e constitutione ipsius festi sed extrinsecus obvenientes, obligatio feriationis, si haec adest, in die *a quo* retineatur. Ceterum solum officium festum non constituit sed nullum verum festum esse potest sine aliqua feriatione saltem minima, id est sine aliqua societate communitatis in celebratione officiorum, sive haec societas postulatur tantum, sive etiam reapse exsistit.

Ipsa festa transferri et non horum officia tantum demonstrat etiam ratio quae in recitatione martyrologii tenenda est, quotiescumque transferendum est festum aliquod. Simpliciter videlicet et sine ulla distinctione declaratur festum illud transferri et pari modo die *ad quem* nuntiatur.

Censemus nimirum mentem Ecclesiae in festorum translatione esse ut quantum fieri potest festa integra transferantur, seu haec quam minimam sui divisionem patiantur. Festum namque quod dividitur periculo pereundi obnoxium fit, ut etiam hoc anno animadvertere potuimus. Quare in translatione illa exsequenda id tantum excipit Ecclesia quod transferri non potest neque debet: anniversariam commemorationem facti sacri ex martyrologio, et id quod non sine maximo periculo vel incommodo transferretur: obligationem feriationis. Ceterum inter omnes rationes e quibus festum consistit nulla ista obligatione magis externa est. Quare rationibus quibus maiorum festorum propria excellentia constituitur, nullo modo adnumeratur.

Iustum igitur est ut quaecumque feriationem lege praescriptam sequuntur, v. gr., celebratio pro populo (8), acqui-

initio missae Dominicae II post Epiphaniam et missae Dominicae XXIII post Pentecosten; et rubricae illae quae agunt de resumenda missa Dominicae alicuius impeditae, *Additiones et Variationes in rubricis Missalis*, tit. I, 6. Fatendum tamen est rationem dicendi rubricarum particularium missalis cum rubricis generalibus eiusdem libri et breviarii non plene congruere.

(8) CIC c. 339 § 3.

sitio indulgentiarum (9), prohibitio funeris (10), fixa maneant in die *a quo* festum translatum est. At in communitatibus religiosis vel collegiis catholicis, ubi festum facile die *ad quem* translatum est feriari potest, omnia quae ad festorum ordinariam feriationem pertinent, ut puta sollemnis missae celebratio, laudes et benedictio Ss. Sacramenti, vacatio a scholis etc., in die *ad quem* agenda sunt (11). Quod non tollit obligationem feriationis in die *a quo* utpote quae propter bonum commune constituta sit et ad omnes pertineat, licet non singulis conveniat. Ceterum ex iis quae exposuimus liquet festum de praecepto, si ipsum transfertur, cum obligatio illud feriandi in die *a quo* remaneat, reapse bis ab ipsa Ecclesia celebrari. Quid ergo mirum si etiam bis feriandum est, prius in die *a quo* ex obligatione et ob causas ipsi festo fere extraneas, deinde in die *ad quem*, ubi id fieri potest, quia id exigit festi translati dignitas.

Ioannes M. Hanssens S. I.

Quaesitum

Cessatne lex abstinentiae in festis de praecepto *a*) suppressis, *b*) dispensatis?

Praenotandum, hoc anno festum Epiphaniae et Immaculatae Conceptionis BMV. in feria sexta celebrari, illaque festa aliis in regionibus v. g. in Belgio omnino esse *suppressa*, ita ut de iure communi, pro foro Ecclesiae, iam non existant secundum can. 1247 § 3, aliis in regionibus v. g. in Hollandia (excepta diocesi Ruraemundensi, quae Belgio aequiparatur) esse *dispensata* saltem ad tempus i. e.

(9) CIC c. 922.

(10) Croegaert, *Tractatus de Rubricis Missalis*, p. 217, si regula ab auctore ibi posita recta est.

(11) Sic actum est hoc anno in fere omnibus Athenaeis ecclesiasticis Urbis.

ad nonnullos annos, ita ut, lege ipsa permanente, obligatio in actu secundo non urgeatur.

Responsum. I. *Negative* quoad festa omnino *suppressa*, uti respondit quoque Commissio Codicis die 17 Februarii 1918. In his regionibus iam non datur ratio, cur cesset lex abstinentiae. Festa sunt abolita.

II. *Affirmative* (saltem satis probabiliter) quoad festa *dispensata*, quia lex celebrandi illa festa ibi revera persistit, tantum obligatio in actu secundo per dispensationem (*vulnus* legis persistentis) tollitur, non pro semper, sed ad tempus i. e. nonnullos annos, dum externa celebratio festi ex parte populi ab auctoritate ecclesiastica pro viribus sustinetur, ita ut lex postea fortasse omnem vim suam recuperare possit. Haec conditio, iuri communi magis conveniens, cessationem legis abstinentiae satis explicat ac cohonestat.

Pr.

MONUMENTA

7 - SS. D. N. Pius Pp. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS
E SACELLO SIXTINO, DIE III MARTII MENSIS, ANNO MCMXXXIX
AD UNIVERSUM CATHOLICUM ORBEM DATUS

(*AAS* XXXI [1939] p. 86 s.)

Dum gravissimum Summi Pontificatus onus, quod Deus, arcano Providentiae Suae consilio, Nostris humeris imposuit, vehementer Nos commovet ac propemodum animum frangit Nostrum, necessitate quadam compellimur ut mentem ita paternum alloquium ad universum Catholicum Orbem convertere.

Ac principio dilectissimos e Sacro Collegio Filios Nostros, quorum pietatem, virtutem, praeclaraque animi ornamenta diuturna consuetudine cognovimus, amantissima voluntate complectimur; Venerabilibus dein in episcopatu Fratribus singulis universis bene precamur omnia; sacerdotibus item Iesu Christi administris ac dispensatoribus mysteriorum Dei, religiosis viris ac mulieribus benedicimus, atque iis etiam, qui sive sacris expeditionibus operam dantes Iesu Christi Regnum usquequaque provehunt, sive in Catholica Actione Episcoporum ductu militantes, hierarchicum eorum apostolatum adiuvant; omnibus denique quos ubique terrarum habemus filiis, iisque praesertim qui vel rerum inopia laborant, vel doloribus afficiuntur, coelestia munera supernaque solacia imploramus.

Attamen mens Nostra ad eos quoque fertur omnes, qui extra Catholicae Ecclesiae saepta versantur; quique, ut confidimus, libenter accipient divina auxilia esse a Nobis, hac sollemni hora, sibi a Deo Optimo Maximo Nostris precibus implorata.

Ac Nostro huic paterno nuntio omen pacis adiicere invitationemque cupimus. Pacem, dicimus, quam Noster piae recordationis Decessor tam impense hominibus suasit tamque enixis precibus imploravit, ut suam Deo vitam pro concilianda hominum concordia ultro devoveret. Pacem, Dei munus pulcherrimum, quae exsuperat omnem sensum; pacem, quam cordati omnes non expetere non possunt; pacem denique, quae ex iustitia caritateque oritur. Ad pacem illam adhortamur omnes, quae animos amicitia Dei coniunctos refovet, quaeque domesticum convictum sacro Iesu Christi amore temperat atque componit; ad pacem, quae nationes ac gentes per mutuum fraternumque auxilium coniungit: ad pacem denique atque concordiam ita inter Nationes instaurandam, ut singulae gentes mutua consensione, amico foedere atque adiutrice opera, ad universae hominum familiae profectum felicitatemque, aspirante iuvanteque Deo, contendant.

Ac praeterea, trepidis hisce temporibus, dum tot tantaeque difficultates eam veri nominis pacem, quam omnes vehementissime exoptant, prohibere atque arcere videntur, supplices ad Deum admovemus preces, pro iis omnibus qui publicae rei praesunt, et ad quos gravissimum ac perhonorificum onus pertinet populos perducendi ad prosperitatem civilemque progressionem.

En vobis, Dilecti Filii Nostri, en vobis, Venerabiles Fratres, vobisque, amantissimi filii, primum quod Deus e Nostro prompsit Patris animo votum.

Nostrisque utique obversantur oculis gravissima quibus conflictantur homines mala, quibusque inermes Nos, at Summi Dei auxilio nisos, opus est mederi. A Divo Paulo mutuati verba « Capite nos! » (II Cor., VII, 2) hortamur

omnes. In hanc profecto erigimur spem vos flagrantissimum hoc Nostrum conciliandae pacis votum minime esse destituturos. Post Dei opem, promptae alacrique voluntati vestrae, maximopere confidimus.

Utinam Christus Dominus, « de cuius plenitudine omnes nos accepimus » (Io., I, 16) optato huic Nostro e coelo adsit, atque illud, solacia ac bona omnia portendens, per universum terrarum orbem diffundat; auspice quidem Apostolica Benedictione, quam Nos peramanter impertimus.

8 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Litterae Apostolicae 21 nov. 1938

(*AAS* XXXI [1939] p. 100)

NOVA DELEGATIO APOSTOLICA IN BRITANNIA CONSTITUITUR

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Paterna caritas, qua christifideles omnes complectimur, Nos instanter admonet ut eorum saluti et profectui quantum in Domino possumus consulamus. Hac profecto de causa cum praeterito iam saeculo Ecclesiastica Hierarchia in regno Britannico feliciter sit restituta et nova exinde habita rei catholicae incrementa, valde opportunum nunc Nobis visum est ut Delegatus quoque Apostolicae Sedis in eadem natione constitueretur, ut Ecclesiae Christifideliumque bonum uberius ibi faciliusque promoveatur. Audita propterea Sacra Consistoriali Congregatione, hisce Litteris Apostolicis atque auctoritate Nostra pro Britannia ex nunc Delegationem Apostolicam erigimus, sede eiusdem Londini constituta, eidemque Delegationi omnia et singula deferimus iura, privilegia, honores, praerogativas, officia atque indulta, quae huiusmodi Delegationum iure communi propria sunt. Haec, quae in utilitatem nobilissima Britannicae gentis fore confidimus, in Domino statuimus, decernentes praesentes Lit-

teras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere; ipsique Delegationi Apostolicae per Nos in Britannia constitutae nunc et in posterum suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI m. Novembris an. MCMXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo septimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ACTA SUMMATIM RELATA

9 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A — Bulla *Quo Evangelici operarii,* 8 ian. 1938, a Vicariatibus Apostolicis de Maiunga, de Tananarive, de Fianarantsoa, de Antsirabè territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur praefectura Apostolica « de Morondava » (*AAS* xxxi [1939] p. 88 s).

B — Brevi *Albae Regalensis,* 30 maii 1938, ecclesia cathedralis dioecesis Albae Regalensis dignitate ac titulo *Basilicae minoris,* iuribus privilegiisque adiectis, praecedentia inter alia cathedrales excepta, honestatur (*AAS* xxxi [1939] p. 8 s.).

C — Bulla *Omnium Ecclesiarum,* 24 aug. 1938, Aveirensis ecclesia iterum in diocesim erigitur et constituitur. Veteres attamen dioecesis fines, ut nostrorum temporum adiunctis aptius respondere possint, paulo immutari statuitur. Restitutae itaque cathedrali ecclesiae Aveirensi omnes et singulae tribuuntur ecclesiasticae paroeciae in praesenti existentes in territoriis, vulgo *concelhos;* paroeciae ipsae proinde a dioecesibus Coninbricensi, Portugallensi et Visensi, ad quas modo pertinent, seiunguntur ac separantur (*AAS* xxxi [1939] p. 5 ss.).

D — Brevi *Uti ad nos,* 20 sept. 1938, hodiernum templum sub Sancti Bartholomaei Apostoli titulo, in loco *Meerssen,* dioecesis Ruremondensis intra fines Deo dicatum, pulchritudine renidens dignumque omnium existimatione ob structuram suam atque artis opera quibus exornatur, *Basilicae minoris* titulo ac dignitate honestatur (*AAS* xxxi [1939] p. 9 s.).

E — Brevi *Benignus Deus,* 13 nov. 1938, beata renuntiatur venerabilis Dei Famula Francisca Xaveria Cabrini, itala virgo, quae, Missionariorum Sacri Cordis Iesu Instituto condito, septem iam et sexaginta Domos religiosarum earundem dum vivebat erexit, deque causa hac multa in Dei gloriam et proximi bonum est aggressa; gravissimas omne genus inter difficul-

tates, quas animo laeto iugiter sustinuit; mundum propterea contempsit et asperam sibi elegit vitam laboribus plenam, quibus, nulla requie sibi imposita, continenter usque ad mortem alacriterque vacavit (*AAS* XXXI [1939] p. 10 ss.).

F — Brevi *Anno millesimo nongentesimo tricesimo quarto,* 20 nov. 1938, beata renunciatur Venerabilis Dei Famula Maria Dominica Mazzarello, confundatrix Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis, quae, quamvis litterarum paene rudis, in perficiendo ampliandoque instituto, optima prudentiae, sollertiae ac sapientiae suae specimina dedit. Simplex in agendo, parca in sumendis cibis, impigra in explendis officiis, larga etsi pauperrima in donando, prudens ac fortis in sociis moderandis quamvis in rebus Instituti S. Ioanni Bosco se totam committeret, in orando piissima, in innocentiae nitore ac virginitatis servando diligentissima fuit. Gravi morbo correpta, infirmi corporis dolores submisso patientique animo perferens ac dissolvi cupiens et esse cum Christo, placidissimo exitu, ad coelestis Sponsi nuptias, die 14 maii 1881, convolavit (*AAS* XXXI [1939] p. 10 ss.).

G — Bulla *Maxime interest,* 13 dec. 1938, dioecesis Haileyburensis et Vicariatus Apostolici de Ontario septemtrionali dismembratur et nova Dioecesis Hearstensis, Metropolitanae Ecclesiae Ottaviensi suffraganea, erigitur (*AAS* XXXI [1939] p. 90 ss.).

H — Bulla *Christifidelium bonum,* 13 dec. 1938, dioecesis Haileyburensis territorio pars seiungitur, ex qua nova erigitur dioecesis, « Amosensis » nuncupanda, Metropolitanae Ecclesiae Quebecensi suffraganea (*AAS* XXXI [1939] p. 93 ss.).

I — Bulla *Ad christiani populi,* 13 dec. 1938, ex dioecesis Haileyburensis avulsa parte et ex residua iam imminuti territorii Vicariatus Apostolici de Ontario septemtrionali parte novus erigitur Vicariatus Apostolicus « Sinus Iacobi » (*AAS* XXXI [1939] p. 96 s.

10 - S. S. Paenitentiaria Apostolica

Decreto 2 ian. 1939, plenaria indulgentia *toties quoties* vel die 2 mensis novembris, vel subsequenti die dominica lucrifieri potest, firmis manentibus ceteris conditionibus quoad plenariam indulgentiam « toties quoties » lucrandam (*AAS* XXXI [1939] p. 23).

11 - Provisio Ecclesiarum

A — Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

24 dec. 1938, R. D. Aaron Márton, cathedrali ecclesiae Albae Iuliensi.

8 ian. 1939, R. D. Marianus Rossell, metropolitanae ecclesiae Guatimalensi.

B — Decretis S. C. De Propaganda Fide nominati sunt:

13 dec. 1938, R. D. Thomas McCabe, cathedrali ecclesiae Portaugustanae.

13 dec. 1938, R. P. Dominicus Grassi, e Pont. Inst. a Ss. Apostolis Petro et Paulo et a Ss. Ambrosio et Carolo pro mission. ad exteras gentes, cathedrali ecclesiae Betsuadensi.

5 ian. 1939, R. P. Rochus Agniswami, S. I., cathedrali ecclesiae Kottarensi.

5 ian. 1939, R. P. Aloisius Perera, e Congr. Oblat. B. V. M. I., cathedrali ecclesiae Chilawensi, nuper erectae.

12 - Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

18 nov. 1938, R. P. Thomas a Marcellano, O. F. M. Cap., Praefectus Apostolicus *Solimões Superioris*.

25 nov. 1938, R. P. Leander Nieto Bolandier a Sancto Nicolao Tolentinate, Ord. Recoll. S. A., Praefectus Apostolicus de *Palawan*.

7 ian. 1939, R. P. Ambrosius Leblanc, O. F. M., Praefectus Apostolicus *Urawaënsis*.

7 ian. 1939, R. P. Patritius Usher, Soc. S. Columbani pro Miss. apud Sinenses, Praefectus Apostolicus de *Bhamo*.

7 ian. 1939, R. P. Edmundus Wolf, e Soc. pro mission. ad Afros, Praefectus Apostolicus de *Korhogo*.

13 - Necrologium

1 dec. 1938, D. Wulstanus Pearson, episcopus Lancastrensis.

17 dec. 1938, D. Aloisius Durou, archiepiscopus de Guatimala.

24 dec. 1938, Em.mus D. Cardinalis Leo de Skrbensky, S. Stephani in Monte Caelio.

29 dec. 1938, D. Thomas Franciscus Lillis, episcopus Kansanopolitanus.

30 dec. 1938, Em.mus D. Cardinalis Alexander Kakowski, S. Augustini, archiepiscopus Varsaviensis.

5 ian. 1939, D. Bernardus O'Kane, episcopus Derriensis.

10 ian. 1939, D. Santinus Maria da Silva Coutinho, archiepiscopus Macejensis.

20 ian. 1939, D. Iosephus Maria Leo, archiepiscopus Tranensis et Barolensis.

26 ian. 1939, D. Matthaeus Angelus Filipello, episcopus Eporediensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex Libris

C. Callewaert, J. C. D., *Liturgicae Institutiones.* Tractatus secundus: *De Breviarii Romani Liturgia.* Editio altera emendatior. Brugis (Beyaert) 1939, XII-320 p. 16,5×25,5 cm., pretium Frs. 45.

Officii divini notio et generalis ordinatio: Officii notio et excellentia — De generali oeconomia officii et breviarii. Historia officii canonici: Periodus Ia (s. I-IV): horarum genesis, prima ordinatio — Periodus IIa (s. V-VII): diversi cursus locales — Periodus IIIa (s. VII-X): officium romanum ubique admissum — Periodus IVa (s. XII-XVI): officium romanum redigitur et labefactatur — Periodus Va (s. XVI-XX): breviarium reformatur et unificatur. Elementa constitutiva officii: De iis quae ad psalmodiam pertinent — De iis quae ad lectionem pertinent — De iis quae ad orationem pertinent. De diversis horis officii quotidiani: Matutinum — Laudes — Prima — Tertia, Sexta et Nona — Vesperae — Completorium. De officiis diversis: de officiorum indole diversa — De Dominicis — De feriis — De vigiliis festorum — De festis — De Octava. De relatione officiorum inter se: De relativa officiorum praestantia et praecedentia — De occurrentia eiusque consectariis — De concurrentia — De commemorationibus. De officiis extra corpus breviarii: De officiis particularibus — De officiis addititiis.

Geneviève Mallie-Guillemin, *La Vie Aimable de Saint François de Sales,* Racontée aux Petits-Enfants. Deuxième édition. Paris (Téqui) 1938, 12×18,5 cm. VIII-125 p. pretium Fr. fr. 8.

Henri Morice, *La mère de Jésus.* Trente-et-une lectures pouvant servir pour le Mois de Marie et le Mois du Saint Rosaire. Paris (Téqui) 1939, 12×18,5 cm., VI-244 p., pretium Fr. fr. 12.

L'Annonce à Marie — Jésus vivant en Marie — Magnificat — La Nativité du Christ — La première Adoration nocturne — Le premier Regard de Jésus — Jésus nourri par sa Mère — La piété de Marie — L'ombre de la Croix — La poésie de Nazareth — L'Ostensoir vivant — L'éducatrice de Jésus — Il grandissait — Jésus à dix ans — L'Enfant-Jésus au puits de Jacob — Jésus au Temple — Faites tout ce qu'il vous dira — La

neuvième béatitude — Heureux le sein qui vous a porté! — La Vierge à la grappe — Crucifiée avec Jésus — La Reine des Apôtres — La Vierge et saint Jean — Le triomphe de Marie — Stella Matutina — Supplément aux litanies — Bienfaits de la piété mariale — Notre Mère du Ciel — Marie, Reine de France — Ce que la France doit à Marie — Les Apparitions de la Vierge.

Sylvius Romani, *Summa Iuris Canonici: Lineamenta.* Sylvii Romani Presbyteri Studia Juris Canonici N. 2. Romae (Apud Auctorem) 1939, 19×28 cm., viii-328-47 p., pretium lib. it. 29.

Praefatio ad « Studia Juris Canonici » — Praefatio ad « Lineamenta Juris canonici » — Prolegomena — Systema: Prolegomena generalia CJC. De normis juris canonici (8-86). De personis (87-725). De rebus (726-1551). De processibus (1552-2194). De delictis et poenis (2195-2414). — Appendix qua opera indicantur ad jus canonicum utilia.

Joseph Wenner, *Kirchliches Lehrapostolat in Wort und Schrift.* Paderborn (Schöningh) 1938, 12×19,5, 119 p., pretium: non ligatum RM. 1,50 — ligatum RM. 2,50.

Einleitung — Dienst am Wort: Verkündigung des göttlichen Wortes — Vorbeitung und Ausbildung der Diener des Wortes — Religiös-sittliche Unterweisung und Erziehung in Hauss und Schule. Sendung des Buches: Die Vorzensur der Bücher — Das Bücherverbot. Bekenntnis der Lehre.

II. Ex Periodicis

Apollinaris XI (1938), fasc. 4 — Franciscus Roberti, S. C. de Sacramentis: *Circa le cause di nullità di matrimonio,* p. 497-501. — Alexius Petrani, *De variis ritibus catholicis ac de suprema eos moderandi auctoritate,* p. 502-14. — Pericles Felici, *De poenali iure interpretando,* p. 515-66.

Bulletin de la Société des Missions-Etrangères de Paris, XVIII (1938), fasc. 205 (ian.). — P. Lieutier, *Un « troisième an » d'un an,* pour les prêtres du clergé diocésain, p. 6-12.

Id., XVIII (1939), fasc. 206 (febr.). — * * * *La notion du péché chez le Chinois Païen,* p. 89-93.

La Cité Chrétienne XIII (1939), fasc. 292 (20 febr.). — Georges Tellerman, *Le bénéfice du commerçant,* p. 241-3. — Fasc. 294 (20 mart.) — Abbé L. Fourneau, *A propos du « respect de la personne » en éducation,* p. 302-305.

Collationes Namurcenses XXXIII (1939), fasc. 1 (ian.). — G. Koerperich, *De ieiunio eucharistico,* p. 1-13.

Il Diritto Ecclesiastico, XLIX (1939), fasc. 11-12 (nov.-dec.). — Luigi Capalti, *Nuovo ordinamento dei tribunali ecclesiastici per le cause matrimoniali*, p. 499-505.

Nederlandsche Katholieke Stemmen, XXXIX (1939), fasc. 2 (febr.). — Lucidius Verschueren O. F. M., *Devotie en Devoties*, II, p. 33-42. — P. Damasus O. M. Cap., *Zielzorg op dorpen*, p. 43-50.

Pastor Bonus (Romae) III (1939), fasc. 3 (mart.). — T. Dragone, *De pastoralis disciplinae fundamentis secundum sanctum Thomam*, p. 141-7. — P. H. Batzill O. S. B., *De correctione fraterna - Textus S. Thomae Aq. et Cajetani*, p. 148-57.

Perfice Munus, XIV (1939), (10 ian.). — Andreas Gennaro, S. S., Casus conscientiae: *De continentiae periodicae usu et liceitate*, p. 19-26.

Id. (Medicina e Morale), XIV (1939), (25 ian.). — Dott. Renato Biot, *Collaborazione medico-sacerdotale*, (contin.), p. 3-8. — Prof. Dott. Carlo Mazzantini, *L'« euthanasia » di fronte alla filosofia morale*, p. 9-16. — Prof. Dott. A. Majocchi, *Il pensiero di un chirurgo sul problema demografico*, p. 16-8. — Sac. Prof. Dott. A. Gennaro, S. S., *Isterectomia* (contin.), p. 19-25. — Prof. Felicissimo Tinivella, O. F. M., *Note di pedagogia sessuale*, p. 26-8.

Id., XIV (1939), (10 febr.). — * * * *De vocatione sacerdotali et de munere confessarii in seminariis*, p. 97-106.

Revue des Communautes Religieuses, XV (1939), fasc. 2 (mart.-apr.). — J. Creusen, *La clôture* (suite), p. 38-45.

Rivista del diritto matrimoniale italiano VI (1939) fasc. 1-2 (ian-feb.). — A. Pugliese, *Consenso matrimoniale canonico specialmente in relazione al timore e alla violenza*, p. 10-25. — G. G. Loschiavo, *L'impugnazione per errore del matrimonio civile di sacerdote*, p. 26-31.

Sal Terrae XXVII (1939), fasc. 2 (febr.). — E. F. Regatillo, *Las indulgencias* (contin.), p. 130-6.

Theologisch-Praktische Quartalschrift XCII (1939), fasc. 1. — Prof. dr. Arthur Landgraf, *Die Stellungnahme der Früscholastik zur Lüge der alttestamentlichen Patriarchen*, p. 13-32. — Dr. Robert Svoboda, O. S. C., *Die Krankenseelsorge im Krankenhaus*, p. 59-73. — B. van Acken, S. I., *Prüderie - Distanzhalten*, p. 73-87.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De conditione Theologiae moralis moderna

Quoniam dissertationes huius periodici non solum usum practicum sed etiam theoriam spectant, non inopportunum ducimus quaestionem iudicio lectorum submittere, quae principia theologiae moralis generaliora respicit. Agitur nempe de loco, quem haec disciplina mediis in disceptationibus modernis et theologicis et polemicis occupat.

Neminem fugit theologiam moralem catholicam ab acatholicis auctoribus oppugnatam esse et continuo oppugnari. In quantum huiusmodi auctores unam alteramve sententiam moralistarum et conclusiones practicas in Ecclesia catholica communiter admissas reiicere conantur, non est cur a nobis serio observentur. Nam quae vera sunt et praesertim quae ab inerranti Ecclesiae magisterio observanda proposita sunt, a catholico reverenter suscipiantur oportet, quidquid Ecclesiae adversarii obiiciant. Ideo obiectum huius dissertationis non sit ipsa theologiae moralis *materia*, i. e. singulae veritates, conclusiones, sententiae, praecepta, sed id tantum, quod nostris diebus magis ac magis inter catholicos quoque disputari solet, quibusdam saltem in regionibus. Hoc autem circa duo versatur: primo circa theologiae moralis *methodum*, secundo circa eius *indolem theologicam* (1).

(1) Cum ea quae hic exponuntur, non solum in libris scriptis, sed magis oretenus inter ipsos theologos undique disputentur, opinamur libros et auctores citare esse minus opportunum.

Quae in hac re reprehenduntur, fere haec sunt: theologia moralis decursu saeculorum magis ac magis obruta est quaestionibus philosophiae ethicae rationalisticae saec. 18 et 19, adeo ut tandem aliquando ipsa eius indoles theologica in discrimen vocaretur; immo iam nil aliud videtur esse nisi cumulus legum, decretorum, decisionum, conclusionum practicarum, non autem systema theologicum harmonice congestum; nimia insuper statuta est distinctio inter praecepta moralia et regulas asceticas perfectionis christianae; quae Christus Dominus in Evangeliis, praesertim in sermone montis habito qua legislator Novae Legis protulit, fere omnia videntur demandata esse ascesi, adeo ut moralistis vix aliud remaneret nisi leges stricte iuridicae ad normam « minimalismi moralis » declarandae et applicandae; unde sequitur, in theologia morali hodierna fidelibus christianis non ipsam perfectionem vitae supernaturalis appetendam lucide proponi, sed systema quoddam peccatorum, casuistico et callido modo circumscriptum, quasi fideles, filii Dei et gratia sanctificante elevati, continuo peccatis gravissimis obnoxii sint; motiva denique vitae moralis, quae apud auctores exponi solent, si accuratius inspiciuntur, ex utilitarismo rationalistico frigido sunt desumpta, non autem sicuti per se deceret, ex veritatibus evangelicis de incarnatione Christi, de redemptionis beneficio, de gratia sanctificante, de vita sacramentali et aliis huiusmodi.

Ita non pauci hodie ratiocinantur — certo non sine exaggeratione indebita — postulantes, ut theologiae moralis methodus ac natura ad sanam rationem christianae et supernaturalis theologiae revocetur. Quam quaestionem ut vera a falsis, certa ab incertis accuratius distinguentes aliquomodo perscrutemur, expedire videtur *primo* considerare qua *via historica* ad hodiernam theologiae moralis conditionem perventum sit, *secundo* quid *novi* ad instar remedii a singulis auctoribus proponatur.

I

Theologia moralis *qua scientia*, ab aliis disciplinis theologicis *distincta* — et de ea primario agendum est — ante pauca solum saecula oriebatur. Ante medium saec. 15 eius materia partim a theologia dogmatica, partim a iure canonico colebatur. In Ecclesia antiquissima multa quidem moralia sunt conscripta, sicuti opera ss. Patrum, praecipue S. Ioannis Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Gregorii M. comprobant. At in ipsorum scriptis utpote in usum praedicationis et catecheseos destinatis, non invenitur disciplina scientifica moralis, sed doctrina practica, ex s. Scriptura et ex philosophia platonica atque stoica deprompta, in qua tum praecepta stricte moralia tum consilia evangelicae perfectionis harmonice uniuntur. Praeter talia scripta, quae merito *theologiae* quam aiunt *kerygmaticae* adnumerari possunt, illis temporibus remotis non videntur exstitisse libri manuales casuistici, quod ex modo illius aetatis administrandi Sacramentum Poenitentiae facile declaratur. Huiusmodi libri casuistici, quantum scimus, prima vice alto medio aevo sunt confecti et quidem a monachis Insularum, i. e. Hiberniae et Scotiae, et nomine *Librorum Poenitentialium* summam nacti sunt celebritatem.

Libri poenitentiales non exhibent systema scientifico-theologicum morale, sed ad instar elenchi singula peccata quae accidere possunt, enumerant, additis statim poenis ac satisfactionibus a confessario poenitenti imponendis. Quia confessariis summae utilitatis erant, ideo a missionariis Insularum ubique in Gallia, Italia, Hispania et Germania divulgabantur et a clero libentissime recipiebantur. Saeculis subsequentibus, scl. 11 et 12, in collectiones canonicas maioris momenti, e. g. *Decretum* Burcardi admissi sunt et sic fontibus et litteraturae iuris ecclesiastici inserebantur. Unde primi libri, qui vere theologiam moralem saltem casuisticam continebant, statim ab eorum origine

in competentiam canonistarum transierunt. Quod factum summi fuit ponderis in evolutione nostrae disciplinae. Nam canonistae, quibus libri erant concrediti, etiam eorum interpretationem sunt aggressi, et quidem quod per se patet, *ex principiis et normis iuridicis*. Ita e. g. quaestio fundamentalis theologico-philosophica de imputabilitate peccatorum, quae in libris poenitentialibus theoretice non agebatur, practice autem soluta est, et quidem ex sensu iuris celtici-germanici contra sana catholicae theologiae principia, revidenda atque decidenda erat ex normis theologiae catholicae; quod iterum canonistae praestiterunt (2).

Saec. 13 et 14 Filii s. Francisci et s. Dominici aliique Mendicantes, curae pastorali novis methodis incumbentes, necessitatem persentiebant novos libros manuales in usum confessariorum conficiendi. Nam inde a saec. 9, quo libri poenitentiales Hibernici confecti sunt, non solum ratio vitae atque culturae populi christiani mutata erat, sed etiam multae leges ecclesiasticae a Conciliis et R. Pontificibus emanaverant. His indigentiis consulentes, plures iique gravissimi auctores libros poenitentiales novi typi ediderunt, qui *Summae Confessariorum* appellari solebant, inter quas merito eminent *Summa* s. Raymundi a Penaforte, *Summa Monaldina, Ioannina, Erfordiensis, Astesana, Pisanella, Angelica, Sylvestrina* (3). Earum aliae, et quidem breviores, ad imitationem priorum poenitentialium solum elenchos peccatorum ac poenarum continebant, aliae vero maiores etiam principia theoretica iuris docebant; omnibus autem haec fuit ratio communis, quod quaestiones morales ad usum confessariorum methodo casuistica et iuridica tractabantur, quippe cum auctores fere semper canonistae essent.

Iisdem saec. 13 et 14 theologia moralis etiam *theoretica* scientifice coli coepit, nempe in scholis theologiae dogmaticae scholasticae florentis. In cuius systemate exarando magnas partes habuit doctrina Aristotelis, a scho-

(2) Cf. de hac quaestione clarissime disserentem St. Kuttner, *Kanonistische Schuldlehre* (Studi e Testi 64) Città del Vaticano 1935.
(3) Cf. A. van Hove, *Prolegomena*. Mechliniae 1928. pg. 270 ss.

lasticis recepta et canonizata, de virtutibus. Ita e. g. Doctor Angelicus pro mentis suae acie universum vitae moralis ambitum systematice perpolivit et in *Summae Theologicae* parte secunda disciplinae dogmaticae harmonice inseruit, adeo ut doctrinae totius christianae interna unitas et cohaerentia clarissime elucerent: dogma catholicum et theologia moralis felicissima unitate copulata apparent.

Rebus sic stantibus, i. e. theoria morali cum dogmate, casuistica cum iure canonico consociatis, theologia moralis ca. medium saec. 15 ab utroque socio *dissociata* et *in disciplinam specialem* ac distinctam congesta est. Ratio huius evolutionis in his videtur fuisse: cum iam saec. 15 ineunte multis de causis flores theologiae dogmaticae scholasticae essent emortui, theologia moralis ex adiunctis illius aetatis ad semper novas industrias est propulsa. Sic ut pauca tantum innuamus, ideae morales per humanismum et renatam litterarum antiquarum cognitionem mutabantur, christianae castimoniae ac sanctae pudicitiae substituebantur prava desideria carnis ac libidinis, sicuti perversi temporis antiqui scriptores docuerant ac laudaverant, ideis mediaevalibus de honore personali, de virtute fidelitatis, socialis caritatis, sinceritatis, quae ex doctrina Evangelii deductae et ex institutionibus feudalibus continuo nutritae sunt, opponebantur callida egoismi ac individualismi immoderati dictamina. Quo moralistis onus impositum est tractatum de mandato quinto, sexto, octavo Decalogi denuo inculcandi, revidendi, novis indigentiis et peccandi artibus accommodandi. Porro, cum iam a saec. 13 saltem in Italia, Gallia, Hispania, Germania meridionali ratio commercii et negotiationis mercantilis magis ac magis evolverentur et modi oeconomiae publicae funditus mutarentur, ius mediaevale simplex et parum evolutum sufficere non iam potuit. Ideo fere ubique ius romanum obligationum, quod olim iam oeconomiae extensissimi Imperii inserviit et ob suam perfectionem aptissimum apparuit, libenter est receptum. Confessarii autem, dummodo con-

scientiae fidelium efficaciter et sapienter consulere vellent, istos progressus vitae oeconomicae negligere non poterant, sed necessario incumbere debuerunt studio iuris civilis eiusque ad praecepta christianae moralitatis relationum. Nihil ergo mirum, quod optimi quique auctores, praeeunte s. Antonino, omnes nervos in hoc intendebant, ut tractatus de Iure et Iustitia omni ex parte absolutos conficerent. Quibus dein aliae partes theologiae moralis adiungebantur, ita ut tandem aliquando haec disciplina appareret eo fere ambitu eaque fere autonomia, qua hodie solet. At fieri non potuit, quin iterum influxui iuristarum subiiceretur.

Qui influxus saec. 17 et 18 denuo augebatur occasione illius discussionis theologicae, quae una ex parte Iansenismo altera ex parte pugnae circa Probabilismum debetur. Nam quidquid sit de diversorum systematum veritate, hoc unum saltem constat totam discussionem versatam esse circa quaestionem iuridicam, i. e. sensum atque extensionem legis et ab utraque parte esse discussam ope principiorum iuridicorum et pure rationalium. Sic pro dolor per duo fere saecula omnes moralistarum vires scientificae in discutienda quaestione consumptae sunt, quae tantam attentionem nullo modo meruit et quae insuper mentes a vera natura theologica ad periphericas rationes iuridicas non theologicas detorquebat.

Inspicienti hunc theologiae moralis scientificae originem ac progressum clarius patet eiusdem *ratio moderna.* Sunt *tria* elementa, quibus indoles propria hodiernae nostrae disciplinae determinata est: *necessitates practicae confessariorum, systema philosophicum Aristotelicum-Scholasticum, influxus iuris cum canonici tum civilis.* Ipsis praecipue debetur *primo* quod theologia moralis semper et saltem etiam modo *casuistico* tractata sit et necessario tractanda erit. Quid enim confessarium iuvaret moralista, qui principia tantum abstracta, summa, speculativa sapienter et profunde exponeret, qui ideas religiosas et mo-

rales etsi verissimas et pulcherrimas, at a vita quotidiana fidelium quam longe distantes celebraret, nisi etiam confessarios doceret quid singulis in casibus validum, quid invalidum, quid licitum et illicitum, quid sub obligatione gravi vel levi imponendum, quid tantum consulendum sit? Nonne et ipsa virtus iustitiae et Christi Domini verba serio nos monent, ne maiora onera humeris fidelium imponamus quam rei natura et Dei voluntas permittunt? Utique concedendum est modum casuisticum quasi necessario conducere ad « *minimalismum moralem* » hoc sensu, quod in singulis praeceptis accuratissime determinetur quid saltem faciendum, quid omittendum sit, independenter ab hoc, num talis habitus correspondeat zelo caritatis et magnanimitatis christianae. At nemo umquam asserere voluit conclusiones casuisticas moralistarum formam perfectionis christianae optimam adumbrare seu designare. Si autem quis obiiceret varietate casuum multiformi obscurari et obnubilari systema clarissimum et lucidissimum principiorum moralitatis et perfectionis asceticae, adeo ut theologia moralis catholica sicuti in libris proponitur cumulus potius esse videatur decisionum plus minus arbitrariarum quam ordo scientifice dispositus vitae supernaturalis, ipsi respondendum erit se probabiliter cognitionem theologiae moralis hausisse ex parvulis tantum compendiis usui confessariorum destinatis, non autem ex maioribus operibus moralistarum veri nominis.

Praeter rationem casuisticam alia theologiae moralis proprietas hodie discussa ex historica evolutione declarari potest, scl. eius *systematizatio philosophica*. Non desunt auctores qui asserant, in nostra disciplina praevalere philosophiam et quidem illam siccam ac frigidam, quae systemati Aristotelico-Scholastico debetur, dum e contra revelatio divina, veritates supernaturales, quae totidem verae moralitatis christianae genitrices et nutrices sint oportet, pro dolor nimis negligantur. Porro secundum eosdem auctores methodus disponendi materiam moralem, in libris

communiter adhibita, minus apta est; nam praecepta aut secundum ordinem Decalogi exponuntur aut secundum schema virtutum aristotelico-thomisticum. In priore casu utilitas aliqualis pro confessionibus audiendis negari nequit, sed vera christiani hominis perfectio prae oculis studentium non elucet, cum mandata Decalogi primario solum enuntient, quae peccata sint vitanda, non vero quae virtutes sint exercendae. In altero autem casu virtutes quidem describuntur, tamen pro indole systematis Aristotelici adeo abstracte, philosophice, ieiune, sine anima et corde, ut vix quisquam ad amorem christianae perfectionis inflammetur.

His similibusve obiectionibus non difficulter respondetur. Scientificos tractatus esse ieiunos, et quidem in omni disciplina, per se satis patet; quod etiam in theologia valet, nisi theologiam scientificam cum kerygmatica (4) confundere velis, quae primo et directe praedicationi verbi divini inservit. Neque philosophica ratio in theologia morali umquam negligi poterit, cum lex naturalis aeque ac lex positiva fundamentum vitae christianae sit. Philosophia vero scholastica ob claritatem, conceptuum perspicuitatem, perennem sapientiam aptissima dicenda est, quae universum moralitatis ambitum extensissimum et valde perplexum ordinet atque lucide disponat. Porro permultae quaestiones, quae moralistis et confessariis fere quotidie solvendae proponuntur, solidam philosophiae et iuris profani cognitionem requirunt; cogita de ordine sociali, oeconomico, de matrimonio, vita sexuali, de quibusdam operationibus chirurgicis, gynaecologiae, sterilisationis et alia huiusmodi. Neque dicas, istas res ex « mundo » provenientes mundo esse relinquendas; nonne verbum Domini manet « Docete omnes gentes... servare omnia quaecumque mandavi vobis » (5); nonne moralista a munere suo sanctissimo deficeret, si huiusmodi quaestiones « periphe-

(4) *Zeitschrift f. kath. Theologie* 62 (1938) pg. 1-36.
(5) *Mt* 28, 18.

ricas » declinans in « supernaturalismum » a necessitatibus hominum huius mundi remotum se recipere velit.

Similia dici queunt de theologiae moralis *intima cum iure connexione*. Concedimus quidem theologiam moralem, sicuti hodie in scholis doceri solet, amplam iuris canonici et civilis partem complecti; exemplo sint tractatus de matrimonio, de poenis, de iurisdictione, normis generalibus, de dominio et contractibus. Attamen haec omnia confessariis rite formandis summopere sunt necessaria. Alia quaestio, a nobis hic non dirimenda, est num alia materiae dispositio et distributio in cursu theologico sit optanda, ut tractatui stricte theologico et speculativo morali maius pondus tribui possit.

Sed iam ea videamus, quae remedii instar a recentioribus commendentur.

II

Nova tentamina ad theologiam moralem melius explicandam et proponendam nostris diebus delineata, iure ad tria genera reduci possunt, quae breviter dicuntur: *theologia moralis kerygmatica, gratiae, socialis*.

Nomine theologiae *kerygmaticae* intelligitur illa forma methodice tractandi materias theologicas, quae immediate et directe kerygma, i. e. praedicationem sacrarum veritatum praeparare et promovere idonea est. Secundum quam in veritatibus christianis magis valor quam veritas, bonum magis quam verum, dynamica efficacia magis quam statica conceptuum dispositio, harmonia synthetica potius quam accurata rerum distinctio respicitur. Facile perspicies haec apprime correspondere desideriis hominum nostri temporis, qui dismembrationem ac distinctionem specializatam in scientiis fugientes modo res considerandi totalitario, dynamico, activistico favent. Quia porro ipsa sacra praedicatio non abstractis ideis et conceptibus absolvitur, sed imaginibus lucentibus atque cor humanum

attrahentibus necessario indiget, ideo etiam in proponenda perfectione christiana non schema quoddam virtutum abstractum quaerit, sed formam vita plenam anhelat. Talis forma vero summae perfectionis in Evangeliis proposita est, scl. persona Christi Domini, qui est imago Dei viventis, primogenitus omnis creaturae, homo altissimae virtutis et sanctitatis.

His innixus F. TILLMANN (6) novum tractatus moralis typum exaravit. Punctum centrale eius systematis est idea *imitationis Christi*. Auctor, qui de exegesi N. T. optime meritus est, ex Evangeliis et Apostolorum epistolis characterem moralem Christi lucidissimis coloribus delineat et imitandum statuit; omnia et singula praecepta novae legis ex aureis Redemptoris nostri verbis deprompta, distinctione omissa eorum quae stricte tenenda et quae consiliis evangelicis tantum commendata sunt, in sua interna cohaerentia vitali repraesentantur ita ut mentes generosae ad imitationem eius vocentur qui dixit: « Ego sum lux mundi; qui me sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae » (7). Opus a cl. TILLMANN confectum fortasse minus inserviet necessitatibus practicis confessariorum, cum a methodo casuistica et iuridica plane abstrahat, at praedicationi praeceptorum summae erit utilitatis et mentes hominum modernorum valde recreabit. De cetero Tillmann non intendit fundamenta mutare, quibus moralis vita catholica innititur, scl. in obtinenda perfectione christiana laborem propriae voluntatis a gratia adiutae maxime esse necessarium, sed potius magnanimitatem voluntatis humanae ad maiores semper industrias provocat.

Alia est ratio illorum auctorum, qui in activitate morali maius pondus tribuere velint *gratiae divinae*. Ipsi putant

---

(6) F. TILLMANN, *Handbuch der katholischen Sittenlehre*. Vol. III: *Die Idee der Nachfolge Christi*. Düsseldorf 1934; Vol. IV, 1 et 2: *Die Verwirklichung der Nachfolge Christi*. Düsseldorf 1935-6; id., *Der Meister ruft, Eine Laienmoral für gläubige Christen*. Düsseldorf 1937.

(7) *Ioh.* 8, 12.

ultimis saeculis, praesertim inde a tempore reformationis quam aiunt, ob haereses Lutheranismi, Calvinismi et Iansenismi in theologia morali catholica multum tributum esse influxui gratiae actualis, parum gratiae sanctificanti. Supposita theologia dogmatica de naturae gratiae sanctificantis et animae iustificatae inhabitantis et supposita philosophia moderna quae existentialis appellatur, haec fere exponunt: in ordine universi entis principium sollemne valet: agere sequitur esse. Esse ergo est prius, quod ipsum agere et agendi modus sequantur oportet. Etsi concedendum sit, psychologice esse possibile ut homo ex actibus repetitis habitum psychologicum et alium essendi modum acquirat, tamen ordo essendi semper praecedit ordinem agendi. Ideo doctrina de moralitate humana primo et per se sit doctrina de essentia hominis; antequam in leges operandi inquiramus, cognoscendae a nobis sunt leges essendi hominis christiani.

Iam vero homo christianus per gratiam sanctificantem essentialiter elevatus est in novam essendi conditionem: est nova creatura, filius Dei, vivens vita divina, nutritus viribus supernaturalibus. Quae a moralistis quidem numquam negata sunt, sed neque usque ad consequentias ultimas connaturales perpolita. Nam inde duae praesertim sequelae emanant pro vita morali christiana summi momenti: altera quoad *valorem activitatis personalis*, altera quoad *hierarchiam virtutum*.

Inter omnes utique constat cooperationem hominis in vita christiana morali perficienda esse necessariam. Attamen haec activitas, uti aiunt, non consistat oportet primario in actibus virtutum ponendis, in adimplendis innumeris praeceptis et regulis et exercitiis, non in continua propriae conscientiae examinatione et anxiosa legum observantia, sed sit in generosa promptitudine gratiae sanctificantis recipiendae. Germine vitali gratiae semel in anima recepto, nihil antiquius habere possumus, nisi ipsum fovere, tueri, nutrire mediis sacramentalibus, sacra litur-

gia etc. ut vires innatas vitales explicet, efformet, ad plenitudinem aetatis Christi perducat.

Quibus etiam nova virtutum hierarchia correspondebit. Quia hucusque momentum moralitatis praevalens positum est in adimplenda lege, ideo virtutes oboedientiae, iustitiae, fidelitatis legalis, activitatis externae, prudentiae minimalismo faventis colebantur. Econtra decent filium Dei adoptivum, « sanctum, genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis » (8) virtutes intimae cum Deo unionis ac familiaritatis, magnanimitatis, devotionis, nobilitatis spiritualis, sinceritatis filialis, praesertim vero caritatis omnimodae et perfectissimae.

Nemo non videt, quantum veri, quantum boni, quantum novi iam diu a multis exoptati mentionibus huiusmodi contineatur; et quamvis etiam pericula passivismi moralis non sani ac supernaturalismi non recte intellecti inibi latere queant, tamen moralistae cum fructu uberrimo rationem expositorum in libris conscribendis et in scholis tradendis habebunt.

Tertiae denique formae mentio est facienda, scl. *theologiae moralis socialis* (9). Auctores isti ex doctrina notissima dogmatica de Ecclesia Corpore Christi mystico procedunt. Homo christianus baptismo societati spirituali Ecclesiae incorporatur, fit membrum corporis Christi mystici; ideo non iam solus stat in mundo, sed aliis est unitus ac coniunctus. Quapropter eius vita moralis realitatibus supernaturalibus non corresponderet, si puro ac crudo individualismo personali indulgeret; pro dolor, in theologia morali tradita non semper sufficiens considerationum socialium ratio habita est. Nonne etiam in vita profana et politica magis ac magis obligationes civium sociales in-

(8) 1 *Petr.* 2, 9.

(9) Cf. E. Mersch. S. I., *Morale et Corps mystique.* Paris 1937. — F. Jürgensmeier, *Der mystische Leib Christi als Grundprinzip der Aszetik,* 5 Paderborn 1935. — K. Noppel, S. J., *Aedificatio Corporis Christi. Aufriss der Pastoral.* Freiburg 1937. — Cf. etiam quae in Period. nostro diversis in locis diversisque ab auctoribus, praesertim a cl. S. Tromp de Corpore Christi mystico et de Actione catholica sunt edita.

culcantur a potestate civili aeque ac a magisterio ecclesiastico, sicuti litterae encyclicae Pii XI « Quadragesimo anno » praeclarissime demonstrant. Concedendum quidem est etiam in theologia morali tradita inveniri saltem quoad rem illa, quae necessitatibus socialibus conveniunt. Nam etiamsi conceptus iustitiae inibi adhibitus iuri romano debetur, quod communiter iuribus individui magis favet quam societatis, tamen rationes aequitatis christianae et caritatis actuosae a moralistis semper et rigorosissime inculcabantur. Quibus non obstantibus nemo negabit tractatum nostrum de iure et iustitia in luce iustitiae socialis a Pio XI p. m. pronuntiatae funditus esse revidendum. A fortiori simile quid dici potest de omnibus ac singulis theologiae moralis partibus. Nonne conclusiones practicae e. g. de fidei professione, de cooperatione cum peccaminosa vel mala actione, de scandalo, de veracitate aliam figuram omnino induent, si solvuntur respectu tantum habito boni individualis animae singularis, aliam si hominis obligationes considerantur prout ex essentiali cum corpore Christi mystico unione profluunt. Ex huiusmodi consideratione *nova* iterum *virtutum hierarchia* resultabit, in qua priorem locum occupabunt oboedientia ac devotio socialis, sui ipsius oblivio in favorem aliorum, cooperatio actuosa in operibus caritativis, Actionis catholicae et in exercitiis communibus paroeciae, praesertim vero iustitia ac caritas socialis, quibus virtutibus omnes alii respectus secundum sanum confessarii iudicium subordinentur. Neque nimis timendum est, ne per huiusmodi theologiam moralem socialem tandem aliquando perducamur in formam collectivismi catholici, quamvis sine dubio in his subtilibus quaestionibus summae discretionis continue opus sit.

Sed iam sufficiant quae exposuimus. Lector benevolus ipse de singulis iudicabit et pro sua parte conferat ad hoc, ut nostra disciplina tanti ponderis in dies magis necessitatibus Ecclesiae correspondeat.

Ivo Zeiger S. I.

De constitutione S. Pii Papae V *Romani Pontificis* (3 Augusti 1571)

(Canonis 1125)

VI

Genuinus constitutionis « Romani Pontificis » sensus

Antequam ad analysim ipsius constitutionis S. Pii V Romani Pontificis gressum faciamus, quaedam praemittenda opportunum esse reputamus.

Cum agatur non de theoria vel opinione aliqua subtili, quae in indefinitum utrimque disputari possit, sed de certo facto et de certa lege, potius de privilegio contra legem, invenire eius sensum genuinum facilius esse credimus, quoniam lex est rationabilis voluntas principis subditis clare manifestata, ut ipsi actus suos ad eius normam conforment. Inde ex duplici veluti fonte genuinum legis sensum dignoscere possumus, altero, ex legis ut ita dicam *in fieri*, altero, ex legis *in facto* esse seu ex praxi subditorum.

Quod eo magis accidit in casu alicuius rescripti, quo privilegium contra legem vigentem petitum conceditur. Orator enim regulariter suas preces supplici libello clare expressas Summo Pontifici porrigit. Papa vero ut plurimum precibus non annuit, in primis si agatur de aliquo privilegio contra legem, nisi prius doctorum sententia exquisita, quae dicitur votum, et collato concilio EE. Patrum competentis Congregationis. Etsi votum theologorum vel canonistarum non semper sequatur Pontifex, nemo tamen non videt illud non parum conferre ad verum responsi vel rescripti intellectum. Multum enim nos iuvat « ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris » dignoscendam, ad quae attendere iubemur si legis verba dubia et obscura manserint (c. 18).

Hac de causa multum sed in cassum quaesivimus « votum » et alia documenta ad quaestionem spectantia, quae dicuntur « Positio » in Archivio Secreto Vaticano, in Archiviis CC et PF.

In archivio autem Brevium invenimus quod iam publici iuris fecerat D. Woods (158). In uno Indice Brevium 1566 ad 72, Q. 440, sub mense Augusti, 1571, f. 507 exstat Elenchus Brevium quae fuerunt hoc mense concessa, diebus non assignatis. In tertia linea habetur: Indiarum (quid? Episcopis? Imperfectam reliquit phrasim scriptor.) Linea sequenti:

> Declaratio quod Indi baptizati et baptizandi remanere habeant cum uxore cum ipsis baptizata tanquam legitima aliis dimissis.

Genuinus legis sensus dignoscitur non solum ex verbis legislatoris et ex « positione », verum etiam ex moribus fidelium, ex consuetudine nimirum, et praxi. Quod magis valet in casu rescripti. Oratores enim sciunt quam praecisam gratiam petierint et responsum pontificium per tractum temporis plus minusve longum in praxim deductum, quod ignorare Papa non supponitur, non debile praebet argumentum pro genuina interpretatione rescripti. Inde Regula Iuris quae efformat c. 29: « Consuetudo est optima legum interpres ». Et cum consuetudo sit nihil aliud quam ipsa legis interpretativa observantia « rite ad eam confugitur, ad optime interpretandum sensum et extensionem et efficientiam legis et ad dubia de ea depellenda » (159).

Quare contendimus in parte I infelici successu investigare pro quo loco peculiari constitutio S. Pii v *Romani Pontificis* scripta fuisset, ut securius deinde gressum faceremus ad inquirendam consuetudinem circa eamdem in illa regione.

---

(158) Woods: *The Constitutions of c. 1125*, p. 30, not. 7.
(159) Cicognani: *Commentarium ad Lib. I. Codicis*, p. 173, n. 2.

Quoniam VASQUEZ dixerat S. PIUM dedisse hanc constitutionem ad Novam Hispaniam, Mexicanos auctores consulere properavimus. Iam ex parte II patet quid VERACRUX, insignis missionarius Mexicanus, sensisset de isto Brevi, ut primum datum fuerat (160).

Forse nobis valde profutura tradidisset FRANCISCUS DE LUGO, frater natu maior eiusdem nominis cardinalis, qui per plures annos theologiam moralem in universitate Mexicana docuerat, suum tractatum *De Septem Ecclesiae Sacramentis Praxim potiusquam Speculationem attendens et intendens* ad finem perduxisset.

Plerique historici et editores Conciliorum Mexicanorum referunt facultatem concessam a PIO V et tacent de praxi (161).

Huc referenda sunt verba quibus AL. SANCHEZ concludit suum memoriale ad S. Sedem: « Fuit etiam Episcopus Mexicanus, olim Doctor U. I. qui publice affirmabat, ex consilio etiam Fratris FRANCISCI VICTORIAE eximii theologi, nullum hac de re scrupulum Indiis esse iniiciendum, sed relinqui posse cum ea uxore cum qua bona fide ad baptismum venerant, quamvis prima non esset; et ipse id servabat in praxi quotidiana suae ecclesiae » (162). Notandum tamen haec verba esse potius generalia et vaga, atque illum non referre praxim ecclesiae Mexicanae ad facultatem a S. Pio V concessam.

Ut planum est, auctores qui Limae scripserunt post Concilium Prov. *Limanum I*, non poterant silentio praeterire privilegia Indorum ab eodem Concilio approbata atque omnibus parochis caeterisque personis ad quas pertinebat communicata. Revera multi auctores facultatem a S. Pio concessam memorant, sed addunt praeterea nihil de praxi vel consuetudine relate ad adiuncta casus.

---

(160) Vide P. II.

(161) RICARD: *La Conquête Spirituelle du Mexique*, p. 139. VERA: *Appuntamentos Historicos de los Concilios Prov. Mexic.*, p. 270, n. 2.

(162) ZITELLI: *De Dispens. Matr.*, p. 197.

Ad finem *Elenchi privilegiorum Indorum* HAROLD adiecit hanc notam:

> De privilegiis Indis concessis exstat liber Didaci Gonzalez Holguin, Societatis Iesu, impressus Limae, in-4o, anno 1608 (163).

Dolendum tamen illum non indicasse magis praecisum titulum illius libri. In scriptis vero GONZALEZ nil est inventum nisi *Summario de los Privilegios y Facultades concedidas para los indios,* ad calcem *Vocabulario... de la Lengua Qquichua General del Peru.*

Si HAROLD ad hunc tantum librum voluit referre, revera nihil ibi habemus nisi verba Concilii Prov. Limani I Hispano sermone reddita.

DIDACUS DE AVENDANO, S. I. (1595-1688), in Peruvio iam pridem publicus et primarius S. Theologiae Professor et in Sacro Inquisitionis Sanctae Tribunali adlectus censor, rem theoretice potius explicat quam praxim nobis refert. Aequiparat Breve Pianum facultati n. 11 (nunc n. 24 F.T.M.) *Formulae Quinquennalis* iam Episcopis Novi Orbis concedi solitae. Inde concludit S. PIUM V supposuisse unam tantum ex uxoribus converti, prima in infidelitate perseverante (164). In *Additiones ad Tomum Posteriorem Thesauri Indici* ipse primus refert quam discrepantiam invenerit inter primam et alteram editionem Consiliorum NAVARRI, eiusque interpretationem qua « in Decreto praedicto nihil habetur speciale, cum ex eo tantum deducatur id quod iure Canonico dispositum invenitur: posse videlicet coniugem conversum ad alias nuptias transire, si legitimus consors in sua infidelitate permanere velit », reiicit uti in Brevis textu non fundatam. Et suam sententiam in textu operis expressam aliquantulum mutat (165).

---

(163) HAROLD: *Lima Limitata,* p. 111; MANSI: *Concilia,* vol. 36 bis, col. 253.

(164) AVENDANO: *Thesaurus Indicus,* t. II, tit. 12, cap. 14, n. 414, p. 119.

(165) AVENDANO: *Additiones ad Tom. Poster. Thesauri Indici,* n. 52, 53; pp. 11-12.

Fere eodem tempore scribebat Joannes de Alloza, S. I. (1598-1666), theologus ex Regum Civitate Lima, opus suum: *Flores Summarum seu Alphabetum Morale,* non paucis annis in ministerio sacro peractis. Quae cum ita sint, multa spe ad eius opus accessimus, mox tamen illud claudendum erat, cum nihil aliud faciat laudatus auctor quam sententias aliorum colligere, et Breve nostrum refert summarie ex *Elencho Privilegiorum Indorum* a Concilio Limano approbato (166).

Similiter Cyriacus Morelli, S. I. (1718-1795), olim in Universitate Neo-Cordubensi in Tucumania Professor, refert ad verbum hoc privilegium ex Conc. Limano. Et in adnotationibus totus est in explicando quomodo hoc privilegium sit intelligendum, utrum in sensu privilegii Paulini, an aliter (167).

Quibus omnibus viis ad verum constitutionis S. Pii v *Romani Pontificis* sensum detegendum conclusis, nihil nobis nunc remanet nisi ut illam intelligamus et interpretemur « secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam et communem loquendi usum », simulque attendentes « ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris » (c. 18; c. 49).

Documentum pontificium analysi subiiciendum est Rescriptum, quippe quod sit Principis Ecclesiastici responsio scripto data. Ratione tamen modi quo fuit concessum, est « Motu-proprio »; rescripta namque per se sunt semper ad instantiam alicuius, sed Summus Pontifex aliquando vult significare se motum fuisse ad scribendum non ex porrectis precibus sed ex sua liberalitate, benevolentia, sponte, « motu-proprio ». Ratione porro formae externae est Breve, ratione auctoritatis et sollemnitatis Constitutio, qua lex quamvis particularis a Romano Pontifice emanavit, eoque nomine utitur ipse *CIC* in c. 1125. Ratio-

(166) Alloza: *Flores Summarum,* Sectio II, De Indorum Priv., n. 6, p. 358.

(167) Morelli: *Fasti Novi Orbis,* Ord. cxxxii, p. 247.

ne denique rei concessae erat privilegium, eo quod constituisset ius particulare, dispensatio videlicet seu relaxatio legis de impedimento ligaminis.

Unde non mirum quod auctores nunc hoc nunc illo nomine utuntur, quorum exemplum et nos sequuti sumus. Et in sequenti analysi rationem hanc multifariam prae oculis habere conabimur.

Supposito post Vasquez quod S. Pius v scripsisset constitutionem *Romani Pontificis* pro Nova Hispania, haec memorentur facta historica.

Anno 1520 nautae Hispani primo ceperunt oram Mexicanam. Paulo post, multi missionarii Ordinis Seraphici regionem illam sunt ingressi, qui infideles ad Christum lucrifacerent. Sed Evangelii praecones iam ab initio magnas offenderunt difficultates in propaganda fide. Nam valde generalis erat apud quasdam gentes praxis polygamiae simul et divortii.

Primus missionariorum congressus an. 1524, praeside Legato Apostolico P. Fr. Martino de Valentia, frustra conatus est discernere quid faciendum esset circa neophytorum matrimonia. Alii enim missionarii opinati sunt coniugia illorum infidelium omnia esse invalida, eo quod circa plures insimul feminas affectum dividerent coniugalem, et proinde difficillimum foret discernere quae ex illis esset prima et legitima uxor. Alii e contra dixerunt multos Mexicanos non habere nisi unam uxorem, cum qua per multos annos vel usque ad mortem viverent; quosdam vero habere unam ut primam et principalem (168).

Deinceps in capitulis et conventibus eadem saepe fuit agitata quaestio. Nec certam potuit dare directionem missionariis primus Episcopus dioecesis Mexicanae, quae fuit erecta anno 1528. Ter in patriam missi fuerunt legati qui

---

(168) Tejada y Ramiro: *Coleccion de Canones y Todos los Concilios de la Iglesia de España y de America*, t. V, p. 114; Hernaez: *Coleccion de Bulas, Breves...*, t. I, pp. 54, 55.

consulerent viros doctos quos inter fuit Card. Caietanus (169).

Tum demum Paulus III constitutione *Altitudo*, 1 Iun. 1537, diremit hanc controversiam et declaravit validum consistere matrimonium cum prima uxore et statuit hoc observandum, « ut qui ante conversionem plures iuxta eorum mores habebant uxores, et non recordantur quam primo acceperint, conversi ad fidem unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est; qui vero recordantur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant ».

Multo post, exorta est et alia difficultas gravior. Nescitur quo pacto, factum est ut recipientibus baptismum permitteretur permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata existebat, non obstante dicta constitutione Pauli III. Et haec quidem videtur fuisse praxis generalis. Et in tam generali praxi, datis moribus illorum populorum, qui etiam de levissimis causis repudiabant uxores, non potuit non accidere saepenumero, ut illa quae cum marito baptizata existebat, non esset prima coniux. Fieri etiam poterat quod prima coniux cum secundo marito baptizata esset. Unde tam missionarii quam Episcopi gravissimis scrupulis torquebantur, existimantes illud non esse verum matrimonium.

Paululum sistamus hic ad plane inspiciendam veram illorum gravissimorum scrupulorum rationem. Merum enim factum quod conversi ad fidem haberent uxores quae non essent primae, non potuit parere tales scrupulos.

Iam iure Decretalium decisum erat, et Paulus III nuper repetierat, verum stare matrimonium inter infideles, quamvis non sacramentum. Pariterque statutum erat quod « si paganus prius plures uxores habeat, post fidem susceptam adhaerebit primae », quae proinde est sola legitima uxor. Ius vero primae coniugis non poterat rite au-

(169) Mendieta: *Historia Ecclesiastica Indiana*, lib. III, cap. 47, p. 300.

ferri ab ea nisi ipsa renuisset cohabitare cum marito ad fidem converso aut etiam consensisset, non tamen absque contumelia Creatoris, vel periculo eum pertrahendi ad grave peccatum (170).

Porro, in casu polygamiae hoc ius certae uxori tribui non debet nisi prius constiterit iure et facto illam esse primam coniugem. Iure non constaret de prima uxore, si inter infideles non daretur verum matrimonium. Quo in casu, nulla oriretur quaestio de prima uxore. Et conversus ad fidem nulla obligatione matrimoniali teneretur ad unam potius quam alteram retinendam. Ei vero qui non recordatur quam primo acceperit, Paulus III dedit, ut iam dictum est, facultatem unam ex illis accipiendi quam voluerit, servatis utique servandis. His in casibus, ergo, nullus datur locus scrupulis.

Restat casus in quo prima uxor certe nota erat. Ipsa iure Decretalium non poterat dimitti nisi ex privilegio Paulino. Iterum, si servatis servandis in usu tali privilegii, ipsa fuisset dimissa, pariter nullus est locus scrupulis.

Nunc autem tam ministri quam Episcopi asseruntur gravissimis scrupulis torqueri, ex eo quod recipientibus baptismum permisissent permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata exsistebat, concludendum est primam uxorem certe notam non fuisse interpellatam. Inde gravissimi scrupuli.

Et tandem aliquando habitus fuit recursus ad S. Sedem et S. Pius v huic statui rerum finem imposuit per constitutionem *Romani Pontificis*, 2 Aug. 1571, de qua nunc. In brevi praeambulo enuntiat Papa principium et consuetudinem, cum oriantur dubia et difficultates in propaganda fide vel conversione infidelium, Romani Pontificis esse, pro sua aequa et circumspecta providentia in gubernanda Ecclesia, solvere dubia et statuere et definire quid agendum sit ac providere aliis opportunis mediis, ita ut mis-

(170) C. 8, X, de divortiis, IV, 19.

sionarii certo sciant modum sese gerendi atque dirigendi noviter ad fidem conversos ac convertendos.

Deinde speciem facti vel casum quem superius rettulimus narrat, nempe, « Cum itaque, sicut accepimus, Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est quod recipientibus baptismum permissum sit permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata existit ». Dein indicat originem difficultatis et causam scrupulorum: « Et quia saepenumero contingit illam non esse primam coniugem, unde tam ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium », quia primam uxorem certe notam non interpellantes relinquebant conversum cum secunda uxore.

Et continuo subiungit solutionem casus. Scopus vero et finis in ea intentus est: 1. quoad praeteritum, donare pacem conscientiis tam ministrorum quam Episcoporum gravissimis scrupulis agitatis; 2. quoad futurum, causam scrupuli omnino amovere.

1) *Quoad praeteritum*: quid ergo facit Pontifex? Non improbat ministris et Episcopis eorum modum agendi, nec conversis noviter ad fidem imperat, ut sese separent ab uxoribus suis non primis. Sed benigne consulit missionariorum et locorum Ordinariorum conscientiis. Nam ait: « Nos, statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere, atque ipsos Episcopos et ministros ab huiusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio, et ex certa scientia Nostra, ac apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi, sicut praemittitur baptizati... cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata..., remanere valeant, tamquam cum uxore legitima, ... apostolica auctoritate, tenore praesentium, declaramus, matrimoniumque huiusmodi inter eos legitime consistere... ».

Quaenam sunt rationes quae moverunt S. Pontificem ad concedendum privilegium tam extraordinarium? Quae

rationes constituunt adiuncta casus. Duae memorantur rationes in ipsa constitutione, quarum prior est praecipua, altera tantum secundaria.

Prima ratio est: « quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus Indi baptismum susceperunt ». Et haec est causa motiva seu finalis, vel principalis quae scil. movet Pontificem ad concedendum privilegium. Haec etenim durities separandi Indos ab uxoribus quae cum maritis simul baptizatae exstiterant, erat tandem aliquando ipsissima ratio cur ministri et Episcopi eos non separassent. Haec eadem durities nunc impellit S. Pontificem ad istam dispensationem concedendam. Et haec ipsa durities separandi coniuges erit conditio necessaria pro omni valido usu istius facultatis.

Haec magna durities separandi eos ab invicem exoriri potuit vel ex mutuo grandi affectu coniugum, ita ut, si baptizatus compelleretur ad cohabitandum cum uxore quam abhorreret, valde timendum esset quominus ipse aut fidem abiiceret aut more pagano viveret; vel ex amore et bono prolis, v. g. si secunda uxor haberet prolem, prima vero non; vel potissimum ex illa ratione quam memorat Pontifex ipse: « maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire ». Nam in hoc casu neophytus caelibem ducere vitam cogeretur. Etenim ius tum vigens prohibuit quidem in cap. Gaudemus conversum ad fidem, qui repudiaverat legitimam uxorem ad alia vota transire, nisi ex privilegio Paulino, sed non providit casui in quo coniux legitima non esset reperta. Cui casui postea providebit Gregorius xiii constitutione *Populis*.

Altera ergo ratio: « maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire » non est nisi unum exemplum particulare illius duritiei separandi neophytum ab uxore. Quare iniquum est totam constitutionem *Romani Pontificis* reducere ad hunc casum particularem atque eam confundere ac aequiparare cum constitutione Gregorii xiii.

Praeterea notetur verbum « maxime » non aequivalere

verbo « unice vel solum ». Nam quod quis agit maxime pro certa ratione, agit simul et pro aliis rationibus. Quod autem facit pro unica vel sola ratione, hoc non faceret si illa ratio non adesset. Sic, e. g. qui venit Romam maxime ad videndum Papam, huc venit pro aliis etiam rationibus; immo veniret etsi Papa non esset Romae. E contra qui velit unice videre Papam, huc non veniret, si Papa non esset Romae.

Similiter in nostro casu, facultas permanendi cum secunda vel ulteriore uxore datur pro prima ratione, nempe « durissimum esset separare eos »... Sed haec durities augetur, si prima uxor non potest inveniri. Et durities aucta magis impellit legislatorem ad promptius concedendam dispensationem. Ergo ista difficultas inveniendi primam coniugem non per se et principaliter movet Pontificem ad illam gratiam concedendam, sed ad facilius concedendam, et inde dicenda est causa impulsiva seu secundaria tantum.

Hinc non erat necesse ut haec causa vel conditio purificaretur in omni casu. Si aderat, facilius poterant missionarii coniuges relinquere in pace; si aberat, non prohibebantur quominus hanc concederent gratiam, vi Brevis pontificii, dummodo durissimum esset eos separare. Utique plerumque, in multis casibus, verificaretur et altera conditio simul, nimirum difficillimum esset primam coniugem reperire in illa societate in qua frequentissima erant divortia. Nihilominus poterant dari casus in quibus durissimum esset separare maritum a secunda uxore, quamvis prima nota esset.

Idcirco superius diximus eos qui totam vim Brevis S. Pii v constituunt in verba « maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire » evulsisse hanc phrasim e contextu, et praeteriisse praecipuam rationem constitutionis *Romani Pontificis*.

2) *Quoad futurum*: Hic magis apparet paternus animus S. Pii v erga Indos infideles. Occasionem etenim na-

ctus, et forse non rogatus, motu proprio, eamdem dispositionem et idem privilegium in futurum etiam posse servari sancivit. Et ita aperuit ianuas Ecclesiae clave sibi coelitus commissa, iis coniugibus qui ab invicem non poterant separari, quosque ius tunc vigens reiiciebat ut baptismate indignos atque indispositos.

Pars dispositiva constitutionis *Romani Pontificis* una sententia complectitur tum id quod spectat praeteritum, tum id quod in futurum est servandum. Nos vero claritatis gratia duas partes sententiae ab invicem separamus et quod praeteritum spectabat iam supra attulimus. En nunc quid S. Pontifex constituit in futurum servandum: « ideo Nos, statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere... volentes, motu proprio et ex certa scientia Nostra, ac apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi, sic ut praemittitur... in futurum baptizandi, cum uxore, quae cum ipsis... baptizabitur, remanere valeant, tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, declaramus... ».

Igitur id ipsum quod factum fuerat haesitationis scrupulo, deinceps poterat fieri iure et tuta conscientia.

Notentur haec verba Brevis: « ut Indi, sic ut praemittitur... in futurum baptizandi... ». Quae verba prohibent quominus hoc privilegium ad omnes Indos olim, et nunc ad omnes neo-conversos polygamos sine discrimine extendatur. S. Pontifex etenim non concessit hanc gratiam ad Indos omnes sed ad Indos sicut praemittitur in futurum baptizandos, quando nimirum durissimum esset eos separare, et eo facilius quum difficillimum foret primam coniugem reperire. Inde ubi haec difficultas non adest, hoc privilegium valide usurpari non potest.

Quae omnia his paucis verbis resumi possunt: Ad validum usum Privilegii piani, quod polygamis per constitutionem *Romani Pontificis* c. 1125 conceditur, requiruntur et sufficiunt conditiones vel adiuncta casus, quae sequuntur:

1. Durissimum sit separare polygamum ab uxore cum qua vivit;

2. Haec uxor sit parata ad baptismum simul cum marito recipiendum.

Si praeterea accedat causa aggravans, i. e. difficultas reperiendi primam coniugem, eo facilius gratia conceditur, vel magis accurate loquendo, casus mutatur, et iure Codicis non iam est locus privilegio Piano. Nam c. 1125 pariter in ius commune erigit duas alias constitutiones pontificias quae huic difficultati occurrunt. Si difficillimum est invenire primam coniugem, eo quod nota non sit quae sit prima, Paulus III dat facultatem polygamo accipiendi unam ex uxoribus, quam maluerit. Si difficillimum est invenire primam coniugem ubi sit, tunc uti potest privilegio Gregoriano. Ergo clausula: « maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire » non constituit conditionem essentialem privilegii Piani.

* * *

Contra hanc interpretationem Brevis S. Pii V non pauca obiiciuntur. Iam decursu dissertationis quasdam obiectiones innuimus et praeoccupavimus. Sed praecipuas obiectiones hic iterum ponderare libet.

1. Quid de prima coniuge? Nonne Innocentius III in c. Gaudemus statuerat virum conversum debere redire ad primam uxorem, quamvis ex suo ritu dimissam?

Huic difficultati iam respondit Al. Sanchez: « ab Innoc. non fuisse petitam dispensationem: alioquin fuissent illi expositae difficultates, si quae fuissent, redeundi ad primam; et ille negasset posse seu velle se dispensare: non igitur dispensatio hic quaerebatur, sed ius commune, et de hoc respondet Innocentius. At nunc scitur ius commune, et ab eo dispensatio petitur ob novas difficultates » in Novo Orbe, quam dispensationem concessit S. Pius V » (171).

(171) Zitelli: *De Dispens. Matr.*, p. 196.

Quamdiu vero haec gratia non fuerat concessa, tenebatur utique conversus redire ad primam uxorem. Sed semel S. Pontifex ex plenitudine potestatis suae vicariae dispensaverit, quod eum posse facere nunc nemo negat, non iam tenetur. Ad quod non satis attendentes Doctores de quibus in parte nostra II, renuerunt agnoscere Brevi nostro ullam vim praeter privilegium Paulinum.

2. Nonne polygamus conversus debet interpellare primam coniugem secundum c. 1121?

Haec etiam difficultas ex eodem fonte emanat, ex suppositione nempe non dari in Ecclesia potestatem dissolvendi matrimonium infidelium nisi per privilegium Paulinum; et inde concluditur ad necessitatem interpellationis legitimae uxoris in omni casu, ubi de dissolutione vinculi agatur.

Cui difficultati iam implicite responsum est in praecedenti. Nam, si conversus non debet redire ad primam uxorem, ad quid est illa interpellanda? Tamen cum haec difficultas tangat ipsam medullam privilegii Piani, liceat ei fusius respondere.

Sicut conditiones essentiales privilegii Paulini determinantur ex ipsis verbis Apostoli, sic conditiones essentiales privilegii Piani etiam eruendae sunt ex ipsis verbis constitutionis *Romani Pontificis*.

Igitur privilegium Paulinum quod eruitur ex *I Cor.* VII, totum fundatur in discessu infidelis sive morali sive physico, ita ut si infidelis non discesserit, valide dimitti non possit. Inde necessitas explorandi eius voluntatem circa discessum per explicitas interrogationes.

Quod vero solvit matrimonium non est discessus infidelis sed voluntas Dei et potestas quam Christus Dominus dedit Ecclesiae suae. Hac potestate munitus Apostolus Gentium concessit fideli facultatem ad alia vota convolandi sub hac conditione essentiali, si infidelis discedat, propter rationem rerum et temporum. Et Romani Pontifices, qui pollent eadem potestate, concedere possunt neo-

phyto ius dimittendi uxorem sub aliis conditionibus, si id expedire iudicaverint in favorem fidei. Et de facto per saecula consuevit S. Sedes polygamo indulgere gratiam retinendi illam uxorem quae fidelis fiat, si prima noluerit converti (F. T. M. 24). Quod privilegium etiam respicit et dependet a voluntate primae coniugis; inde necessitas eam interrogandi num velit converti.

Sed Paulus III et Gregorius XIII ulterius procedunt et dant facultatem dimittendi primam coniugem, si nota non sit, vel difficillimum sit eam reperire vel adire. His in casibus dimissio non conditionatur ex voluntate primae coniugis, sed a difficultatibus ei extraneis. Inde nulla monitio debet fieri. Ibi magis elucet potestas S. Pontificis in matrimonia infidelium.

Facultas vero a S. Pio V concessa toto coelo differt, cum non respiciat discessum infidelis nec ignorantiam quae sit prima uxor nec ubi sit, nec difficultatem eam adeundi, sed duritiem separandi neophytum ab uxore cum qua cohabitat. In illis casibus neophytus supponitur esse paratus ad primam uxorem recipiendam, inde quaerit eam et monet; hoc vero in casu neophytus renuit eam recipere, etsi ipsa parata sit ad baptismum recipiendum; inde inutilitas eam interpellandi (172). Cf. *Causam Florentinam*.

Evidenter S. Pius talem neophytum reiicere poterat ut indignum baptismo, sed non fecit. Immo paterno affectu saluti eius benigne consulere voluit atque dispensavit in favorem fidei ex plenitudine potestatis apostolicae. Et conditiones huius dispensationis vel privilegii ex eius Litteris determinandae sunt easque supra determinavimus. In quot et quantis differat privilegium Pianum a privilegio Paulino apparet ex sequenti schemate.

Privilegium Paulinum:	*Privilegium Pianum*:
1. « Si infidelis discedat »;	1. « Durissimum esset separare » coniuges;

(172) Vermeersch: *Periodica*, XI (1922), p. (139), n. 119 b.

2. Una pars sit baptizata;	2. Utraque pars simul baptizanda;
3. Ego (PAULUS) dico;	3. Nos (PIUS V) ex apostolicae potestatis plenitudine;
4. Interpellationes duae;	4. Nulla interpellatio.

Ergo, nec voluntas primae uxoris se convertendi, nec factum eius conversionis officit usui privilegii Piani, in favorem fidei.

3. Ex quibus etiam patet responsio ad ea quae habet P. VROMANT de relatione inter facultatem Pianam e facultatem 24 F. T. M.

Privilegium polygamis a Pio V concessum Constitutione Romani Pontificis, 2 augusti 1571, missionibus hodie authentice adaptatur per facultatem XXIV formulae tertiae maioris Ordinariis missionibus concessam scilicet: « Dispensandi... » (173).

Cum per plura saecula Breve S. PII V consueverit communicari per PF missionariis simul cum facultate 24 F.T.M. (174) non est cur dicatur « hodie authentice » adaptari per illam facultatem; nec ullam ibi rationem assignat cl. auctor. Forse in mente habuit, cum haec scriberet, responsum PF ad votum 12 Primi Conc. *Sinensis*. Quod legenti patet ibi non agi de adaptatione constitutionis S. PII V per facultatem 24.

Nec factum habendi vel communicandi duas facultates simul implicat unam esse authenticam declarationem vel adaptationem alterius, ut scite animadvertit VERMEERSCH:

Neque dicas, hac explicatione iam inutiles esse facultates S. C. De Propaganda Fide quibus, sine regionum distinctione, ista facultas dispensandi conceditur. Etenim, praeterquam argumentum istud semper debile foret, quia gratis, supponeret facultates non posse scribi nisi praecesserit accurata exploratio et au-

(173) VROMANT: *De Matr.*, n. 274, p. 220.
(174) Non solum Episcopi Americae illa habuerunt simul (cf. AVENDANO, supra), verum etiam Episcopi Sinarum, Tunquini etc. cf. Constitutiones Ap., Brevia, etc., P. I, p. 31, n. 11; P. V, p. 1.

thentica declaratio iuris vigentis, in casu praesenti notum est facultates S. C. Propagandae Fidei nondum fuisse complete ad Codicem aptatas, ac nunc praeparari novas formulas (175).

Haec Vermeersch, dum ipse cooperaretur et exararet votum ad adaptandas formulas PF. Qui labor post mortem Card. Van Rossum, praefecti PF, interruptus, nec hodiedum resumptus est.

Igitur, alii et alii casui occurrunt privilegium Pianum et facultas 24 F.T.M. nec de relatione inter ea constat.

4. An Papa possit dispensare cum praeiudicio tertii? Si permitteret neophytum permanere cum secunda uxore, laederet ius primae et proinde legitimae coniugis.

Non parvi momenti est haec obiectio. Et non pauci auctores classici ea utuntur. Et S. Sedes et *CIC* nolunt laedere ius alteri iam quaesitum, cum privilegia concedunt. Et facultas de qua in Brevi S. Pii v est certe in genere privilegiorum.

Tamen omnes admittunt principem reipublicae valere tollere ius tertii, si id expediat ad bonum commune. Bonum enim commune semper praevalere debet bono privato. Nec haec potestas in genere deesse dici debet principi reipublicae christianae quae est Ecclesia. Praeterea in re matrimoniali, quae immixtum habet ius divinum Christus Dominus suam Ecclesiae delegavit potestatem. Quare S. Pontifex potest aliquem privare iure suo, etiam in re matrimoniali, si id conferat ad bonum commune, in favorem fidei. Sic c. 1119 explicite dicit Sedem Apostolicam, ex iusta utique causa dissolvere posse matrimonium non consummatum, etsi altera pars sit invita.

Nec hoc raro accidit in dissolutione matrimonii infidelium consummati. Nam in privilegio Paulino et per facultates a Pontificibus concessas tandem aliquando ius tertii, generaliter partis infidelis, et in uno casu Gregorii xiii etiam fidelis, aufertur propter unam alteramve rationem. Nemo

(175) *Periodica*: xx (1931), p. 4*.

tamen audet contra hoc reclamare. In privilegio Piano nihil plus fit. Ratione gravissimae difficultatis separandi neophytum ab uxore cum qua vivit, ius primae uxoris etiam ad fidem amplectendam paratae aufertur et neophytus simul cum secunda baptizari permittitur.

Cum agatur de potestate delegata, requiritur utique ad eius validum usum iusta causa. Quaenam autem sit illa causa iusta quae cederet in favorem fidei, Summi Pontificis est iudicare.

5. Ista explicatio Brevis S. Pii v potius favet libidini quam fidei et est praemium nequitiae et christiano nomini affert dedecus.

Utique Religio christiana, quae gentes docet Dei vereri praecepta, nunquam debet et ipsa laxitatis auctor fieri nec potest.

Observandum tamen est id quod primo intenditur non esse cedere libidini sed conversioni coniugum et eorum perseverantiae in fide ac vitae christianae consulere. Quare in memoriam revocare iuvat id quod CC fecit in *Causa Florentina*. Quaesivit enim ab Archiepiscopo Florentino an possibile esset, ut citra praeiudicium conversionis ad fidem Catholicam Abraham separaretur a Blanca, et ad Riccam rediret. Quo supposito, verum quidem est quod conversus habeat uxorem quam prae ceteris diligat. Quod ceterum non raro accidit, etiam in casu dissolutionis matrimonii non consummati. Plerumque enim coniuges nolunt permanere in matrimonio inito, non quia caelibem volunt ducere vitam sed habere personam quam magis diligunt. Tamen nunquam dicitur dissolutio matrimonii non consummati incitamentum voluptatis.

Etiam in casu Paulino fit concessio fragilitati humanae, ne frater uratur et se continere non valeat. Talis concessio in favorem fidei cedere explicitis verbis asserit Gregorius xiii in sua constitutione die 25 Ian. 1585 data: « Populis ac nationibus nuper ex gentilitatis errore ad fidem catholicam conversis expedit indulgere circa libertatem

contrahendi matrimonia, ne homines, continentiae servandae minime assueti, propterea minus libenter in fide persistant, et alios illorum exemplo ab eius perceptione deterreant » (176).

Ceterum, cum S. Pontifex plenitudine potestatis apostolicae dissolverit primum matrimonium, polygamus conversus rite ducere valet in uxorem eam cum qua vivit. Tunc illa unio sanctificatur atque affectio eius, nec in posterum plus libidinis accusari potest quam quilibet coniugatus.

* * *

Quoad praxim et usum privilegii Piani haec dicenda sunt. Privilegia directe conceduntur quibus prosunt. Plerumque tamen interponitur pars tertia seu exsecutor qui invigilet ut omnia rite fiant. In rebus publicis rescripta et privilegia per Ordinarium loci saepe conceduntur aut ei praesentanda erunt.

Quamvis privilegium Paulinum concessum sit directe neophytis, fratribus aut sororibus, Ecclesia tamen non reliquit ipsis individuis rationem qua hoc privilegio fruantur, sed condidit leges et modum praescripsit ad validum et licitum usum privilegii necessarium, quo consulitur bono communi et tranquillitati ordinis.

Simile quid est etiam servandum in usu privilegii Piani. Etsi etiam in hoc casu gratia neophytis ipsis directe concedatur, eius usus tamen eis libere relinqui non potest. Sed sub diligenti cura Ordinarii loci, cuius est invigilare et urgere totam disciplinam Codicis, omnia rite componenda, ne bonum commune et pax inter familias detrimentum patiatur.

Matrimonium enim est institutum publicum, sociale,

---

(176) Quae verba pontificia, uti forse piis auribus offensiva, quidam omittunt! Et transcribunt illud Breve Gregorii xiii, titulumque eius constituunt verbis sequentibus: « Quoniam saepe ». Cuius auctor videtur esse Pontius, qui iam habens in mente quae scripsit in lib. ix, cap. 2, n. 12, congruenter non poterat antea praeambulum illud: « Populis ac... » adducere in lib. vii, cap. 48, n. 23. Vide etiam CPF, n. 1313 (11 Iul. 1760); Rosset: *De Sacr. Matr.*, col. I., n. 639, p. 560.

simul et iuridicum, ex quo derivantur non pauca iura et obligationes cum quoad coniuges inter se, tum erga liberos. Inde momentum eius valorem in tuto collocandi. Itaque Ordinarius per se ipsum vel per prudentem sacerdotem iudicium ferat revera durissimum esse separare neophytum ab uxore cum qua vivit. Exemplo sint responsum Archiepiscopi Florentini in *Causa Florentina* et Votum 12 *Primi Concilii Sinensis*. Suamque sententiam scripto consignet, ut documento sit authentico, si quando huiusmodi matrimonium impugnaretur ex capite impedimenti ligaminis, vel vir bigamiae crimine accusaretur vel legitimitas liberorum dubitaretur. Sedulo tamen notetur huiusmodi scriptis assignationem non requiri ad validitatem matrimonii, sed tantum ut constet illud esse valide celebratum.

Quod ceterum vix aliter fieri potest iure Codicis. Nam inter huiusmodi coniuges consensus in forma renovandus est. Et Codex prohibet ne loci Ordinarius vel Parochus assistant, aut alii sacerdoti licentiam concedant assistendi matrimonio, nisi sibi legitime de libero statu contrahentium constiterit (cc. 1096, 1029, 1097).

Puthota Rayanna S. I.

De unitate Ecclesiae orientalis et occidentalis restituenda, documentis S. Sedis ultimi saeculi (1848-1938) illustrata

Nostro saeculo Ecclesia catholica non iam multa templa exstruit, quae futurarum generationum admirationi, magnarum vero urbium perpetuae gloriae esse poterint. Codificando vero ius canonicum occidentale necnon orientale, portando nomen Christi eiusque regnum in dissitas regiones, iacendo fundamenta ad unitatem fidei restaurandam, Ecclesia Christi sane monumenta aedificat, quae de gloria et ingenio nostri saeculi testantur. Romani Pontifices uni-

tati Ecclesiae restituendae continuo operam dederunt; ultimi autem Vicarii Christi in hoc opere eminent. Bello Europeo composito, conditionibus Ecclesiarum particularium orientalium multo mutatis, Oriente et Occidente atheismo saeviente infectis, actione oecumenica interconfessionali orta et valde diffusa, unitas Ecclesiae Orientis et Occidentis redintegranda opus quidem difficile, attamen grande et magis quam unquam necessarium evadit (1).

Stante principio a saeculis admisso: primario et essentialiter restaurandam esse consensionem in fide et consequenter unitatem in vita catholica, et altero principio: neoconvertendis, quantum fieri potest, obviam veniri oportere tum in formis cultus, tum in formis culturae, videri possit, unum principium non conciliari cum altero, seu unum principium non posse urgeri nisi cum detrimento alterius: v. g. urgere exclusive formas traditionales cultus, in quibus neque cultus Eucharistiae extra liturgiam neque certa exercitia pietatis inveniantur, quae in Occidente tantum contulerunt et conferunt ad sanctitatem et perfectionem fidelium, ut sunt, rosarium marianum, pietas erga Ss. Cor Iesu, cultus ad quosdam sanctos ad honorem altarium nuper elevatos. Ut mens S. Sedis de apostolatu orientali in genere et de quaestione proposita in specie magis pateat, adducen-

---

(1) Notae aliquae bibliographicae de unitate Ecclesiae restaurandae (omissis operibus dissidentium):

a) Monographiae: A. Rademacher, *Die Wiedervereinigung der christlichen Kirchen*, 1937; — M. Pribilla S. I. *Um die kirchliche Einheit* 1929; — M. Congar, *Les chrétiens désunis*, 1938.

b) Periodica, in quibus fere exclusive de rebus orientalibus disseritur: *Orientalia Christiana* (*Periodica* et *Analecta*, Romae), *Les Echos d'Orient* (Parisiis), *Oriens* (Varsaviae), *Acta Academiae Velehradensis* (Olomoucii), *Irenikon* (Belgii).

c) Rationes practicae de viis ingrediendis leguntur in Actis Congressuum et Conventuum Velehradii, Pragae, Labacii, Viennae, Pinscii, Leopoli habitorum.

d) De modo, quo apostolatus apud Slavos dissidentes peragendus sit, scripserunt auctores: Metrop. Andreas Szeptyckij, Cremer, Grivec, Korolewsky, episc. Ložinski, Slipij, Spačil, Tabinskj, Tyszkiewicz, Veličkowskij et alii.

e) Recentem et amplam bibliographiam invenies apud Chrys. Baur, *Union*, in *Lexikon für Theologie und Kirche* vol. X (1938) col. 394-402; vide etiam Verhun, *Die Kirche und das östliche Christentum* (Berlin 1930) pg. 121-133.

tur fere complete documenta ultimorum Romanorum Pontificum, quae unitatem Ecclesiae Orientis et Occidentis pro obiecto habent.

I

De Pontificatu P. Pii ix (1846-1878).

Documenta: *a*) Episcopi dissidentes, ut ad unitatem cum Ecclesia catholica redire festinent, invitantur:

1) Litterae ad Orientales: *In suprema Petri Apostoli sede* (1848), in *Acta P. Pii IX*, I, vol. 1, pag. 78-91.

2) Litterae Apostolicae ad omnes episcopos ecclesiarum ritus orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes: *Arcano divinae Providentiae* (1868), in Mansi 50, 1255-1259), cf. Cecconi, *Storia del Concilio Ecumenico Vaticano*, Roma 1872.

b) S. Congreg. de Prop. Fide pro negotiis rituum orientalium creatur.

3) *Romani Pontifices* (1862), in *Acta P. Pii IX*, I, vol. 3, pg. 402-416.

4) Litterae Encycl. ad orientales episcopos catholicos: *Amantissimus humani generis Redemptor* (1862), in *Acta P. Pii IX*, I, vol. 3, pg. 424-436.

c) De iis, quae in Concilio Vaticano pro Orientalibus facta sunt:

5) Praesynodalia Concilii Vaticani, Mansi 49, 179-238.

6) Compositio Commissionis super Missionibus et Ecclesiis ritus orientalis, Mansi 49, 471-473.

7) Congressus et Acta huius Commissionis, Mansi 49, 985-1162; 1162-1172.

8) Schema Constitutionis de rebus orientalibus, Mansi 53, 893-914.

9) Postulata aliquorum (undecim) episcoporum Galliarum, quae reditum orientalium dissidentium spectant, Mansi 53, 331-353, praesertim 349-350.

d) Documenta alia, quae causam unitatis Ecclesiae attingunt:

10) Epistola Encyclica ad Archiep. Leopoliensem de statu rerum dioecesis Chelmensis, in *Acta P. Pii IX*, I, vol. 6, pg. 316-323.

11) Canonisatio S. Iosaphati, in *Acta P. Pii IX*, I, vol. 4, pg. 37-40, 114-137; alia etiam sunt documenta (ca. 10), quae ad orientales spectant, in quibus rationes potius particulares quam universales tractantur.

Sollicitudo S. Sedis pro Oriente quae nunquam est intermissa, certis temporibus ad eximium fervorem exardesce-

bat; quem fervorem in nostro saeculo reviviscere cernimus. P. Pius IX, ad supremum honorem elevatus, cum auctoritate et caritate paterna, episcopos ab Ecclesia catholica dissidentes, ut ad unitatem Ecclesiae Christi redire festinent, statim adhortatur, ipsosque propria disciplina ecclesiastica et pulchris ritibus orientalibus posse continuo uti, solleinniter spondet (2):

« Etenim urget Nos Christi caritas, ut iuxta eius monita et exemplum dispersas oves sequi per invia quaeque et aspera, atque illarum infirmitati succurrere connitamur, ut in saepta Dominici gregis tandem aliquando regrediantur.

Audite igitur sermonem nostrum Vos omnes, quotquot in Orientalibus ac finitimis plagis Christiano quidem nomine gloriamini, sed cum Sancta Romana Ecclesiae communionem minime habetis; ac Vos potissimum, qui penes illos sacris muneribus estis addicti, aut maiori etiam ecclesiastica dignitate fulgentes, ceteris praesidetis. Recogitate et memoria repetite veterem ecclesiarum vestrarum conditionem, cum mutuo inter se, et cum reliquis Chatolici Orbis Ecclesiis unitatis vinculo conglutinabantur: et considerate deinceps, num quidquam Vobis profecerint divisiones, quae postmodum subsequutae sunt, et quibus factum est ut nedum cum Ecclesiis occidentalibus, sed neque inter Vos ipsos retinere potueritis regiminis unitatem (pg. 84).

Iuxta haec hortamus Vos et obtestamur, ut absque ulteriori mora redeatis ad communionem Sanctae huius Petri Sedis, in qua verae Christi Ecclesiae fundamentum esse, et Maiorum vestrorum aliorumque veterum Patrum traditio, et quae antea commemoravimus Christi Domini verba in Sanctis Evangeliis relata demonstrant (p. 89).

Itaque non aliud Vobis imponimus oneris, quam haec necessaria; nimirum ut ad unitatem reversi consentiatis Nobiscum in professione verae Fidei, quam Ecclesia catholica tenet et docet, et cum Ecclesia ipsa supremaque hac Petri Sede communionem servetis. Hinc ad vestros sacros ritus quod attinet, reiicienda solummodo erunt, si quae in illos separationis tempore irrepserint, quae eidem Fidei et unitati Catholicae adversentur: atque his demptis sartae tectaeque Vobis manebunt veteres Liturgiae vestrae orientales; quas pro illarum venerabili antiquitate et caerimoniis ad fovendam pietatem idoneis apud Nostros Decessores in pretio fuisse, atque a Nobis pariter plurimi fieri in priori harum Litterarum parte iam declaravimus.

Insuper deliberatum fixumque Nobis est, ut erga sacros Ministros, Sacerdotes et Praesules, qui ex istis Nationibus ad uni-

(2) Documentum supra citatum sub nr. 1.

tatem catholicam revertantur, eamdem teneamus rationem, qua Decessores Nostri tum proximae tum superioris aetatis multoties usi sunt; ut illis scilicet servemus gradus, et dignitates suas; atque hinc illorum non minus quam reliqui Catholici Orientis Cleri, opera utamur ad cultum Catholicae Religionis inter populares suos tuendum ac dilatandum.

Denique tum ipsos tum laicos, qui ad communionem nostram redierint, eadem qua caeteros Orientis Catholicos benevolentia complectemur; immo et iucundum Nobis erit omni studio conniti, ut de his aeque ac de ipsis quotidie magis bene mereamur (p. 90-91) ».

Orientales dissidentes aegre acceperunt verbum successoris Sancti Petri; quattuor patriarchae et vigintinovem episcopi in concilio Constantinopolitano (Maii 1848) congregati verbis vehementibus, fere violentis, documentum Romani Pontificis repudiaverunt (3).

Viginti annis elapsis, consilio convocandi Oecumenicam Synodum inito, P. Pius IX omnes ab Ecclesia separatos, orientales et protestantes, ad unitatem fidei evocat et, ut paribus iuribus, in sinum Ecclesiae reversi, ceteris cum episcopis in Concilio Vaticano participent, invitat (4):

« . . . Vocem nostram ad Vos rursus dirigimus, et maiore, qua possumus, animi contentione Vos obsecramus, monemus et obtestamur, ut ad eamdem generalem synodum convenire velitis, quemadmodum maiores vestri convenerunt ad concilium Lugdunense II a recolendae memoriae beato Gregorio X praedecessore nostro habitum, et ad Florentinum concilium, felicis recordationis Eugenio IV item decessore nostro celebratum; ut dilectionis antiquae legibus renovatis, et patrum pace, caelesti illo ac salutari Christi dono, quod tempore exaruit, ad vigorem iterum revocata, post longam moeroris nubelam et dissidii diuturni atram et ingratamque caliginem serenum ob unionis optatae iubar illucescat (col. 1257) ».

Dissidentes praesules Litteras Apostolicas receperunt alii animo benigno, alii offenso, de quo fuse scripsit Cecconi sub titulo: *Effectus, quem habuit invitatio ad concilium apud dissidentes* (5). Reapse ne unus quidem ex episcopis dissidentibus venit ad Concilium Vaticanum.

(3) Mansi 40, 377-418.
(4) Mansi 50, 1257.

Romanus Pontifex clara scientia ductus, apostolatum apud orientales multis in punctis differre a missionibus exteris, opus vero unitatis praecipue progressurum esse aucta de orientalibus iam catholicis cura, creat *S. Congreg. de Prop. Fide* (separatam) *pro negotiis rituum orientalium* (6):

« ... Ut qui in fidei unitate cum veritatis Cathedra sunt consociati magis in dies stabiles et immoti persistant, et crescentes in scientia Dei, et cognitione Domini nostri Iesu Christi per bona opera certam eorum vocationem et electionem faciant, qui ab unico Christi ovili, extra quod salus esse non potest, ad illud redire properent, atque festinent. Ea quoque spe sustentamur fore, ut dives in misericordia Deus hisce nostris humillimis et ferventibus precibus propitius annuere velit. Interim vero prae oculis habentes praesentem Orientalium conditionem, et noscentes, in aliquibus locis quaedam impedimenta, Deo auxiliante, ita fuisse remota, ut orientalis ritus gentes possint cum hac Apostolica Sede libere communicare, et idcirco facilius Nobis sit gravibus illarum indigentiis occurrere, Apostolici Nostri Ministerii esse duximus, Nostras paternas curas et sollicitudines ingeminatis studiis adhibere, ut spiritualium eorumdem Orientalium bono et necessitatibus maiorem in modum prospicere valeamus (p. 406-407) ».

In eodem documento ambitus iurisdictionis et potestatis huius novae Congregationis, a qua suo tempore (1917) *S. Congregatio pro Ecclesia Orientali*, omnino independens et sui iuris, evadet, cirumscribitur. Litteris specialibus et prolixis episcopi orientales catholici rogantur (7), ut statum suarum dioecesium, necessitates ecclesiarum et gregis, aliasque indigentias spirituales et materiales manifestent, ut S. Sedes melius ipsis possit providere, ut « in orientalibus plagis sancta nostra fides, religio maiora in dies incrementa suscipiat ac vigeat et efflorescat ».

Eodem desiderio, ut in Oriente vita catholica floreat, commotus, P. Pius IX ex episcopis orientalibus catholicis quaesivit, quae ad eorum mentem rationes in Oriente maxime urgeant (8), quaenam quaestiones Concilio Vaticano pro-

(5) Cecconi, o. c. I vol. 2 pg. 32-124.
(6) Documentum supra citatum nr. 3.
(7) Documentum supra cit. nr. 4.
(8) Mansi 49, 179-182.

ponendae sint (9). In sessionibus saepe repetitis, Commissio orientalis de mediis adhibendis, quibus dissidentes facilius ad unitatem moverentur, de rationibus, num et in quantum praecepta latina post Photium emanata extendi deberent ad ecclesias orientales, de editione catholica Sacrae Scripturae et librorum liturgicorum, de conservatione ritus orientalis et de transitu ad alium ritum, agebat. Multae vero quaestiones de fide, de disciplina, de sacramentis, de iurisdictione episcoporum orientalium, de clericis, de religiosis, aliis in commissionibus et schematibus tractabatur. Commissio de ecclesiis ritus orientalis mense Iulii 1870 duo schemata absolvit Concilio eucumenico proponenda: et quidem primum schema de confirmationis ministro (10), secundum de ritibus (11); hoc ultimum tria continet capita, nempe de rituum conservatione, de transitu ab uno ritu ad alium ritum, de rituum permixtione.

Ex schemate constitutionis de ritibus:

Et quoniam novimus liturgicas in eodem ritu difformitates ex varietate in rituales libros invecta potissimum oriri, ea propter huic etiam malo occurrendum existimavimus. Plurimum quidem sancta sedes adlaboravit, ut liturgici quemadmodum Occidentis, ita et Orientis libri emendati ederentur. Hoc opus, quod sacrorum bibliorum versiones quoque complecti debebit, alacriter prosequendum esse mandavimus, ut ministri eiusdem ritus, in missae sacrificio, in sacramentis administrandis, ceterisque ecclesiasticis functionibus peragendis unam eamdemque normam sectentur. Neque dubitamus, quin ipsius ecclesiae orientalis antistites adiutricem nobis operam sint collaturi, ut idem opus ad felicem exitum quantocitius perducatur.

Nemini denique liceat quovis titulo et colore et quavis auctoritate, aut dignitate, etiamsi episcopali aut patriarchali praefulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram et accuratam probatorum rituum observationem imminuat.

Haec autem nullatenus impediunt, quominus peculiaria quaedam pietatis exercitia, quae ad fovendam refrigescentem in mundo caritatem novissimis temporibus in ecclesiam catholicam invecta sunt, usuque recepta, quin et ab apostolica sede probata,

(9) Mansi 49, 182-238.
(10) Mansi 53, 893-897.
(11) Mansi 53, 897-914.

episcopi etiam ritus orientalis in suas dioeceses recipiant, commendent, et fidelibus eorum curae concreditis servanda proponant (col. 899).

Ex adnotationibus ad schema constitutionis de ritibus:

Non desunt qui inter orientales etiam catholicos dictitent, Romanum Pontificem nullam in ritibus alicuius ecclesiae mutationem inferre posse, absque consensu respectivi patriarchae aut etiam nationis. Ex adverso nonnulli extiterunt inter praelatos orientales qui, inconsulta sancta sede, sibi licere putarunt, praetextu potissimum ritus ad primaevum typum revocandi, aliqua ex parte liturgiam immutare. Utrique errori occurrendum. De omnimodo et independenti auctoritate, quae vi primatus in universam ecclesiam, Romano Pontifici in re liturgica, quemadmodum in re canonica, competit, ita ut quoties pro sua sapientia id expedire iudicaverit, ritus mutare libere possit, nullum dubium. Quod ad alterum pertinet, id ipsis verbis sanctae memoriae Benedicti XIV schema decernit. Gregorius autem XVI ait: « Ea regula omnino servanda est, qua statuitur, inconsulta sede apostolica in sacrae liturgiae ritibus nihil esse innovandum, etiam nomine instaurandi caerimonias, quae liturgiis ab eadem sede approbatis magis conformes esse videantur, nisi ex gravissimis causis, et accedente sedis apostolicae auctoritate. « Quam quidem regulam sanctissimus dominus noster (Allocut. habit. in consist. secr. 12 iul. 1867) confirmavit et ab omnibus orientalibus ecclesiis religiosissime observari mandavit.

Notum est, labentibus saeculis plura christianae pietatis exercitia invecta fuisse ad pietatem fidelium excitandam, quod non sine peculiari providentia factum est, qui dat auxilium in tempore opportuno. Talia exempli gratia sunt spirituales, quas dicunt exercitationes, sacraeque missiones, rosarium beatae Mariae virginis, exercitium Viae Crucis, oratio Quadraginta horarum, devotio erga sanctissimum Cor Iesu Christi Domini nostri, novendiales vel triduanae preces etc. aliqua plura. Notum est homines catholicae unitatis parum studiosos, elapso praesertim saeculo, multa contra quaedam saltem ex hisce sanctis operibus commentos fuisse, praetexentes eadem venerabili antiquitati ignota fuisse. Quorum dicteria sanctae memoriae Pius VI reprobavit in dogmatica constitutione: Auctorum fidei. Equidem multae ex iisdem exercitationibus in diversas Orientis ecclesias laudabiliter invectae fuerunt et non sine populi utilitate celebrantur. Verum haud semel contigit haec minus probari nonnullis episcopis, eadem adversantibus, eo quod apud Latinos fuerint primum usu recepta, ideoque aliena censenda essent a ritibus orientalibus. Ne itaque propter inanem hanc timiditatem populus ille christianus tam salutaribus auxiliis destituatur, iuvit monere orientalium rituum conservationi minime of-

ficere praedicta pietatis exercitia, quod etiam Benedicto XIV visum est (coll. 903-904) ».

Concilio Vaticano ad opportunius tempus suspenso, Patres sanctae Synodi Oecumenicae schemata de rebus orientalibus examinare et approbare iam non potuerunt (12).

De mutua relatione inter ritum ruthenum et synodalem, inter puritatem ritus et apostolatum vide documentum sub nr. 10 adductum, saepe hodie citatum et discussum. Omnibus apostolis et fautoribus unitatis ecclesiae in vita S. Josaphati, episcopi et martyris pro unitate, praeclarum exemplum imitandum proponitur (13):

Quodam vero die cum schismaticis disputans, ab illis provocatus, ut Patriarchae Constantinopolitano oboedientiam praestaret, reddito enim illo sibi amico, facilius eos ad unionem cum Romana Ecclesia adducere poterat, prompte respondit: *recognoscat patriarcha papam, et ego patriacham recognoscam*: cumque hoc responso permulti mortem ei minitati fuissent, *libenter*, addit, *mundo pro Christo moriar* (p. 120).

II

De Pontificatu Leonis xiii (1878-1903)

Documenta: *a*) quibus theoretice exponuntur principia verae unitatis Ecclesiae:

12)Epistula Encycl. de unitate Ecclesiae: *Satis cognitum* (1896), in *Acta Leonis XIII*, vol. XVI, p. 157-208.

13) Epistula Encycl. de Spiritu Sancto: *Divinum illud munus* (1897), in *Acta Leonis XIII*, vol. XVII, p. 125-148.

14) Epistula apostolica principibus populisque universis: *Praeclara gratulationis* (1894), in *Acta Leonis XIII*, vol. XIV, p. 195-214.

b) quibus incolumitati disciplinae et rituum orientalium providetur:

15)Litterae Encycl. de disciplina Orientalium conservanda et tuenda: *Orientalium dignitas*, in *Acta Leonis XIII*, vol. XIV, p. 358-370.

16) Motu Proprio de ratione concordi rei catholicae apud Orientales provehendae: *Auspicia rerum secunda* (1896), in *Acta Leonis XIII*, vol. XVI, p. 74-82.

(12) Mansi 53, 155-158.
(13) Documentum supra citatum sub nr. 11.

17) Motu proprio de Commissione de conciliatione dissidentium: *Optatissime*, in *Acta Leonis XIII*, vol. XV, p. 80-82.

c) quibus fautoribus apostolatus orientalis eximium exemplum proponitur et pro auxilio iam praestito gratiae referuntur:

18) Epistula Encyclica, qua cultus Ss. Cyrilli et Methodii ad universam Ecclesiam extenditur (1880): *Grande munus*, in *Acta Leonis XIII*, vol. II, p. 125-137.

19) Epistula ad episcopum Leodiensem de Congressu eucharistico Hierosolymis celebrando, in *Acta Leonis XIII*, vol. XII, p. 121-122; hic adiungendae sunt aliae epistulae (ca. 15) ad episcopos aliasque homines de operibus orientalibus bene meritos datae. - cf. etiam DE MEESTER, *Leone XIII e la Chiesa Greca*, Roma 1904.

P. LEO XIII Pontifex Max. in rebus orientalibus aeque ac in negotiis universae ecclesiae rationes maxime universales et profundas prosecutus est, sive cum cultum sanctorum orientalium ad universam ecclesiam extendit vel principia verae unitatis exposuit, sive cum vias ingrediendas et media adhibenda praescripsit, ut ad unitatem celerius perveniatur, vel principes et praesules ecclesiarum orientalium proficuos effectus unitatis docuit.

Ex Encyclica *Grande munus*:

« Quamobrem sicut Augustinum ad Britannos in culturam animarum legaverunt, Patritium ad Hibernos, Bonifacium ad Germanos, Villebrodum ad Phrisios, Batavas, Belgas, aliosque persaepe ad alios; sic etiam apostolici muneris apud Slavoniae populos obeundi facultatem Cyrillo et Methodio, viris sanctissimis, concesserunt: quorum instantia maximisque laboribus perfectum est, ut illi Evangelii lumen aspicerent, et ab agresti vita ad humanum civilemque cultum deducerentur (p. 125-126) ».

« Nec mediocriter commovemur, cum retro longe respicimus optimis initiis splendidam Slavonicarum gentium cum Romana Ecclesia coniunctionem. Etenim duo isti christiani nominis propagatores, de quibus locuti sumus, Constantinopoli quidem ad ethnicos populos discesserunt; sed tamen eorum missionem ab hac Apostolica Sede, catholicae unitatis centro, aut omnino imperari aut, quod plus vice simplici actum est, rite sancteque approbari oportuit. Revera hic in Urbe Roma iis est et suscepti muneris ratio reddita, et ad accusationes responsum; hic ad sepulchra Petri et Pauli in fidem catholicam iuratum, consecratioque episcopalis accepta una cum potestate sacri imperii, retento ordinum discrimine, constituendi. Demum hinc est usus slavonici sermonis in ritibus sanctissimis impetratus; atque hoc

anno decimum expletur saeculum, ex quo Joannes VIII P. M. ad Suentopolcum Moraviae principem ita scripsit: *Litteras slavonicas... quibus Deo laudes debitae resonant, iure laudamus, et in eadem lingua Christi Domini Nostri praeconia et opera ut enarrentur iubemus. Nec sanae fidei vel doctrinae aliquid obstat, sive missas in eadem slavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium vel lectiones divinas Novi et Veteris Testamenti bene translatas et interpretatas legere, et alia horarum officia omnia psallere.* Quam consuetudinem multas post vices sanxit Benedictus XIV per apostolicas Litteras anno MDCCLIV die XXV Augusti datas. — Pontifices autem Romani, quotiescumque opem rogati ad christianos ritus traductis, numquam commiserunt, ut sua desideraretur in adiuvando benignitas, in docendo humanitas, in consiliis dandis benevolentia, in rebus omnibus, quibuscumque possent, eximia voluntas (p. 133-134) ».

Denique volumus, Vobis suadentibus et cohortantibus, in universum rogari, atque orari Cyrillum et Methodium, ut, qua valent apud Deum gratia, Oriente toto, rem christianam tueantur, imploranda catholicis hominibus constantia, dissidentibus reconciliandae cum vera Ecclesia concordiae voluntate (p. 136) ».

Ex Epistula Encycl. de unitate Ecclesiae *Satis cognitum*:

Verum aspicientibus Nobis, in auctorem fidei et consumatorem Iesu, cuius vicaria potestate, tametsi impares dignitati et muneri, fungimur, caritate eius inflammatur animus; illudque de se a Christo dictum, de Nobismetipsis non sine caussa usurpamus: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient.* Nos igitur audire et caritati Nostrae paternae obsequi ne recusent, quotquot sunt, qui impietatem tam late fusam oderunt, et Iesum Christum Filium Dei eumdemque servatorem generis humani agnoscunt et fatentur, sed tamen vagantur ab eius Sponsa longius. Qui Christum sumunt, totum sumant necesse est: « *Totus Christus caput et corpus est: caput unigenitus Filius Dei, corpus eius Ecclesia: sponsus et sponsa, duo in una carne. Quicumque de ipso capite a Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus, quicumque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesiae non communicant, non sunt in Ecclesia* ». — S. Augustinus, De Unit. Eccl. cap. 4, n. 7 (p. 206-207) ».

Ex epistula Apostolica *Praeclara gratulationis*:

« Quae sint postulata Nostra, probe per se ipsa et coram Deo perpendite. Nulla quidem humana re, sed caritate divina, communisque salutis studio permoti, reconciliationem coniunctionemque cum Ecclesia romana suademus: coniunctionem intelli-

gimus plenam et perfectam: talis enim esse nullo modo potest ea, quae nihil amplius inducat, quam certam aliquam dogmatum credendorum concordiam fraternaeque caritatis commutationem. Vera coniunctio inter christianos est, quam auctor Ecclesiae Iesus Christus instituit voluitque, in fidei et regiminis unitate consistens. Neque est cur dubitetis, quidquam propterea vel Nos vel successores Nostros de iure vestro, de patriarchalibus privilegiis, de rituali cuiusque Ecclesiae consuetudine detracturos. Quippe hoc etiam fuit, idemque est perpetuo futurum in consilio disciplinaque Apostolicae Sedis positum, propriis cuiusque populi originibus moribusque ex aequo et bono non parce tribuere. — At vero redintegrata nobiscum communione, mirum profecto quanta Ecclesiis vestris dignitas, quantum decus, divino munere accedet. Sic enim vestram ipsorum supplicationem Deus perbenigne exaudiat. *Fac cessent schismata ecclesiarum,* atque, *Congrega dispersos et reduc errantes, et coniunge sanctae tuae catholicae et apostolicae Ecclesiae*: sic ad illam restituamini unam sanctamque fidem, quam ultima vetustas nobis perinde vobisque constantissime tradidit; quam patres et maiores vestri inviolate servarunt: quam ipsam splendore virtutum, magnitudine ingenii, excellentiae doctrinae certatim illustravere Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, uterque Cyrillus, aliique magni complures, quorum gloria ad Orientem atque Occidentem, tamquam communis haereditas aeque pertinet (p. 201-202) ».

Ex Encyclica *Orientalium dignitas,* quae dici potest Magna Charta Leonis xiii de rebus orientalibus:

Praestantissimum id esse existimamus, ad incolumitatem disciplinae Orientalium propriae, cui valde semper tribuimus, animum curasque adiicere. Qua in re iam Nos clericorum ephebeis earum gentium proxime conditis hanc etiam dedimus praescriptionem, dabimus eamdem condendis, ut maxima religione ritus colant et observent suos, in eisque cognitionem usumque alumni capiant. Siquidem in rituum orientalium conservatione plus inest quam credi possit momenti. Augusta enim, qua varia ea rituum genera nobilitantur, antiquitas, et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat. Inde enimvero, dum sua praecipuis Orientis Ecclesiis apostolica origo testatior constat, dum sua praecipuis Orientis earumdem cum Romana usque ab exordiis summa coniunctio. Neque aliud fortasse admirabilius est ad catholicitatis notam in Ecclesia Dei illustrandam, quam singulare quod ei praebent obsequium dispares caerimoniarum formae nobilesque vetustatis linguae, ex ipsa Apostolorum et Patrum consuetudine nobiliores; fere ad imitationem obsequii lectissimi quod Christo, divino Ecclesiae auctori, exhibitum est nascenti, quum Magi ex

variis Orientis plagis devecti *venerunt... adorare eum.* — Quo loco apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem, eadem tamen viva propemodum exprimunt splendideque declarant. Quapropter vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata quae, utpote divina, immutabilia accepit, ita in usurpandis eorumque formis nonnumquam concedit novi aliquid vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant (p. 360-361) ».

In eadem Encyclica P. Leo xiii Constitutionem *Demandatum* P. Benedicti xiv ad omnes Orientales extendit; 13 in punctis sacerdotibus ritus latini apostolatum apud Orientalibus obeuntibus certae normae praescribuntur; his expositis, sequuntur:

« Ita porro sacrae iuventutis institutioni semel consulto, profecto studiis rei theologicae et biblicae apud Orientales accrescat honos; vigebat linguarum veterum eruditio ac in recentibus sollertia; doctrinae et litterarum census, quo Patres eorum scriptoresque abundant, in commune bonum, largius proficiet: eo demum peroptato exitu, ut sacerdotii catholici emergente doctrina integrique exempli laude praelucente, propensius eisdem matris complexum fratres dissidentes requirant. Tum vero si ordines cleri animos, studia, actionem caritate vere fraterna sociaverint, certe, favente et ducente Deo, dies maturabitur auspicatissima, qua, occurrentibus omnibus *in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei,* plene ex eo perfecteque, *totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate. Ea nimirum gloriari* unice potest Christi vera esse Ecclesia, in qua aptissime cohaereat *unum corpus et unus spiritus* (p. 367-368) ».

Ea, quae Romanus Pontifex in Encyclica *Orientalium dignitas,* incepit, omni contentione et spiritu in « Motu proprio » *Auspicia rerum secunda,* prosequitur. Officiis Patriarcharum et Delegatorum Apostolicorum expositis, illos, ut communionem consiliorum in maioribus rebus cum Delegatis habere animo studeant, hortatus, Leo xiii pergit:

Ita in Domino congressis primum erit provincias sibi creditas generatim prospicere, et considerare quo statu sit atque honore in illis religio, qui progressus inter catholicos facti, quaenam ipsorum maximeque cleri erga dissentientes studia, quaenam in

his voluntas requirendae unitatis, aliaque ad cognoscendum peropportuna. Exinde se dabunt res propriae et peculiares, in quibus deliberantium prudentia ususque elaboret. Atque episcoporum provincialium causas, si quae sint, licebit, accurate expensas, ex aequo et bono componere; eis tamen salvis atque integris quae iuris sunt sacri Consilii christiano nomine propagando. Tum vero de recta fidelium administratione, de cleri disciplina, de monachorum vel illisque piorum institutis, de missionum necessitatibus, de cultus divini decore, de cognatis agetur rebus, quae diligentissime cautissimeque sunt reputandae: certis autem et communibus, quoad fieri possit, rationibus providendum ut religio catholica et partos fructus conservet et multo capiat ampliores. Nobis tria maxime accommodata in medium proferre libet, seu verius revocare, cum fere eadem alias per occasionem attigerimus. — Est primum, oportere curas exquisitas in eo impendi ut alumni sacri ordinis ad doctrinam, ad vitae sanctimoniam, ad sacrorum peritiam, optime informantur et excolantur... Alterum multiplicandisque scholis... Tertio videtur loco pariter esse frugiferum, operam dari ut ephemerides similesque ex intervallo paginae, scienter moderateque factae, fusius pervulgentur... — Istud Nos triplex praesidiorum genus particulatim commostravimus, spe magna ducti, ex ipsis potissimum satis multa effectum iri secundum vota: ob eamque causam auxilia ipsorum operum Nos quoque pro facultate submittere cogitamus (p. 77-79) ».

Ex epistula ad episcopum Leodiensem:

Nullus enim dignior locus huius celebritate conventus prae ea civitate sancta, ubi Christus Dominus mirum illud amoris sui pignus instituit, et perampla utilitas erit merito exspectanda ex novo pietatis stimulo, ad cultum provehendum Sacramenti omnium sanctissimi, fidelibus Orientis admoto. Persuasum autem Nobis est, omnes qui illuc convenerint vel conventui adfuerint, nihil cnixius petituros a Deo quam ut ceteros, qui in iis regionibus, licet seiuncti a Nobis, christiano nomine censentur, integra unitate fidei et perfecta Nobiscum caritate coniungat (p. 122) ».

III

De Pontificatu P. Pii x (1903-1914).

Pontificatus huius sancti Pontificis forte minus abundat documentis et institutionibus, quibus opus Orientis et Occidentis promoveatur; attamen ierarchia et fideles ritus

orientalis caritate et eximia paterna cura amantur, ita ut dissidentes facile sibi persuadeant, se in sinum Ecclesiae reversos, paterno et benevolo animo a summo Pastore receptos iri.

Documenta: *a*) documenta occasione celebrationis 15. centenarii S. Johan. Chrysostomi in Basilica S. Petri data.

20) *AAS* 40 (1907) p. 453; 41 (1908) p. 130-133.

b) documentum quo constituuntur mutuae relationes disciplinares inter episcopos canadenses ritus latini et episcopos Ruthenorum

21) *AAS* 5 (1913) p. 393-399.

c) quo falsa principia et methodi in apostolatu orientali reprobantur et genuina statuuntur,

22) *AAS* 3 (1911) p. 117-121.

d) quo communio promiscuo ritu recipienda permittitur et cultus eucharisticus tamquam medium eximium unitatis commendatur,

23) *AAS* 4 (1912) p. 609-617; cf. etiam articulum, cuius inscriptio: *Pio X e l'Oriente,* in *Roma e Oriente,* 8 (1914) p. 65-76.

Textus quidam, quibus mens et amor P. Pii x versus Orientales manifesta redduntur:

« Ex quo, non labente saeculo, Orientis gentes ab unitate Ecclesiae catholicae coeperunt avelli, vix dici potest quantum a viris sanctis adlaboratum sit, ut dissidentes fratres ad eius gremium revocarentur. Prae ceteris vero Summi Pontifices Decessores Nostri, pro eo quo fungebantur munere, fidem et unitatem ecclesiasticam tuendi, nil intentum reliquerunt, ut qua paternis adhortationibus, qua solemnibus conciliis, funestissimum dissidium tolleretur, quod Occidenti quidem in moerorem cessit, Orienti vero grave intulit damnum. Huius sollicitudinis testes sunt, ut paucos tantum recenseamus, Gregorius IX, Innocentius IV, Clemens IV, Gregorius X, Eugenius IX, Gregorius XIII, et Benedictus XIV. Sed neminem latet, quanto animi sui studio nuperrime tempore Decessor Noster felicis recordationis Leo XIII Orientis gentes invitaverit ut Ecclesiae Romanae iterum consociarentur. « Nos quidem certe (inquit P. Leo XIII, in Acta vol. 2, p. 179), per vetusta Orientis gloria, et in omne genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi salutis humani generis incunabula, et christianae sapientiae primordia; illinc omnium beneficiorum quae una cum sacro Evangelio accepimus, velut abundantissimus amnis in Occidentem influxit... Atque haec Nobiscum in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut Orien-

te toto maiorum virtus et magnitudo reviviscat. Eoque magis, quod illic humanorum eventuum is volvitur cursus, ut indicia itentidem appareant, quae spem portendant Orientis populos, ab Ecclesiae Romanae sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam, aspirante Deo, redituros ».

Nec minoris sane Nos ipsi, Ven. Fratres, quod probe nostis, tenemur, ut cito dies illuscat, tot anxiis sanctorum virorum votis exoptatus, quo penitus a fundamentis subvertatur murus ille, qui duos iamdiu dividit populos, atque his uno fidei et caritatis amplexu permixtis, pax invocata tandem aliquando refloreat, fiatque *unum ovile et unus pastor* » (*AAS*, 3 [1911] p. 117-118).

Erroribus et falsis principiis in opere orientali repudiatis, Romanus Pontifex in eodem documento pergit:

« Simul tamen enixe oramus, ut eos persuasos faciatis, nihil Nobis antiquius esse, quam ut omnes bonae voluntatis homines vires indefesse exerant, quo concupita unitas citius obtineatur, ut in una fidei catholicae professione, sub uno pastore summo adunentur, quas discordia dispersas retinet oves. Quod facilius quidem continget, si ad Spiritum Sanctum Paraclitum, qui « non est dissensionis Deus, sed pacis « fervidae ingeminentur preces; inde enim fiet ut Christi votum impleatur, quod ante subeundos extremos cruciatus cum gemitibus expressit: Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint (p. 120-121) ».

Ex Constitutione Apostolica *Ab antiquis tradita*, ubi via indicatur, qua ipsius Salvatoris voluntate et institutione unitas Ecclesiae praeparetur et perficiatur, nempe communione frequenti et cultu eucharistico apud Orientales aucto:

« Tradita ab antiquis, haec diu in Ecclesia consuetudo tenuit, ut ad varios pro diversis locis, mores ritusque sacrorum, modo superstitionis et idololatriae suspicio omnis eis abesset, fideles peregrini nullo negotio sese accommodarent. Quod quidem usu veniebat pacis et coniunctionis gratia, inter multiplicia unius Ecclesiae Catholicae membra, seu particulares ecclesias, confovendae, secundum illud sancti Leonis IX, « nihil obsunt saluti credentium diversae pro loco et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quae potest uni Deo commendat omnes ».

Huc accedebat necessitatis causa, cum, qui in externas regiones advenissent, iis plerumque nec sacrae ibi aedes, nec sa-

cerdotes ritus proprii suppeterent. Id autem cum in ceteris rebus fiebat, quae ad divinum cultum pertinent, tum in ministrandis suscipiendisque sacramentis maximeque Sanctissima Eucharistia. Itaque clericis et laicis, qui formatas, quae dicebantur litteras peregre afferrent, patens erat aditus ad eucharisticum ministerium aut epulum in templis alieni ritus; et Episcopi presbyteri ac diaconi latini cum graecis hic Romae, graeci cum latinis in Oriente divina concelebrabant mysteria: quod usque adhuc evasit solemne, ut si secus factum esset, res posset argumento esse, discissae vel unitatis fidei vel concordiae animorum (p. 609-610 ».

Quamobrem non raro supplicatum est huic Apostolicae Sedi, ut disciplinam Ecclesiae tanta in re indulgentius temperaret. Quae preces supplices, post editum die xx Decembris MCMV per S. Congregationem Concilii decretum Nostrum *Sacra Tridentina Synodus* de quotidiana Communione Eucharistica, multo frequentiores fuerunt ab orientalibus, qui veniam petebant transeundi ad ritum latinum, quo facilius possent caelesti dape recreari; in eisque non pauci numerabantur pueri ac puellae, qui hoc ipsum beneficium participare percuperent (p. 614) ».

P. Pius x vero sensu summus Pastor et Pater gentium orientalium appellari potest.

IV

De Pontificatu Benedicti xv (1914-1922)

Documenta: *a*) De sacra Congregatione pro Ecclesia orientali et de Instituto Pontificio pro studiis rerum orientalium provehendo:
(24) *AAS*, 9 (1917) p. 529-533; cf. *AAS* 12 (1920) p. 21, 440-441.

b) S. Ephremus Syrus Doctor Ecclesiae declaratur.
(25) *AAS*, 12 (1920) p. 457-471.

c) Episcopi et fideles Ecclesiae universalis invitantur, ut precibus unitatem Ecclesiae a Deo imploret.
(26) *AAS*, 8 (1916) p. 137.
(27) *AAS*, 9 (1917) p. 399.
(28) *AAS*, 9 (1917) p. 61-62.

Bello Europeo composito Vicarius Christi calamitates spirituales et temporales, in quibus populi christiani in

plagis orientalibus versabantur, animo commoto cernit; cuius commotio saepius in allocutionibus sentiebatur:

Antequam Ordinem suppleamus Episcoporum, quae potissimum causa est cur vos hodierno die convocavimus, placet vos alloqui, ut de Orientis christiani rebus Nostras pro apostolico officio curas cogitationesque vobiscum communicamus. — Orientalem quidem Ecclesiam peculiari quodam studio semper prosecuti sunt Romani Pontifices; qui cum, universitatem dominici gregis gubernantes, particularium Ecclesiarum saluti et incremento consulerent, par erat et consentaneum ut singulariter Ecclesiam foverent regionis eius quam consummata ibidem humani generis redemptio nobilitasset, et in qua ab ipsis christianae rei primordiis iniecta apostolatus et martyrii semina praeclarissimos sanctimoniae sapientiaeque fructus genuissent. Etenim dum sancta in unitate permansit, mirifice ea floruit Ecclesia, cum huic Apostolicae Sedi eximios Pontifices daret, cumque illa ingenii, virtutis et doctrinae lumina Basilius, Athanasius, uterque Gregorius et Chrysostomus christianum orbem illustrarent. Quae vetustatis decora Nostri decessores numquam negligere visi sunt; nec solum orientalium mores et instituta, seorsim a latinis, conservanda, sed etiam eorum ritus nobiles certe et splendidos, incorrupte et integre retinendos curarent, quo scilicet Sponsa Christi « in vestitu deaurato circumdata varietate » suam melius pulchritudinem ostenderet. Quos ritus in hac ipsa Urbe ,iussu nimirum et auctoritate Sedis Apostolicae, celebrari consuevisse, notum est. Itemque sanctos Orientis Pontifices et Doctores in Calendarium Ecclesiae Romanae esse relatos, eorumque homiliis latinam ornatam liturgiam. Ceterum exstant pontificiae providentiae documenta non pauca vel ad prosperitatem Orientalis Ecclesiae variis modis promovendam, vel ad illas christianorum sedes tutandas quae tam crebris hostium incursionibus paterent. Nec sane hic attinet commemorare magna et paterna hortamenta Decessorum ad Ecclesias dissidentes, ut ad hoc unitatis vitaeque centrum, unde misere secesserant, reditum muturarent, et vetera illa obsequii et oboedientiae in hanc beati Petri cathedram officia repeterent, cuius quidem Graeci Patres in Conciliis oecumenicis Ephesino et Chalcedonensi exempla dederant luculentissima.

Nos vero ad gubernacula huius Ecclesiae Romanae quae « radix et matrix est Ecclesiae catholicae » ut, inscrutabili Dei consilio, collocati sumus, oculos animumque ad Orientis Ecclesia tum quae cum hac Apostolica Sede, *unde unitas sacerdotalis exorta est,* copulantur, tum quae sese ab ipsa segregarunt, studiose convertimus, et, Decessorum vestigia persequentes, utrumque habuimus propositum, alteras in pristinam dignitatem restituere, ad fidei unitatem alteras revocare.

Primum igitur Ecclesiae Orientalis negotiis tractandis propriam S. Congregationem constituimus: deinde latinis pariter et graecis, vel dissidentibus, studiorum domum aperuimus, ubi altiorem copiosioremque sibi Orientis christiani cognitionem et scientiam compararent. Quam domum Instituti Pontificii titulo decoravimus, peculiare ipsius suscipientes patricinium eius autem Congregationis Nobismet ipsis Nostrisque successoribus praefecturam reservavimus ideo ut Nostra erga Orientales esset benevolentia testatior. (*AAS*, 11 (1919) p. 97-99) ».

Ex motu proprio *Dei providentis*, quo S. Congregatio pro Ecclesia Orientali constituitur:

« Et nostri quidem Orientales, cum videant Pontificem Maximum suis utilitatibus ipsum prospicere, intellegant profecto non posse Apostolicam Sedem se eis amantiorem ostendere. E ceteris autem libet confidere iam non fore qui Latinos in suspicionem Orientalibus adducunt, cum vel ex hac re sit manifestum, in Ecclesia Iesu Christi, ut quae non latina sit, non graeca, non slavonica, sed catholica, nullum inter eius filios intercedere discrimen, eosque sive latinos, sive graecos, sive slavos, sive aliarum nationum, omnes apud hanc Apostolicam Sedem eumdem locum obtinere (p. 530) ».

Ex eodem « Motu proprio », quo etiam Pont. Institutum Orientale erigitur:

« Itaque proprium altiorum studiorum domicilium de rebus orientalibus in hac Urbe, christiani nominis capite, condere decrevimus, idque et omni apparatu, quem huius aetatis eruditio postulat, ornatum, et doctoribus, in uno quoque genere peritissimis Orientisque perstudiosis insigne: in quo quidem Latini primum sacerdotes, qui apud Orientales sacrum ministerium obire voluerint, congruenti, quae omnes numeros habeat, institutione formentur. Haec porro studiorum domus pateat etiam Orientalibus tum unitis tum orthodoxis qui appellantur: illis quo ordinarium doctrinae curriculum harum disciplinarum accessione perficiant; hi vero ut possint, omni praeiudicata opinione deposita, veritatem penitus perscrutari. Volumus enim ibi doctrinae catholicae simul et orthodoxae una pariter procedat expositio, ut cuiusvis sui iudicii viro evidens fiat quibus e fontibus utraque manaverit, ex Apostolorumne praedicatione, Ecclesiae perenni magisterio ad nos tradita, an aliunde (531-532) ».

P. Benedictus xv paternam suam benevolentiam et sollicitudinem versus Orientales, praesertim ex ditione rus-

siaca oriundos, quae in dies usque ad ultimum vitae augebatur, suo successori in haeridatem reliquit.

V

De Pontificatu P. Pii xi (1922-1939).

Ultimis 15 annis complures congressus unionistici convocati, dies orientales et circuli celebrati, eparchiae orientales rite provisae, rami ritus orientalis in Ordinibus occidentalibus instituti, collegia pro clericis orientalibus fundata, iurisdictio Congregationis pro Ecclesia Orientali ad ulteriora territoria extensa, scientia rerum Orientalium, ante aliqua decennia paucis hominibus scientificis reservata, hodie apud omnes clericos et multos laicos diffusa, codificatio iuris canonici orientalis, valde iam provecta, en, opera benedictione, consilio, imo voluntate Romani Pontificis Pii xi nuncupata. Hinc mirum non est, quod documenta huius Pontificatus, vulgata in Actis A. Sedis, quae Orientem spectant, fere attingunt numerum sexaginta. Cum haec documenta saepius quam antecessorum hisce in *Periodicis* exposita et, sive in extenso sive summatim, recensita inveniantur, item cum, locis tamen ex *AAS* non relatis, in elenchos redacta sint (14), sufficiet, ut secundum illos aspectus enumerentur et citentur, ex quibus eximia activitas et cura P. Pii xi erga Orientem eluceat. Series documentorum inscribi possint:

a) *Studium rerum Orientalium*:

(29) Encyclica *Rerum Orientalium*, in *AAS*, 20 (1928) p. 277-288: quibus adiungenda sunt alia documenta eiusdem Commentarii Officialis: 22 (1930) p. 146-148, de studiis orientalibus in facultatibus et seminariis excolendis; 23 (1932 p. 162-164, de pia societate quae dicitur « Catholica Unio »; — 29 (1937) p. 413-415, de expositione artis Orientalis; — huc spectant multae epistulae congratulationis et benevolentiae occasione congressuum et conventuum ad unitatem Ecclesiae promovendam convocatorum datae.

(14) *Orientalia Christiana* 16 (1929) p. 5-28; *Annuario pro Oriente Cristiano* (1937) p. 22-36.

b) *De communibus mediis perfectionis et sanctificationis in Occidente et Oriente adhibendis*: orientalibus sint accessibilia ea media sanctificationis quae in Ecclesiae Christi per saecula tanta incrementa pietatis et sanctificationis attulerint et afferant; attamen ea conditione, ut formae ritui proprio respondeant:

(30) De formis precum ab Orientalibus adhibendis ad lucrandam indulgentiam iubilarem, *AAS* 26 (1934) p. 316-415; quibus adnumera: 24 (1932) p. 177-194, item 24 (1932) p. 353-354, de debita expiatione facienda; — 22 (1930) p. 394; 27 (1935) p. 379 de indulgentiis in ritu orientali; — 26 (1934) p. 181-182 de binatione; — 22 (1930) p. 292 de rosario mariano apud Ruthenos; 23 (1931) p. 88 de eodem rosario pro fidelibus ritus byzantino-slavici; — 25 (1933) p. 335 de formula breviori extremae unctionis in ritu alexandrino; 26 (1934) p. 302-304 de scapulari in eodem ritu; — 27 (1935) p. 145 de usu numismatis loco scapularis in ritu byzantino-slavo; — 26 (1934) p. 312 de precibus post missam indugentiis ditatis; — Instructio S. Congregationis pro Ecclesia Orientali ad episcopos Poloniae Orientalis (extra Galitiam) data 27 Maii 1937.

c) *De formatione cleri orientalis*: praecipuum medium unitatem Ecclesiae promovendi existimatur formatio cleri orientalis, quae educationi ritus latini aequivaleat:

(31) Encyclica *Ad catholici sacerdotii*, *AAS* 28 (1936) p. 5-53, quae aeque clericos ritus orientalis attingit ac ritus latini; — 23 (1931) p. 120-129, de scrutinio ante ordinationes peragendo; — de collegiis orientalibus erectis, et quidem: de collegio russico 21 (1929) p. 577-581; rumaeno 29 (1937) p. 420-426; de collegio interrituali S. Ludovici Constantinopolitano 26 (1934) p. 592-594; de collegio missionario S. B. M. 27 (1935) p. 144; his documentis adiungenda est instructio de clericis extra confines Patriarchatus degentibus 29 (1937) p. 342-343; cf. etiam 22 (1930) p. 99-105, 105-108, 108-110.

d) *Iurisdictio S. Congregationis pro Ecclesia Orientali ad nova territoria extenditur.*

(32) *AAS* 30 (1938) p. 154-159; de novis eparchiis et administrationibus vide *Annuario Pontificio.*

e) *De ramo orientali in Ordinibus et Congregationibus occidentalibus*: Expressa voluntate Romani Pontificis diversi Ordines et Congregationes invitantur, ut in propria Familia religiosa instituant ramum ritus orientalis, ut indigentiis et necessitatibus ecclesiarum orientalium melius in auxilium venire possint, ita tamen ut evadant orientales veri nominis et simul remaneant perfecte membra proprii Ordinis religiosi.

(33) *AAS* 20 (1928) p. 26-27; his adiunge alia documenta, quae ipsos Orientales spectant: 24 (1934) p. 239, de Ordine Basiliano; 24 (1932) p. 303, 26 (1934) p. 302-304, 24 (1932) p. 285,

de novis Congregationibus ritus orientalis ad septem annos approbatis.

f) Magna Charta de vera religionis unitate fovenda:

34) Encyclica *Mortalium animos*, *AAS* 20 (1928) p. 5-16; cf. 19 (1927) p. 278; *Stoudion* 4 (1927) p. 113-122; 5 (1928) p. 3-32. Accedunt documenta: *AAS* 23 (1937) p. 10-12; 23 (1931) p. 493-517, de concilio Ephesino; 23 (1931) p. 68, de Nuntio Radiophonico; 15 (1923) p. 573-581 de centenario S. Josaphat.

g) De conservatione et restitutione disciplinae et ritus orientalis:

35) *AAS* 21 (1929) p. 669, de Commissione Cardinalitia pro studiis praeparatoriis codificationis orientalis; porro *AAS* 27 (1935) p. 306, de Commissione Pontificia ad redigendum «codicem iuris canonici orientalis»; - his documentis adiicienda: 22 (1930) p. 134-137, 30 (1938) p. 183, de Abbatia Grottaferratensi; - 22 (1930) p. 274-275, de Palatio Hadriano in Sicilia; - 30 (1938) p. 213-216, de eparchia Piano dei Greci; - 21 (1929) p. 152, de Greco-Ruthenis in America septemtrionali; - 22 (1930) p. 346-354, de Greco-ruthenis in Canadà.

h) De speciali cura et sollicitudine P. Pii XI de populis ditionis Russiacae: omnia fere documenta allata respiciunt Russos, sunt etiam alia, quae unice ad hos spectant et quae sane ex minima solum parte testimonium reddunt illius martyrii amoris, quod P. Pius XI pro Russia subiit.

36) *AAS* 22 (1930) p. 153-154, de Commissione pro Russia; - 22 (1930) p. 89-93, de chirographo de delictis in Russia commissis; - 22 (1930) p. 366, de precibus pro persecutionem patientibus inserendis; - 22 (1930) p. 300-301, de missa expiatrice in Basilica S. Petri; - 27 (1935) p. 65-67, de editione librorum liturgicorum et de reorganisatione Commissionis pro Russia; cf. documenta supra citata de collegio russico, de templo S. Antonii in Esquiliis...; quibus adiice: 14 (1922) p. 265-270, 417-419, 611-612 Orbis universus invitatur, ut gentibus in Russia sovietica famem patientibus subveniat.

VI

Conclusiones quaedam

Principia et opera pro Oriente in documentis S. Sedis enuntiata, si inter se conferuntur, alia perpetuo eadem, alia cum cursu temporis evoluta, alia non eodem modo in omni periodo applicata inveniuntur.

a) Principia et rationes in omnibus documentis adductis semper eadem apparent: nunquam intermissam

fuisse curam sollicitudinemque Romanorum Pontificum, ut huic malo divisionis, huic scandalo Ecclesiae Christi scissionis mederentur; catholicis, interdum sperantibus contra spem, adlaborandum esse ut Orientales dissidentes ad unitatem Ecclesiae Christi reducantur (15).

Hanc unitatem Orientis et Occidentis precibus et sacrificiis a Deo impetrandam, non posse esse quamlibet, sed illam quam Christus divinus Ecclesiae auctor, instituerit et voluerit, id est, unitatem in fide, in dogmatibus Ecclesiae catholicae, sub Primatu Romanorum Pontificum, S. Petri successorum; amore autem et caritate tantum absque communione in fide veram unitatem non haberi (16).

Orientales ad Ecclesiam catholicam reversos, restitui pleno sensu membra Corporis Christi mystici, qui participent eius vitam; ipsis deinde omnia media sanctificationis et perfectionis praesto sint, quae S. Sedes per saecula laudaverit et omnibus fidelibus suis commendata voluerit, formis tamen proprii ritus servatis (17).

Disciplinam orientalem et ritus orientales, deletis iis, quae dogmati adversentur, conservanda et aestimanda esse (18).

b) Opera et instructiones, in quibus evolutio quaedam cernitur:

Cognitionem rerum orientalium, ante aliqua decennia paucis scientificis hominibus reservatam, magis et profundius excoli et in facultatibus theologicis et seminariis clericalibus, apud clericos et laicos late diffundi (19).

Congregationes particulares pro orientalibus evolutas esse in S. Congregationem pro Ecclesia orientali pleni iuris, quae inter alias Congregationes tertium locum obti-

---

(15) Vide documenta supra citata sub nn. 1, 3, 15, 18, 20, 22, 23, 24, 29, 32, 34, 35, 36.
(16) Vide doc. sub nn. 1, 2, 12, 13, 14, 18, 22, 23, 26, 27, 28, 34.
(17) Vide doc. sub nn. 4, 5, 7, 8, 10, 11, 19, 20, 23, 25, 30 36.
(18) Vide doc. sub nn. 1, 5, 7, 8, 9, 14, 15, 16, 18, 20, 21, 22; 24; 32, 34, 35.
(19) Vide doc. sub. nn. 15, 16, 17, 24, 29, 34.

neat, cuiusque praefectus sit ipse Romanus Pontifex, iurisdictio vero ad nova territoria extensa sit (20).

Speciali cura educationi et formationi cleri orientalis instari; nova collegia Pontificia pro clericis orientalibus ex novo fundari; ad sublevandam spiritualem vitam Orientis ramos ritus orientalis in Ordinibus et Congregationibus occidentalibus institui; labores pro codificatione iuris canonici orientalis paulatim ad finem vergere (21).

c) Principia quaedam, quamvis semper eadem, aliter et aliter applicantur.

Ex documentis S. Sedis recensitis clare profluunt duo principia: Orientales dissidentes posse et debere ad unitatem in fide et in vita catholica redire; neo-conversos proprios suos ritus et disciplinam orientalem posse retinere; scientia vero rerum orientalium non omni saeculo sat exculta, formas liturgicas, vita catholica apud Orientales florente, quandam declinationem a formis proprii ritus ad alienas (praesertim ritus latini) passas esse; in ultimis vero documentis S. Sedem ritus non solum conservare, sed velle ut catholici et dissidentes, quantum fieri possit, iisdem ritibus liturgicis utantur, formae autem ab antiquitate traditae, ubi defecerint, ad pristinum restituantur, enuntiari; tali modo reditum ad Ecclesiam catholicam faciliorem reddi et maiori uniformitati provideri (22).

Principium de communione mediorum sanctificationis, v. g. de rosario mariano, de cultu Eucharistiae extra liturgiam, de pietate erga Ss. Cor Iesu, de cultu aliquorum sanctorum insignium, nuper in Album sanctorum relatorum non tolli, sed solum requiri, ut formae exteriores congruant cum ritu proprio; hinc videndum esse, num non iam existat tale exercitium pietatis in proprio ritu, modo aequali vel aequivalenti; sin autem, formae novi officii concordent cum formis traditionalibus proprii ritus. Pro exem-

(20) Vide doc. sub nn.: 3, 4, 9, 24, 32.
(21) Vide doc. sub nn.: 15, 16, 31, 33.
(22) Vide doc. sub nn.: 9, 15, 35.

plo, quod principium unitatis in fide, in vita catholica et in mediis sanctificationis communibus cum principio puritatis ritus reconciliari posse, considerari licere modum quo Orientales lucrati sint indulgentiam iubilarem anni 1934 (*AAS* 26 [1934] p. 317-415).

Hisce auspiciis, iam futurum esse ut apostolatus pro Oriente proficiat et supplicatio « ut Deus omnes errantes ad unitatem Ecclesiae revocare dignetur », mox exaudiatur, iure merito confidimus.

Iosephus Schweigl S. I.

Quaesita de re liturgica

I. *De Benedictione Candelarum in Festo Purificationis.* — Ex Indulto concesso anno 1852, in nostra regione, Sollemnitas Purificationis institui potest in ecclesiis et oratoriis publicis in dominica quae immediate festum sequitur, et aliud Indultum datum 1884 permittit ut in iisdem ecclesiis et oratoriis publicis Benedictio Candelarum fiat in hac dominica in qua celebratur Sollemnitas. Porro ab anno 1911 extensa est haec Sollemnitas ad oratoria semipublica. Quaeritur ergo num in his oratoriis semipublicis liceat etiam Benedictionem Candelarum peragere in hac dominica?

Regulariter nihil obstat quominus Benedictio Candelarum die 2 februarii fiat in oratoriis semipublicis. In his enim omnia divina officia functionesque ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent Rubricae aut Ordinarius aliqua excipiat (can. 1193). Iamvero pro hac benedictione nulla talis rubrica prohibens exsistit; immo, S. R. C. declaravit hanc benedictionem non esse de iuribus parochialibus (12 ian. 1704, 2123 ad 5), et fieri posse in omnibus ecclesiis (21 nov. 1893, 3813 ad 1), et speciatim a Regularibus in propriis ecclesiis (8 apr. 1702, 2098 ad 3),

immo in omnibus oratoriis publicis et semipublicis in quibus Ss. Sacramentum asservatur (1).

Sane Monitum in initio *Memorialis Rituum* insertum exigit pro usu huius *Memorialis* extra ecclesias parochiales Indultum ipsius S. R. C. iuxta decr. 9 dec. 1899, 4049 ad 1 (2). Sed haec prohibitio restringenda videtur officiis ultimi Tridui Maioris Hebdomadae, ut satis patet ex ipso laudato decr. 4049 in quo de his solis sermo est et ex ipsa forma facultatum Ordinariorum quibus conceditur facultas permittendi ut in ecclesiis sui territorii *functiones Maioris Hebdomadae* celebrari valeant iuxta peculiarem ritum a s. m. Benedicto xiii propositum pro ecclesiis minoribus paroecialibus. Quod sufficienter ostendit pro ceteris functionibus in eodem *Memoriali* descriptis tale Indultum non requiri.

Regulariter haec Benedictio fieri debet ipsa die 2 februarii, etiam si ob occurrentem dominicam 2 classis officium Purificationis in sequentem diem transferri debeat, ut clare patet ex ipsa Rubrica *Missalis*, vel ex Indulto Sollemnitas Purificationis in dominicam sequentem transferatur (S. R. C. decr. 7 febr. 1874, 3321). Indultum, quo gaudet illa regio peragendi hanc benedictionem, non in die 2 februarii, sed in die quo fit Sollemnitas Purificationis, est ergo *contra ius*, ac proin subiacet strictae interpretationi, nec extendi debet ad alios casus. Nihilominus, cum Indultum obtentum fuerit tempore quo haec Benedictio in oratoriis semipublicis fieri non solebat, et haec positive non excludantur, dicendum videtur ipsum concessum fuisse ob speciales rationes quae totam afficiunt regionem, ac proin putamus Indultum extendi posse ad oratoria semipublica in hac regione erecta.

II. *De Missa in aliena ecclesia.* — Infra octavam Tituli Ordinis seu Congregationis suae, Religiosus celebrans in

(1) Callewaert, *Caeremoniale*, n. 402. — Paulinus a Gemert, *Promptuarium*, n. 419.

(2) Solent Ordinarii locorum ex suis facultatibus quinquennalibus idem indulgere posse.

ecclesia aliena die qua in hac permittuntur Missae votivae, vult celebrare Missam de Titulo sui Ordinis, debetne vel potestne in hac Missa addere *Credo*?

Iuxta Rubricas Missalis (*Addit.* IV, 6) omnes et singuli Sacerdotes tam saeculares quam regulares, Missas, etsi Regularium proprias, omnino celebrent iuxta Kalendarium ecclesiae vel oratorii publici in quibus celebrant, exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum et Ecclesiarum propriis. Idem servandum in oratoriis sempipublicis, sive in Capella principali Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium, Carcerum et similium. Et quodlibet privilegium in contrarium est abolitum. Si vero iuxta Kalendarium ecclesiae aut oratorium praefatorum, Missae votivae vel aliae permittuntur, easdem celebrare valeat, servatis tamen Rubricis et Decretis, etiam si proprium officium prorsus tales Missas votivas respuat. Unde sequitur quod, permittente ritu ecclesiae in qua celebratur, sacerdos extraneus Missam celebrare poterit suo proprio Kalendario conformem, nisi tamen haec determinato tantum loco fuerit concessa, puta Missam de Beato quae extra ecclesias et oratoria in Indulto expressa nullo modo celebrari possunt. Haec Missa celebranda est ritu non votivo, sed festivo (Decr. 14 mart. 1896, 3892 ad 5), ac proin cum *Gloria*. Ex hoc decreto nonnulli auctores deducunt in hoc casu omnino standum esse Kalendario proprio, tam quod ad ritum, quam quod ad commemorationes faciendas, Symbolum addendum, etc., prorsus neglecto Kalendario ecclesiae in qua celebratur. Quod tamen, saltem quod ad commemorationes faciendas, vix ac ne vix quidem componi potest cum novis Rubricis (*Addit.* V, 1, 2), quae volunt ut in Missa fiant regulariter omnes commemorationes quae praescribuntur ad Laudes iuxta Kalendarium ecclesiae in qua celebratur, facta primo loco commemoratione ipsius huius officii, si Missa ab officio discrepat. Num saltem hoc valeat de ritu in hac Missa adhibendo aut de Symbolo addendo controverti potest, nam ex eo quod haec

Missa celebranda sit ritu festivo non sequitur hunc ritum esse ritum propriae ecclesiae, et quod ad Symbolum obstare videtur quod dicitur in *Rubricis generalibus* Missalis (tit. XI) nempe Symbolum addendum esse in Festis principalibus Ordinum, et per eorum octavas, sed, *in ecclesiis tantum illius Ordinis.*

In oratoriis privatis et in oratoriis secundariis Seminariorum etc., praedicta regula non valet ac proin Missa celebrari non debet iuxta Kalendarium loci et censent plerique auctores in casu celebrantem debere Missam celebrare suo Kalendario conformem; alii tamen suavius respondent et rem arbitrio celebrantis relinquunt (3).

III. *De Missa celebranda pro defuncto sacerdote.* — Quaenam Missa dicenda est pro defuncto Sacerdote *a*) in die obitus, *b*) in die trigesimo ab obitu vel depositione sacerdotis?

a) Pro defuncto sacerdote in die obitus seu depositionis dicitur prima Missa ex iis quae habentur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, adhibitis tamen Orationibus propriis quae habentur inter orationes diversas. Sic ex Rubrica quae in Missali habetur ante Missam *in die obitus seu depositionis.*

b) Idem servandum est in die trigesimo, omnibus consentientibus auctoribus. Etenim, iuxta Rubricam Missalis, in die trigesimo dicitur eadem Missa ac in die obitus; iamvero pro defuncto sacerdote in die obitus dicenda est prima Missa ex iis quae habentur in Commemoratione omnium Defunctorum.

IV. *De Sancto nominando in Suffragio.* — In plerisque Hiberniae paroeciis exstant, praeter ecclesiam paroecialem, una vel plures ecclesiae subsidiariae in quibus singulis diebus dominicis, immo non raro infra hebdomadam,

(3) Cfer. *Periodica* XXV (1936) p. 127*.

Missa celebratur. Vicarii seu Capellani non solent habitare prope ecclesiam paroecialem, sed in aliqua distantia fere aequali inter hanc ecclesiam paroecialem et praedictas capellas, quin tamen alicui ex iis capellis stricte sint ascripti. Hae capellae, etsi non consecratae, habent tamen singulae suum proprium Titularem qui in ea nominatur in oratione *A cunctis*. Quaestio est quemnam Sanctum in suo officio praedicti capellani nominare debeant in Suffragio Sanctorum: num Titularem ecclesiae paroecialis, an Titularem capellae in qua celebrare solent, vel utrumque?

In singulis ecclesiis et oratoriis publicis, immo et semipublicis, etsi non consecratis, dummodo tamen fuerint sollemniter benedictae, in oratione *A cunctis* ad litteram *N*, a quolibet sacerdote, etiam extraneo, nominari debet Titularis istius ecclesiae vel oratorii, dummodo Titularis non sit Persona divina vel Mysterium Domini, aut de ipso Titulo non dicatur Missa aut facta sit commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem oratione *A cunctis* expressum (*Rubr. Miss.* post orationem (*A cunctis*). In Suffragio autem in eadem oratione ad litteram *N* nominandus est Titularis ecclesiae cui quis est canonice ascriptus, et cuius festum celebrare debet sub ritu duplici 1 classis cum octava communi. Porro, ut ex ipsis expositis patet, praedicti vicarii seu capellani nulli ex iis subsidiariis ecclesiis sunt proprie ascripti; restat ergo ut dicas eos ecclesiae paroeciali esse ascriptos et proin huius ecclesiae Titularem, si nominari valeat, eumque solum in Suffragio sui officii nominabunt, eiusque solius festum sub ritu duplici 1 classis cum octava communi celebrabunt. Quod ad Missam tamen, in ecclesia subsidiaria festum huius Titularis celebrabunt sub ritu duplici 1 classis cum octava communi, prorsus neglecto Titulari ecclesiae parochialis, nisi simul sit Patronus loci.

Ios. Pauwels, S. I.

De ritu festi S. Iosephi (19 martii)

In articulo quem nuper in his *Periodicis* edidimus *De translatione festorum S. Iosephi et Annuntiationis* (1) nos ignorare fatebamur quo iure passim ab historicis Clementi Pp. X adscribi solet elevatio festi S. Iosephi diei 19 martii ad gradum festi duplicis secundae classis (2). Contigit autem R. P. Iosepho Loew, C. ss. R., Causarum historicarum Servorum Dei et emendationis librorum liturgicorum vice-relatori, ut in registro Decretorum S. Congregationis Rituum ipsum decretum reperiret quo, postquam die 6 decembris 1670 statuta est illa elevatio, novum festi officium approbabatur idque imprimi posse concedebatur. Cuius decreti exemplum cum nobis humanissime ab eius inventore esset oblatum, illud ad utilitatem lectorum hic edendum esse existimavimus.

H.

1671, Registrum Decretorum SRC.
Urbis et Orbis.

Cum alias sub die 6 dec. 1670 S. Rituum Congr., annuente etiam SSmo., mandaverit, apponi in Breviario Romano Officium *S. Iosephi, sub ritu duplicis secundae classis*, cum hymnis et antiphonis propriis etc.; denuo eadem S. Congregatio ad relationem E.mi D. Card. Brancatii supradicta omnia, prout iacent, diligenter revisa et mature perpensa, approbavit, recitanda ab omnibus utriusque sexus tum saecularibus tum regularibus qui ad horas canonicas tenentur, ac imprimi posse concessit.

Hac die 21 novembris 1671.

F. M. Ep. Portuen. Card. Brancatius.
Bernardin. Casalius SRC, *Secr.*

(1) Pp. 61-72.
(2) Pp. 65-66.

MONUMENTA

14 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Allocutio 12 martii 1939

S. PONTIFEX CONGRATULATIONIBUS ATQUE OPTATIONIBUS SIBI POST INCORONATIONEM SUAM A S. COLLEGIO ACTIS RESPONDET

(*Osservatore Romano*, 13-14 martii 1939)

Quae venerandus ac Nobis carissimus Sacri Collegii Cardinalis Decanus verba fecit, tam vehementer suaviterque Nos tangunt, ut immortales grates eidem iisque omnibus referamus, qui propius a Nobis absunt, devotam eorum pietatem fidelitatemque paterno rependentes animo.

Per vos, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii Nostri, post obitum desideratissimi ac perpetuae recordationis Decessoris Nostri, Providentissimus Deus, arcano suo consilio, Nos, etsi invitos nec opinantes, ad eiusmodi dignitatis auctoritatisque fastigium extulit, cuius ardua celsitudo, singularis ratio gravissimumque officium quemlibet hominem, nedum Nos, contremiscere iubeant.

Quapropter non Nostris meritis viribusque subnixi, sed Dei gratia confidentes, ad potentissimum sapientissimumque Eius nutum frontem reclinamus Nostram. Atque ad Eum convertentes oculos, qui est « Pater luminum et Deus totius consolationis », itemque illius tutela freti, quae Benesuadens Virgo Conclavis Patrona exstitit, petrianae navis gubernaculo admovemus manus, ut eam per tot fluctus et procellas ad pacis portum dirigamus.

Summi Pontificatus munus, per saeculorum decursum, non alio spectat, nisi ut veritati famuletur; veritati dicimus, quae integra ac germana sit, nullis obscurationibus obumbrata, nullisque obnoxia infirmitatibus, at numquam seiuncta a Iesu Christi caritate. In omnem siquidem Pontificatum, ac praesertim in hunc Nostrum, quem suas partes explere oportet pro hominum consortione tot discidiis ac conflictationibus laborante, illud S. Pauli Apostoli, veluti sacrum mandatum, dominari opus est: « Veritatem facientes in caritate » (Eph. IV, 15).

Vestram igitur operam, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii Nostri, vestramque alacritatem advocamus, qua adiuti, amplissimum hoc munus, quod hodie sollemni ritu auspicati sumus, ad peculiare hoc Apostoli gentium mandatum conformare totum valeamus, et caelestia ea dona, quae munus idem quodammodo continet, universo hominum generi impertire. Officii Nostri magnitudinem gravitatemque probe noscentes, neque spem exspectationemque ignorantes, quam in Beati Petri Solio ii non modo collocant, qui fide caritateque arctissime Nobiscum coniunguntur, sed seiuncti etiam non pauci a Nobis fratres atque universa propemodum hominum familia conciliandae paci inhians, hac hora, dum Pontificalis Diadematis maiestas atque onus fronti Nostrae imponitur, vos compellamus omnes, Senatus Noster, vosque, intimi consiliarii Nostri, adhortamur, S. Ioannis Chrysostomi mutuantes verba: « Vos laborem cognoscentes, cooperamini precibus, sollicitudine, alacritate, amicitia, ut nos vestra gloriatio, et vos nostra sitis ».

Annotatio

Prae ceteris lectoris attentione et admiratione dignus videtur huius adlocutionis locus quo S. Pontifex declarat semper fuisse Sanctae Romanae Sedis, Suumque ipsius fore munus, praesertim his difficillimis temporibus, veritatem facere in caritate, id est facere ut regnet veritas, integra

ac germana, clara et fortis, at hoc numquam nisi in caritate Christi. Quod nobilissimum consilium utinam omnes catholici, cum communi Patre coniuncti, suum facere velint.

H.

15 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Allocutio 5 aprilis 1939

HABITA IN COMMUNI AUDIENTIA CURIAE ROMANAE, VICARIATUUM URBIS ET CIVITATIS VATICANAE, COLLEGII PAROCHORUM ET PRAEDICATORUM QUADRAGESIMALIUM

(*Osservatore Romano*, 7 aprilis 1939)

(*Versio nostra*). — Intimo cum gaudio, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, hac hora coniunctos et circa Nos congregatos conspicimus Eminentissimos Cardinales, Officiales maiores et minores, Consultores Curiae Romanae, universitatem illarum Congregationum, Tribunalium et Officiorum variorum, per quam Romanus Pontifex a ripa Tiberina, ex hac Civitate Vaticana et e dioecesi Romana, ad fines usque orbis terrarum gubernationem Ecclesiae universae extendit sibique ipse faciliorem efficit. Cum a vobis circumdamur, videmur Nobis coronam illam in capite ferre quae alteri Apostolorum Principi animum accendebat, cum Philippenses fratres suos carissimos, desideratissimos, suum gaudium suamque coronam vocabat (*Phil.* 4, 1). Haec corona quam amatissima praesentia vestra circa Nos consertis, non est corona auro, gemmis vel floribus e frigida terra effossis aut exortis composita: est corona viva, vivissima, ex auro constans electissimae vestrae dignitatis, e gemmis vestrarum virtutum, e floribus vestrae scientiae ac sapientiae, vestri operosi servitii, vestrae honestissimae deditionis.

Inde a prima Pontificatus Nostri aurora donum Nobis dare voluistis, cum amore oblatum et cum amore acceptum,

observantiae, fidelitatis et operae vestrae. Inde a primis gressibus itineris a Deo dumtaxat cogniti, qui vocat ea quae non sunt, sicut ea quae sunt, eaque dirigit ad excelsum finem ob quem hic, Romae, in colle Vaticano, ut populis signum esset salutis, Petram primariam suae Ecclesiae collocabat, vos voluistis Nobis significare Petro a tot saeculis non minus triumpho, quam dolori, pugnae ac precationi assueto, adstare aciem bene ordinatam virorum a consiliis ac ministerio quorum nobili sedulitati, probatae scientiae, maturae prudentiae, altissimis consiliis Deus ipse Nobis concedit ut ad quietem ac solacium nostrum committamus magna illa negotia gravesque curas quae dispositionibus iuris canonici, tamquam multiplicis Curiae Romanae laboris stadium, definiuntur, ad honorem et incrementum Sanctae Sedis, ad animarum bonum. Ad hunc vivissimum sensum, quem in animo Nostro excitat firmissa illa fiducia quam in vobis reponimus, cor nostrum, pontificalis indumenti pondere oppressum, corroboratur et quiescit; et verba Nostra coram vobis cum effunduntur, in hoc conventu omnium Curiae Romanae dicasteriorum, officiorum atque administrationum Palatinarum, commissionum pontificiarum de iure canonico interpretando, Vicariatus Urbis Romanae et Civitatis Vaticanae cum Urbis parochis et praedicatoribus quadragesimalibus, commissionis de Operibus religionis, paterno modo manifestant quali existimatione atque amore in unumquemque vestrum afficiamur. At ex aequa quadam remuneratione, tanquam ad fratres et filios, cum Apostolo loquimur: « Dilatamini et vos » (*II Cor.* 6, 13), ut amor Noster erga sanctam Ecclesiam plenus sit. Dilatamini et vos intellegentes illi Christi Sponsae vos servire, cuius gratia se ipse dedit, ut haec gloria vestiretur, sine labe et sine ruga, sancta et immaculata; Sponsae illi divinae, quae tabernacula sua per mundum universum dilatat atque statuit, evangelium in omni orbis regione clamat, cum suffragiis suis in eorum carcerem descendit qui diem praestolantur quo ad beatas gentes evolent, caelum

conscendit ad invocandos et huc in terras appellandos sanctitatis et beneficientiae heroes, ut hi in gloria quam iis in suis altaribus tribuit, se salutem constituant et solacium exsulum filiorum Evae.

Inde mente percipitis nobilitatem et magnitudinem serviendi illi Christi Sponsae in Curia Romana: hoc namque servire non deprimit sed extollit, quoniam servire Deo regnare est. Sacra Romana Curia, etsi nomen habet et symbolum in Curia Quiritum, Consulum et Caesarum, quae cum esset quondam palaestra in qua populorum sortes agitarentur, nunc taciturnum exsistit monumentum inter fori ruinas, vitam tamen habet ac formam propriam, qua erigitur supra imperiorum regnorumque caducitatem, sicut spiritus corpus superat, gratia naturam, opera Dei humana artificia. Aetate cum consilio pontificii ac Romani presbyterii coniuncta, crevit viresque sumpsit ad latus Summorum Pontificum, ad instar senatus cuiusdam, quem multa coronat prudentia (*Eccles.* 25, 8), operosi et sapientis, non tam annorum maiestate quam intellegentiae ac consilii laude. Haeres constituta temporis praeteriti, huiusque saepe turbidi, retractata, ad novum ordinem redacta, amplificata pro incremento necessitatum atque apostolicarum curarum in tutanda et diffundenda inter pastores et oves fide et disciplina, Curia Romana hodierna sua forma, intima sua structura atque agendi ratione, in qua singula suam habent regulam, cum in essentiali sua constitutione usum et a saeculis acquisitam prudentiam retineat, iis hoc adiungit meritum et laudem quod tempore opportuno sapienter sese novis necessitatibus mutatisque officiis accommodare numquam cunctata est. Sixti V potenti animo, Pii X sancto reformandi studio, Benedicti XV in condendis legibus sapientiae debet hoc nobilissimum Supremae Ecclesiae gubernationis instrumentum acceptam referre illam distinctionem et cohaerentiam partium, illam munerum distributionem, illam bene perpensam accommodationem et concinnitatem in agendo, quae menti et volun-

tati condiciones sunt recte ordinati ac fecundi laboris, cuius necessaria indoles altissimaque gloria alia esse non potest quam spiritus apostolicus quo animatur. Nobis videtur Curiam Romanam cum omnibus suis dicasteriis, quamvis multiplicia appareant, ob illam tamen in unum corpus compositionem ac membrorum coagmentationem, ob unam illam ideam cui subditur, ob commune illud officium ac munus quo singuli socii vinciuntur, qui etsi « eundem actum non habent » (*Rom.* 12, 4), in concordi tamen eiusdem finis assequendi proposito, ut pretiosam scilicet operam suam navent in animarum et regni Christi in hac terra dilatandi ac custodiendi servitio, circa illum congregantur qui sincerissimo Gregorii Magni animo « servus servorum Dei » est, Nobis nimirum videtur Curia Romana similis esse adamanti cuidam inter omnes multiformi nitore latusculorum suorum fulgentissimo, vividis splendoribus ex omnibus dicasteriis effulgentibus decorato, qui inter triregni pontificalis gemmas inseratur, symbolum lucis et amoris vestri.

At cum hoc dignitatis splendore, cum hoc privilegio, quo prae omni alio ecclesiastico instituto Apostolicam potestatem Petri successoris — quod in praesentia sumus Nos quamvis miseri et indigni — propius circumstatis, profecto perspicitis quantum deceat ut in tota Curia Romana consocietur splendor vitae, ut Pontifex, sicut scribebat Doctor mellifluus, sanctus Bernardus, promptioribus vobis utatur, sicut viciniores illi adstatis: « Propiores assistitis, ut habeat paratiores » (*De Consideratione*, l. 4, c. 5). Quae plenior praeparatio quidnam est nisi validior spiritus qui vivificat, cum littera occidat? ille spiritus qui laborem animat, qui pennam in caelestis volatus alam convertit, qui penetrat, dirigit, sustinet, in sublime fert mentem et voluntatem, ille spiritus qui esse vult prima et sancta gloriatio eorum omnium qui vocantur et parantur ad operam suam Nobiscum navandam in missione a Divino Magistro Nobis imposita, qui sumus Pastor ovilis sui ceterarumque

ovium, etiam suarum, quamvis adhuc errantium, quas ad se conducere vult.

Talis spiritus qui summopere spiritus est propriae abnegationis, sui deditionis in officio peragendo, amoris erga Ecclesiam, plenus esse debet quicumque hic, in centro christianitatis, meta et visione eorum omnium qui in fide Romana fidem Ecclesiae contemplantur, ad hoc impellitur ut consilio et opera in partem intret sollicitudinis omnium ecclesiarum. Cum hic Christi spiritus animam aliquam sacerdotalem informat, haec in altiorem sphaeram ascendere conspicitur, pretium suae in Curia Romana operae sigillo supernaturalis amoris auget, amoris indefessi, amoris apostolici, illo videlicet apostolatu qui unus fit cum abscondito administri labore et, dummodo siti animas salvandi nobilitetur et sanctificetur, non minus gratus est ac ponderosus in trutina aeterni Iudicis, qui renes et corda scrutatur (*Hier.* 2, 20), quam ipsum sacerdotale ministerium, cui pari modo non pauci inter vos suas curas dedicant, non minus quam directus et operosus apostolatus illius qui maria oceanosque transmittit, et per terras inhospitales et asperas silvas, trans culmina nivosa et loca deserta ac rigida, per solitudines et ferarum refugia, ad alias oves in ovile Petri adducendas novasque regiones regno Christi subiciendas progreditur. Et vos probe novistis Divinum regem gloriae eadem corona, utique pro singulorum meritis, cum illos remunerari qui media in pugna dimicant, tum filios qui circa se consistentes sacrum armamentarium custodiunt et tuba fidei sua iussa ducibus agminumque rectoribus proclamant.

Tanta dignitate ornatos, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, salutamus vos hic circa Nos coniunctos; Nobis enim sanctae ac paternae laetitiae est quod ore vestri Eminentissimi et eloquentis interpretis, Venerandi Nobisque carissimi Cardinalis Sacri Collegii Decani, confirmari audimus vos scilicet omnes Christi spiritu animatos pleneque muneris vestri gravitatem atque excellentiam intellegentes,

nihil aliud ardentius cupere et avere quam vos eximia vestra vocatione digniores in dies reddere. Nullum donum hoc gratius, nullam promissionem pretiosiorem, nullum suavius solacium mente excogitare ac dare Nobis poteratis his diebus quibus, ex inscrutabili divino consilio, grave pondus pontificalis laboris assumpsimus, ubi immortalis memoriae Decessori Nostro angelus sanctae mortis sapientem et operosam manum vita privatam inhibuit et clauso longi et gloriosi pontificatus eius magno volumine, apertis caelestis civitatis portis, eum invitavit et introduxit in beatae aeternitatis quietem.

Eius nominis heredes, etiam eius temporis hereditatem accipimus, quod Nostrum nunc fit, cum iis fortunis propitiis et adversis, quas secum in fuga sua trahit. Tempus difficile et nihilo minus tam grande, cum in unius anni spatio alii alios excipiunt et maturescunt eventus qui antea decennia et fortasse etiam saecula postulassent; cum vertiginosus et portentosus nostrae aetatis progressus hanc « areolam quae nos tam feroces efficit » insatiabilibus cupiditatibus filiorum Adami angustiorem effecisse videtur; cum per omnia littora et versum omnes ventos iamiam resonat divina evangelii vox, et officia et opera cum ipsius Ecclesiae tum huius centralium officiorum amplificantur et ultra modum extenduntur; cum omnium oculi, in dies magis anxii, ad illius Magisterium convertuntur in eo defixi exspectantes, num e labro eius egressura sit illa veritas quae liberat et in sublime fert hominem in caritatis opere. Quid Nobis restat nisi ut oculos nostros demisse et suppliciter ad caelum attollamus unde descendit sapientia pura, pacifica, modesta, exorabilis, plena misericordiae et bonorum fructuum? unde descendit fructus iustitiae quae in pace ab iis qui pacem colunt seminatur (*Iac.* 3, 17-18)? Inter bona data et dona perfecta quae a Patre luminum descendunt Nos nullam possumus gratiam eximiorem impetrare et accipere quam ut noverimus et videamus apud nos adstantes homines quales S. Bernardus describebat

suoque dilecto discipulo ac venerato Pontifici Eugenio III commendabat: « In talibus, sic scribebat sanctus Abbas Claraevallensis, — ut opinor, requiescat spiritus tuus...: qui praeter Deum tantum timeant nihil, nihil sperent nisi a Deo... Qui stent viriliter pro afflictis et iudicent in aequitate pro mansuetis terrae. Qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subiecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in iudicio recti, in consilio providi, in iubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti, in zelo sobrii... Qui legatione pro Christo fungi, quoties opus erit, nec iussi renuant, nec non iussi affectent... Qui orandi studium gerant et usum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quam suae industriae vel labori » (*De Considerat.* l. 4, c. 4).

Conspicite vos in hac imagine, quam sapienti arte magnus asceta et iurium Ecclesiae in Europa sui temporis strenuus defensor adumbravit. In ea imagine magnitudinem vestri muneris agnoscetis: agnoscetis vos ipsi non cum misera superbiae delectatione, sed ob illam virtutis et probitatis impulsionem quae vestram prudentem coram nobis et Ecclesia operam securam reddit et magis ac magis spiritum vestrum animat, ut quicumque videant opera vestra glorificent Patrem qui in caelis est.

Circumdati, tamquam a cara et amata familia, ab universa Curia Nostra Romana, hic in sollemnem vestri amoris ac devotionis testificationem congregata, alia verba ad altum Nostrum gaudium exprimendum non invenimus quam verba Apostoli gentium: « Os nostrum patet ad vos; cor nostrum dilatatum est » (*II Cor.* 6, 11). Labrum nostrum aperitur vobis; cor nostrum dilatatum est; roboratur tam devotis atque electis ingeniis ad auxilium Nostrum consociatis, unde pondus pontificalis triregni nobis levius fit, cum in tam nobili conventu fidissimam et sacram cohortem

conspicimus quae ad latus Nostrum fidei et disciplinae Ecclesiae custos adsistat. Gratias de ea re Deo agimus et vobis, dum supplices ad caelum preces attollimus, ut id quod Doctoris melliflui illuminata mens ardensque erga sanctam Ecclesiam amor tanto fervore, gravi quadam hora, decessori Nostro olim exoptabat, Nobis suavi illius dispositione concedatur in cuius sapienti manu sunt praeterita, praesentia et futura, et in vobis copiose firmetur et augeatur, Venerabiles Fratres et dilecti Filii. Cum hac fiducia oculos nostros ad Deum convertimus qui in nobis operatur velle et agere secundum bonam voluntatem (*Phil.* 2, 13), imploramus vobis et Nobis lumen et robur et, ut vobis ipsis et ad talem gravium vestrorum munerum perfunctionem quae Deo placeat, sit pignus uberrimorum caelestium favorum, Apostolicam benedictionem vobis omnibus impertimur.

16 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Homilia 9 aprilis 1939

HOMILIA HABITA IN BASILICA VATICANA, IN SOLLEMNI MISSA PAPALI, DIE PASCHATIS RESURRECTIONIS D. N. I. CH., IX APRILIS MCMXXXIX.

(*AAS* XXXI [24 april. 1939] p. 145 ss.)

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

Quoniam Paschalia Sollemnia opportunitatem Nobis praebent summo cum paterni animi Nostri gaudio vos salutandi, vos dicimus, lectissime Ecclesiae Senatus, vos, quotquot adestis, Venerabiles in Episcopatu Fratres, e Romano clero Praesules vel sacerdotes, ac denique omnes e Religiosorum ordine et e christiana plebe dilectissimi filii — quorum piae capiendae multitudini amplissimum hoc Petrianum templum iam videtur angustius — non aptiore modo Nos posse dicendi initium facere putamus, quam si

pulcherrima illa iteremus verba, quibus Divinus Magister ab inferis suscitatus suos discipulos affatus est: « Pax vobis » (1). En pacis omen pacisque consalutatio!

Qui scilicet, cum eius adventus in exspectatione erat, « Princeps pacis » (2) praenuntiabatur; qui nascens angelicis illis excipitur concentibus « Gloria in altissimi Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis » (3), humani generis Redemptor pacis praeco ac sequester exstitit, secundum illud Apostoli gentium: « Evangelizavit pacem » (4). Quae tamen pax non colluctationibus vacua contentionibusque fuit; quandoquidem eam Christus Dominus, cum « mors et vita duello conflixere mirando » (5), ad mortem usque certando, quasi cruoris sui partaeque victoriae pretium assecutus est, « pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt » (6).

Iure igitur meritoque Paulus Apostolus non modo eam, solacii plenam, invocationem saepenumero geminat « Deum pacis, Dominum pacis » (7) sed sacrorum vatum veluti referens vocem (8), Iesum Christum pacem nostram appellat: « Ipse est pax nostra » (9).

Quae quidem in praesens animadvertere atque perpendere valde consentaneum ducimus ad animos relevandos recreandosque, dum pax tantopere ab omnibus conclamatur, discupitur atque invocatur. « Tantum est enim pacis bonum ut... nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri » (10).

Attamen hodie, si unquam alias, illa Ieremiae Prophetae verba peropportune quadrant, qui homines dicentes in-

(1) Ioan., XX, 19.
(2) Is., IX, 6.
(3) Luc., II, 14.
(4) Eph. II, 17.
(5) Ex sequentia Pasch.
(6) Coloss., I, 20.
(7) Rom., XV, 33; XVI, 20; I Cor., XIV, 33; Philip., IV, 9; I Thess., V, 23; II Thess., III, 16; Hebr., XIII, 20.
(8) Mich., V, 5.
(9) Eph., II, 14.

ducit: « Pax, pax: et non erat pax » (11). Etenim si oculos circumquaque convertimus, triste quoddam spectaculum occurrit! Siquidem cernere est permotos multis in regionibus cives suaque sorte inquietos formidolosa quadam perturbatione angi, quae peiora portendere mala videatur. Anxitudo trepida animos incessit hominum, quasi iam deteriora impendant pericula atque immineant.

Quae omnia a serena illa ac tuta « ordinis tranquillitate » (12), quae pacem veri nominis continet, quam longe absunt! Ac verum enimvero quomodo integra ac solida pax habeatur, si vel eiusdem nationis filii, communis stirpis saepe communisque patriae immemores, civilium partium commodis, simultatibus contentionibusque abstrahantur ac distineantur? Quomodo habeatur, dicimus, si tot hominibus, ad centena milia bene multa, laboris opera desit, ex qua non modo singuli cives honeste vivere queant, sed multiplices etiam eorum vires facultatesque, quibus natura, studium et ars humanae personae dignitatem honestaverint, necessitate quadam ingenuoque decore exerceri possint? Quisnam vero non videat ex hisce rerum adiunctis innumeras coalescere multitudines, in quibus ob miserrimum statum animorumque abiectionem — quae tam acriter eorum deliciis adversantur, qui luxuriose vivunt, nullamque indigentibus opem ferunt — facilem ii praedam agant, qui mentibus fucata veritatis specie deceptis corruptrices doctrinas insidiando alliciendoque ingerant? Ac praeterea, quomodo habeatur pax, si inter Nationes etiam mutua desideretur et aequa rationum aestimatio animorumque consensio, quae per refulgens civilis progressionis iter dirigere gentes queant? Dum, contra, conventiones sollemniter sancitae ac data fides ea interdum vi securitateque destituuntur, quibus debita invicem fiducia continetur ac roboratur; qua dempta, increscentem armorum appa-

(10) S. Aug., *De Civ. Dei*, XIX, 11.
(11) Ierem., VI, 14 (VIII, 11: Ezech., XIII, 10).
(12) S. Aug., *De Civ. Dei*, XIX, 13.

ratum minuere ac remittere animosque pacare — quod omnibus in votis est — difficilius usque cotidie evadit.

Qua ingruente formidolosa tempestate, vehementer adhortamur omnes ut ad pacis Regem mortisque Victorem redeant, a quo consolatoria haec verba audivimus « Pax vobis ». Largietur ille nobis — quemadmodum pollicitus est — pacem, pacem suam, eam inquimus, quam mundus dare non potest, pacem; quae nimirum una omnem animorum perturbationem trepidationemque componere ac sedare potest: « Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet » (13).

At quandoquidem externa hominum tranquillitas ex interiore reniteat oportet, necesse est in primis animorum curare pacem; eamque, si desit, sibi comparare quam primum; si vero adsit, diligenter colere, tueri ac servare incolumem. Etenim Christus Dominus, non sine gravissimo mentis suae consilio, hodierna die, cum primum Apostoli se ab inferis suscitatum conspiciendum dedit, pacis salutationi suae pretiosissimum pacis munus adiicere voluit, Paenitentiae videlicet Sacramentum; ita quidem ut sollemni ipso Anastasis eius die salutare illud institutum oriretur, quod in animis divinam restituit ac renovat gratiam, quae de morte, scilicet de culpa, est vitae triumphus. Ad inexhaustum huiusmodi veniae pacisque fontem pia mater Ecclesia filios suos omnes sacro hoc paschali tempore enixe advocat. Quodsi singuli universi studiosissimae huic adhortationi ultro libenterque obsequentur, uberem florentemque adipiscentur in Christo vitam; atque adeo suavissimo fruentur gaudio illius pacis, qua, amantissime perfecteque Divino Redemptori obtemperando, in cupidinum voluptatumque illecebras dominari poterunt. « Vult autem — ut S. Augustini interrogatione utamur — mens tua idonea esse vincere libidines tuas? Subdatur maiori et vincet inferiorem: et erit pax in te vera, certa, ordinatissima. Qui

(13) Ioan., XIV, 27.

est ordo pacis huius? Deus imperat menti: mens carni: nihil ordinatius » (14).

Videtis igitur, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, quo uno ac firmissimo nitatur fundamento pax veri nominis: sempiterno nempe Dei Numine, quod agnoscere, observare ac colere, cuiusque praeceptis obtemperare, omnibus officium est. Debitam eiusmodi Divino Creatori obedientiam extenuare vel penitus restinguere idem profecto est ac ipsam turbare vel prorsus infringere cum privatorum hominum, tum domestici convictus, tum singularum Nationum, tum denique totius humani generis tranquillitatem. Unus siquidem Deus « loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor » (15). Omnipotentis Dei nutu solummodo — supremi nempe iustitiae tutoris, supremique pacis largitoris — « iustitia et pax osculatae sunt » (16); quandoquidem, ut Isaias propheta cecinit: « Et erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in sempiternum » (17).

Quemadmodum enim nullo rerum ordine pax haberi non potest, ita pariter, remota iustitia, rerum ordo consistere nequit. Iustitia vero postulat ut auctoritati legitime constitutae debita tribuatur observantia atque obedientia; ut leges ad commune bonum sapienter conformentur, iisdemque ab omnibus pro conscientiae officio obtemperetur. Iustitia postulat ut sacrosancta humanae libertatis dignitatisque iura omnes agnoscant, tueantur; utque innumerae opes atque divitiae, quas Deus per universum terrarum orbem profudit, in suorum omnium utilitatem filiorum consentanea rectaque ratione distribuantur. Iustitia denique postulat ut salutaris opera catholicae Ecclesiae, quae veritatis est magistra falli nescia, inexhaustus animis vitae fons civilisque consortionis altrix prae-

(14) *Miscell. Agost.*, vol. I, S. Aug., Sermones post Maurinos reperti, pag. 633, 15-18.
(15) Ps. 84.
(16) Ps. 84.
(17) Is., XXXII, 17.

cipua, ne detrectetur neve prohibeatur. Quodsi nobili iustitiae sceptro violentiae arma succedant, tum quisnam miretur orientem aetatem non optatissimum candidae pacis fulgorem, sed caliginosos cruentosque bellorum ignes afferre?

Iamvero iustitia utique eo spectat, ut normas constituat integrasque servet illius rerum ordinis, qui primarium atque praecipuum solidae pacis fundamentum exsistat; ea tamen sola una difficultates atque impedimenta evincere non potest, quae saepe-numero efficiendae stabiliendaeque tranquillitati obstant. Quapropter, si rigidae destrictaeque iustitiae caritas fraterno foedere non coniungitur, facilius mentis oculi quadam praepediuntur caligine, ne aliena iura cernant; auresque obsurdescunt, ne vocem illius aequitatis audiant, quae, si volenti sapientique studio edisseratur, asperrimas etiam ac salebrosas causas, quae in controversiam cadunt, ordine rationeque enodare atque explanare potest.

Cum vero heic de caritate loquimur, effectricem illam intellegi volumus ac generosam, quam Christus invexit, caritatem. Caritatem dicimus, quae Divinum Redemptorem ad mortem usque, salutis nostrae causa, compulit: « Dilexit me et tradidit semetipsum pro me » (18) caritatem, quae « urget nos » (19), idque facit, ut « qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit » (20); caritatem denique, qua Christus permotus « formam servi » (21) accepit, ut omnes in eo fratres efficeremur, qui est « primogenitus » (22), filii nempe eiusdem Dei, eiusdem regni heredes, et ad eiusdem sempiternae beatitatis gaudia vocati.

Si mortalium animi tandem aliquando huius amoris suavitatem haurient, in eademque conquiescent, tum pro-

(18) Ad Galat., II, 20.
(19) II Cor., V, 14.
(20) II Cor., V, 15.
(21) Philip., II, 7.
(22) Rom., VIII, 29.

cui dubio laboranti humano generi pacis lumen illucescet. Irae perturbationibus, quae irritant, ratiocinantis mentis tranquillitas succedet; immodicae effrenataeque contentioni benevolens adiutricis operae collatio; simultati denique aequa ac mutua rerum rationumque aestimatio; ita quidem ut formidolosam eiusmodi animorum concitationem praefidens excipiat requies ac serenitas.

Viam repetent homines, qua ad amica foedera remigrabitur, in quibus uniuscuiusque commoda utilitatesque iusto benignoque ordine perpendantur; in quibus ne iacturae quidem singulorum defugiantur ad potiora humanae familiae bona assequenda; in quibus denique data publice fides probe volentibus omnibus in exemplum vigeat.

Quae ut effecta dentur, utque flagrantissima haec vota Nostra ad exitum auspicato deducantur, Nos temperare Nobis non possumus quin singulis civibus, populis eorumque moderatoribus praefervidam illam ad pacem, iustitia caritateque innixam, invitationem hortationemque iteremus, quam, vixdum ad Supremi Pontificatus verticem evecti, ad eos omnes convertimus. Imprimis vero manus oculosque erigimus ad « Regem Regum et Dominum Dominantium » (23), supplices eidem admoventes preces, quas hodiernis Paschalibus Sollemnibus sacra Eucharistici Sacrificii liturgia inducit: Domine Deus, qui per Ecclesiae vocem hisce diebus filios tuos omnes ad sacrosancta mysteria convocas, ad divinum nempe tuae carnis pabulum, ad sanctissimumque tui sanguinis potum; tu, qui singulos universos ad tuum altaris sacramentum congregatos exoptas, quod tuae est erga nos omnes caritatis munus pretiosissimum itemque signum ac vinculum illius amoris, qui nos fraterno foedere coniungit; tu, Domine Deus, « spiritum nobis ... tuae caritatis infunde, ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes ». Amen.

(23) Thimot., VI, 15.

17 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Allocutio 14 april. 1939

ALLOCUTIO HABITA IN AUDIENTIA DELEGATIONUM UNIONIS INTERNATIONALIS SOCIETATUM FEMINARUM ACTIONIS CATHOLICAE

(*Osservatore Romano*, 15 april. 1939)

Vivido cum gaudii et spei sensu vos hodie excipimus, Dominae et puellae ab Unione Internationali Societatum Feminarum Actionis Catholicae ad decimum suum Congressum delegatae. Cum gaudio, quoniam hic decies ac decies centenorum milium feminarum personas agitis quae pari vobiscum magnanimitate hierarchico Ecclesiae apostolatui per terrarum orbem docilem ac devotam operam navant. Cum spe, quoniam ipsa vestra salutatio vestrumque consilium hunc Congressum apud Sedem Apostolicam habendi Nobis sunt pignora a vobis data laboris in dies intelligentia et sedulitate ut, sperare est, succrescentis.

I

Romam venistis ad preces fundendas et una animum et studium vestrum intendendum in nobile amplumque programma his paucis comprehensum verbis quae vobis Decessoris Nostri venerandae memoriae Pii XI « novissima verba » manent: Formatio et praeparatio feminae catholicae in diversis apostolatus campis, ad societatis hodiernae christianae instaurationem.

Formatio et praeparatio ad apostolatum! Audite sanctum PAULUM ipsa illarum fundamenta aperientem, cum vobis Iesu Christi exemplum proponit: « Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri ... erudiens nos, ut ... sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo ... Nolite conformari huic saeculo sed reformamini in novitate sensus vestri » (*Tit.* 2, 11-13; *Rom.* 12, 2).

Hoc quippe est perfecte formationis spiritualis programma: efficacissimus namque apostolatus, pro quo alius nullus suffici potest, est apostolatus vitae sanctae et piae, cuius vis tota est in exemplo et in oratione. Inde est quod ex omnibus operae vestrae rationibus, primum locum obtinet apostolatus exempli. Inde quoque est quod huc imprimis ad orandum venistis auxiliumque gratiae ad principis Apostolorum sepulcrum petendum, ubi, hic in terra, copiosa adesse videtur supernaturalium auxiliorum fons et caput omnis fecundi apostolatus.

Cum vos hodie illi adstantes conspicimus, nostra mens ad illas nobiles et ardentes christianas feminas regreditur, quae ab Ecclesiae ortu operam suam cum apostolis et animarum pastoribus in evangelio propagando navaverunt sicque meritae sunt ut ab Hierarchia illius temporis laudarentur et nomina sua, ut aiebat sanctus Paulus scripta haberent in libro vitae (*Phil.* 4, 3). Illarum feminarum ac puellarum gloriosa exempla sociae vestrarum consociationum continuant. Itaque vestri labores laus vestra sunt vobisque demonstrant quam sint ampli vestri apostolatus campi, quos etiam dilatare vultis.

Fuit - fortasse! - tempus quo apostolica feminarum opera in hoc consistere poterat ut christianam domesticorum vitam tutaretur et custodiret. Hodie res non ita se habet, cum tota domestica vita necessario et proxime contagione civilis societatis in qua crescit inficiatur. Ab hac contagione sociali magna ex parte exsistet spiritualis familiae temperatio in sua vita morali ac religiosa. Qua de causa femina catholica hodierna officiorum suorum socialium sibi conscia fit. Ad plenius haec officia communi studio perspicienda, adlaborant vestri congressus, ad illa magis ac magis probe implenda convertitur conatus societatum vestrarum, sicque explicantur huius laboris formae tam admirabiliter variae.

Etenim cum sint cuncta inter se suis principiis consimilia, quia semper necessariam Dei animarumque iurium

defensionem spectant, vestra apostolica opera in eorum exercitio multiplicia sunt et diversa, utpote regionum et temporum diversitati accommodata.

Apostolus etenim ut audiatur verba faciat opus est non tamquam ad abstractae cuiusdam humanitatis legatos, quae omnium esset regionum, omnium temporum, omniumque conditionum, sed tali vel tali suorum similium coetui, tali aetati, in tali regione, in tali gradu socialis hierarchiae. Haec una est ex aureis regulis a desideratissimo Pontifice descriptis, qui magnus Actionis catholicae auctor atque impulsor fuit et in praesentia eius est animator, etsi non aspectabilis.

Haec omnia novistis. Et novistis quoque cum sit Actio catholica cooperatio quaedam cum hierarchico apostolatu, eius socios ecclesiae Hierarchiae subiciantur oportere, cuius de iure est apostolica missio huiusque per totum terrarum orbem apta dispositio: « Euntes docete omnes gentes » (*Matth.* 28, 19). Ob hoc ipsum venitis, sicut nuper dicebatis, vobiscum ferentes indagationum vestrarum fructus eosque copiosos ac solacii plenos, et ad directiones accipiendas, quae vobis praesertim animos sunt additurae.

II

In omnibus magnis humanis operibus, sicut in opere humano-divino Redemptionis, Deus feminam sociam et adiutricem viri constituit, verum haec feminarum in propagando et tutando Dei regno opera nobis hodie magis quam unquam opportuna esse videtur.

Etenim malum quo laborat genus humanum est oblivio, ignoratio, aliquando etiam simplex et absoluta negatio rerum quae cerni non possunt, nobilissimorum moralium bonorum omnisque supernaturalis consilii. Hac enim nostra aetate qua dominatur machinismus, ipse homo aliud saepe non est quam perfectius quoddam instrumentum laboris vel — proh dolor! — etiam pugnae. Voluptas cor-

poris et ea proxima turbarum ambitionem incendit simul et coangustat.

Humana nostra societas minatur se mox iam talem non fore, cum ordines e quibus constituitur coram nostris oculis iam in egoismum materialisticum dissolvantur vel alii adversus alios insurgant. Quod verae vitae socialis superest eo vergit ut iam non regatur nisi peculiarium commodorum complexione aut oppositione et communium appetituum contentionibus.

Non desunt quidem conatus unitatem aliquam in ista humanarum personarum dissipatione instaurandi. At propositae rationes semper ipso suo fundamento peccabunt, si ab eodem principio, ex quo ipsum malum cui mederi volunt procedit, initium sument. Nulla ratione sanabitur vulnus, nulla alligabitur individualisticae ac materialisticae nostrae humanitatis alta scissura, si ipsa suis principiis materialistica, usu vero atque exercitatione machinalis manserit.

Ad illud vulnus obligandum unum est efficax balsamum: mentis ac cordis humani reditus ad cognitionem et amorem Dei communis Patris et illius quem misit ad mundi salutem, Iesu Christi. Porro ad istius balsami unguentum in vivas carnes tot plagis contusae humanitatis infundendum, manus muliebres a Providentia paratae videntur, quippe quae sint subtiliore quodam sensu ac delicatiore cordis teneritudine mitiores factae.

Vestrum ergo est, Dominae et puellae catholicae, vos inclinare in graviter sauciam humanitatem: convertite gregariam illam multitudinem in societatem quae pacata functionum ac munerum hierarchia, officiorum ac iurium observantia, stabilium ac fecundarum familiarum apta coniunctione recte ordinetur. Per vos multiplices ethnicorum coetus unitatem divinae filiationis et humanae fraternitatis recuperent. Retro abeat et evanescat *communismus* ante hominum *communitatem* horumque communitas in christianorum *communione* perficiatur.

Tunc denique efficietur illa « unitas ordinis » de qua scribit sanctus THOMAS, quaeque esse debet eximia quaedam perfectionis species vestris obversans animis, supremus vestrorum conatuum finis. At tunc quoque universalis boni causa adlaborando, unaquaeque vestrum salutem suae patriae et suae familiae felicitatem procurabit, — utique quia ordo unus est: in animis, in nationibus, in universa humanitate hic ordo regnare non potest, nisi unaquaeque res suo sit loco, nisi igitur Deus ubique unum sibi convenientem locum obtineat, id est primum. Tunc tandem cum ordinis stabilitate, descendet in terram illa pax quam invocat anxius poulorum animus et dolor prae ceteris acerbus, singultus matrum.

Haec est missio vestra; sublimissima est; impetum postulat ac perseverantiam; etiam heroismus aliquando necessarius erit. At victoria illi certa est, quia spiritus tandem semper materiam vincit et ius super ruinas violentia accumulatas triumphat. Quod historia demonstrat, Deus vero nobis pollicitus est, eadem est mensura nostrae victoriae et fidei nostrae. « Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra ». (*I Ioan.* 5, 4).

Num addere necesse est societates vestras, ut ordinem et pacem circa se stabiliant, primo haec in se ipsas tutari debere? Quod ad hoc attinet, Nobis imprimis placet videre in vestra internationali consociatione apte coniungi cum Dominarum sectione sectionem puellarum. Haec sunt tamquam flores et fructus qui, quasdam arbores, hoc utique privilegio gaudentes, non numquam coniuncte ornant. Apud operarias iamiam meritis atque uberrima prudentia onustas, laete ordinantur discipulae, quae se ipsae dare optantes eaque de causa « praeparationem et formationem » petentes, consilia earum accipiunt quae illis praeierunt, non tamquam sibi impositas scholas sed tamquam oblatos thesauros. Unaquaeque sectio suam habet rationem ac viam, nam etiam ibi unaquaeque aptetur oportet vitae conditionibus in quibus versatur. Sub his exterioribus dif-

ferentiis ardet in animis — quibus aetas non est — eadem interior flamma zeli mere supernaturalis.

Quare intercedente dulcissima Virgine Maria, cuius imagines, quales in singulis vestris carissimis patriis coluntur, humanissime Nobis obtulistis, magis ac magis efficientem Dei proctetorem invocamus in Episcopos qui vos mittunt, in vos ipsas, in omnes vestrarum consociationum socias — quarum personas hic agitis — in earum vestrasque familias, in vestra earumque opera, et vobis ex animo impartimur, pignus divinorum munerum, Apostolicam Benedictionem.

18 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Nuntius radiophonicus 16 aprilis 1939

(*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 151 ss.)

Exultantes Nos, filii Catholicae Hispaniae dilectissimi, vobisque paterne gratulantes ob pacis donum atque victoriae, ad vos ovantes convertimur, quos, tantis afflictationibus in christiano fidei vestrae robore ac caritatis ardore strenue superatis, Deus ipse coronare dignatus est.

Hanc vero pacem providentissimi Dei ope reportatam Noster s. m. Praedecessor iam tunc anxius at spei fretus futuram esse credebat, cum ipso exordiente bello suam benedictionem, bonorum auspicem, impertitus est « iis omnibus, qui difficile ac periculis obnoxium onus munusque sibi assumpserant defendendi atque instaurandi Dei et Re-

---

Quoniam versio quam supra dedimus, licet mentem S. Pontificis pari elegantia ac fidelitate exprimat, verba tamen documenti verbis reddere non nititur, hic textui Hispanico authentico alteram versionem latinam adiungimus, quae hoc ad maiorem lectoris utilitatem praestet:

Con inmenso gozo Nos dirigimos a vosotros, hijos queridísimos de la Católica España, para expresaros Nuestra paterna congratulación por el don de la paz y de la

Ingenti cum gaudio ad vos convertimur, filii catholicae Hispaniae, ut vobis paterno animo de pacis ac victoriae dono gratulemur quo Deus christianam fidei

ligionis decus ac iura pessumdata » (1). Nec vero Nos ipsi in dubium revocamus hanc pacem, illius certae benedictionis proventum, fore id, quod tunc temporis Ille Ipse est auspicatus: « nunciatricem videlicet venturae tranquillitatis in ordine ac prosperitatis in honore » (2).

Iam, filii dilectissimi, quae Dei Providentia de validissima Hispanorum gente olim sibi efformavit consilia, nunc iterum palam fecit. Nam cum ipse sibi Deus Hispanorum gentes adhibuisset tum primum ut Novum Orbem Evangelio lucrandum peragrarent, tum etiam ut pro catholica fide invincibiliter propugnarent, eaedem nunc materialismi et atheismi sectatoribus luculentissime demonstraverunt, aeterna animi dona ac religionis munera super omnia alia excellere atque eminere.

Illi enim, qui seipsos inimicos Christi profitentur, hoc unum, omnibus mediis adhibitis, sibi proposuisse viden-

---

victoria, con que Dios se ha dignado coronar el heroismo cristiano de vuestra fe y caridad, probado en tantos y tan generosos sufrimientos.

Anhelante y confiado esperaba Nuestro Predecesor, de s. m., esta paz providencial, fruto sin duda de aquella fecunda bendición, que en los albores mismos de la contienda enviaba « a cuantos se habían propuesto la difícil y peligrosa tarea de defender y restaurar los derechos y el honor de Dios y de la Religión » (Alocución a los prófugos de España, *Acta Apostolicae Sedis*, XXVIII, 1936, p. 380); y Nos no dudamos de que esta paz ha de ser la que El mismo desde entonces auguraba, « anuncio de un porvenir de tranquilidad en el orden y de honor en la prosperidad » (L. c., p. 381).

Los designios de la Providencia, amadísimos hijos, se han vuelto a manifestar una vez más sobre la heroica España. La Nación elegida por Dios como principal instrumento de evangelización del Nuevo Mundo y como baluarte inexpugnable de la fe católica, a-

ac caritatis vestrae fortitudinem tot tamque strenuis doloribus probatam coronare dignatus est.

Cum sollicitudine simul et fiducia exspectabat s. m. Praedecessor Noster istam a Divina Providentia constituendam pacem, fructum utique fecundae illius benedictionis quam Ipse exordiente bello impertitus est « iis omnibus qui difficile ac periculosum pensum sibi assumpserant defendendi atque instaurandi Dei religionisque iura et decus »; neque Nos dubitamus quin ista pax ea futura sit quam Ille iam tunc est auspicatus: « nuntia videlicet venturae tranquillitatis in ordine et honoris in prosperitate ».

Dei providentiae consilia, amatissimi filii, denuo his temporibus super fortissima Hispania palam fiunt. Natio a Deo olim electa ut praecipue per eam Novo Orbi evangelium ferretur, fides vero catholica tamquam inexpugnabilibus moenibus defenderetur, nunc

tur: scilicet, quas per universum orbem dispersas habent deletrices vires, eas ad Hispanum populum scite congregaverunt, ut earum efficacitatem ibi velut in summo quodam periculo experirentur (3). Hoc quidem verum est Omnipotentem Deum ad hoc usque tempus minime voluisse, ut haec pravorum hominum consilia in Hispaniam omnino praevalerent, at nihilominus eorum aliquos miserandos effectus permisisse, ut omnibus clare pateret, persequutores religionis, cum funditus evertant iustitiae et caritatis fundamenta, quae in amore Dei inque divinorum praeceptorum observantia consistunt, facile posse ipsam hominum societatem incredibili bonorum omnium ruina et animorum discordia pessumdare (4).

Haec autem cum sibi probae Hispanorum gentes persuasissent, qua peculiari insigniuntur magnanimitate ac sinceritate, operi sese protinus accingunt pro perfecta illa fidei christianaque civilizationis forma propugnanda, quae in opimis Hispanorum terris floret penitusque animis eorum insidet. Atque ipsius Dei ope, « qui non deserit

---

caba de dar a los prosélitos del ateismo materialista de nuestro siglo la prueba más excelsa de que por encima de todo están los valores eternos de la religión y del espíritu. La propaganda tenaz y los esfuerzos constantes de los enemigos de Jesucristo parece que han querido hacer en España un experimento supremo de las fuerzas disolventes que tienen a su disposición repartidas por todo el mundo; y aunque es verdad que el Omnipotente no ha permitido por ahora que lograran su intento, pero ha tolerado al menos algunos de sus terribles efectos, para que el mundo viera, cómo la persecución religiosa, minando las bases mismas de la justicia y de la caridad, que son el amor de Dios y el respeto a su santa ley, puede arrastrar a la sociedad moderna a los abismos no sospechados de inicua destrucción y apasionada discordia.

atheismi ac materialismi hodierni sectatoribus luculentissime demonstravit aeterna religionis atque animi munera super cetera omnia excellere. Tenaci suae doctrinae propagatione suisque perpetuis conatibus Iesu Christi inimici sibi proposuisse videntur summo quodam periculo eas deletrices vires in Hispania probare quas per universum orbem dispersas habent; et quamquam Omnipotens hactenus passus non est ut suum intentum persequerentur, permisit nihilominus saltem aliquot ipsius consilii terribiles effectus, ut mundus universus videret quomodo persecutio religiosa ipsa iustitiae et caritatis fundamenta, Dei nimirum amorem et eius sanctae legis observantiam subvertendo, societatem modernam in nec opinatam perniciem iniquae ruinae et acerrimae discordiae detrudat.

sperantes in se» (Iudith 13, 17), gentes Hispanae eorum impetus prorsus cohibuerunt, qui pro erigendis pauperibus decertare autumabant, cum tamen pro atheismi dumtaxat propagatione debellare cogerentur (5).

Prima igitur haec vestrae victoriae significatio Nos spei altrix movet, ut quam ineluctabiliter de divina misericordia confidamus, quae ad antiquum vos idque tutissimum vestrae catholicae gloriae decus ornamentumque elevabit; ad illum inquam splendorem, qui Hispanos cives omnes, unanimi conatu in integra societatis vita reficienda adlaborantes, illuminet et veluti ex alto dirigat, ut ad nobilissimas suas, cum Hispaniarum historia omnino consentaneas, easque catholicas pietatis, fidei et civilizationis institutiones, totos sese componant.

Quamobrem omnes Catholicae Hispaniae Rectores Ecclesiarumque Pastores adhortamur, ut amore perfusi errantium mentes erudiant, edoceantque quaenam pravae radices sint, ex quibus tot eorum calamitates ortum habuere; quas profecto Materialismum atque Laicismum esse repe-

---

Persuadido de esta verdad el sano pueblo español, con las dos notas características de su nobilísimo espíritu, que son la generosidad y la franqueza, se alzó decidido en defensa de los ideales de fe y civilización cristianas, profundamente arraigados en el suelo fecundo de España; y ayudado de Dios, «que no abandona a los que esperan en El» (Judit XIII, 17), supo resistir al empuje de los que, engañados con lo que creían un ideal humanitario de exaltación del humilde, en realidad no luchaban sino en provecho del ateismo.

Este primordial significado de vuestra victoria Nos hace concebir las más halagüeñas esperanzas, de que Dios en su misericordia se dignará conducir a España por el seguro camino de su tradicional y católica grandeza; la cual ha de ser el norte que oriente a todos los españoles, amantes de

Quam veritatem cum sibi probus Hispanicus populus persuasam haberet, duabus nobilissimi eius animi proprietatibus insignitus, magnanimitate videlicet et sinceritate, animose surrexit ad eas eximias fidei et cultus christiani formas tuendas quae altas in opimo Hispaniae solo radices immiserunt; et auxiliante Deo, «qui non deserit sperantes in se» (*Judith* XIII, 17), illorum impulsui restitit, qui humano, ut putabant, humiles sublevandi consilio in errorem inducti, revera non decertabant nisi in atheismi commodum.

Haec prima victoriae vestrae significatio in nobis dulcissimam fiduciam generat Deum misericordem dignaturum esse Hispaniam per securam viam avitae et catholicae eius magnitudinis ducere; quae tamquam polus sit oportet quo Hispanis cunctis religionis suae et patriae amanti-

rietis, e quibus, nisi funditus resecentur, eadem iterum mala repullulare possunt. Edocete, inquam, homines illa iustitiae tam individualis quam socialis principia, quae ex Evangelio deprompta ubique Ecclesia praedicat, quaeque si deficiant, pax et prosperitas gentium vel in populis quam potentissimis, languescant necesse est (6).

Haud quidem dubii haec fieri a vobis speramus; cuius rei Nos certiores faciunt tum supremus vestrae gentis Moderator, qui se praestantissimum christianissimumque virum in lucem ostendit, tum quoque permulti eius iique fidelissimi adiutores, qui Sedis Apostolicae doctrinam exsequentes, suprema religionis commoda, civilisque pariter societatis bonum legibus atque mandatis tecta esse praescripserunt (7). Haec eadem praeterea tota spes nititur in ipsis vestris zelantibus Episcopis et Sacerdotibus, sapientia praeditis ac dolorum igne probatis, necnon in omnibus quibusque Hispaniarum incolis, qui in dificillimis rerum adiunctis constituti fidei exempla, pietatis, plenaeque animi deditionis quam luculentissima praebuerunt.

---

su Religión y de su Patria, en el esfuerzo de organizar la vida de la Nación en perfecta consonancia con su nobilísima historia de fe, piedad y civilización católicas.

Por esto exhortamos a los Gobernantes y a los Pastores de la Católica España, que iluminen la mente de los engañados, mostrándoles con amor las raíces del materialismo y del laicismo de donde han procedido sus errores y desdichas, y de donde podrían retoñar nuevamente. Proponedles los principios de justicia individual y social, sin los cuales la paz y prosperidad de las naciones, por poderosas que sean, no pueden subsistir, y son los que se contienen en el Santo Evangelio y en la doctrina de la Iglesia.

No dudamos que así habrá de ser, y la garantía de Nuestra firfe esperanza son los nobilísimos y cristianos sentimientos, de que han dado pruebas inequívocas el Jefe del Estado y tantos caballeros

bus, vitam vero nationis ordinare conantibus, recta via monstretur, ut haec cum nobilissima eius historia seu catholicae fidei, pietatis et cultus, perfecte congruat.

Quamobrem catholicae Hispaniae Rectores et Pastores hortamur ut eorum qui decepti sunt mentes illuminent, iis cum amore revelando materialismi et laicismi radices, unde orti sunt eorum errores ac calamitates et unde denuo nasci possint. Proponite iis iustitiae individualis et socialis principia, sine quibus pax et prosperitas nationum, etsi potentissimae sint, non possunt subsistere: ea porro sunt quae sancto Evangelio et Ecclesiae doctrina continentur.

Non dubitamus quin ita eveniat, et firmissimam Nostram spem spondent nobilissimi et christiani sensus quorum certissima specimina dederunt Caput Nationis totque viri, eius fideles adiutores,

Nunc vero cum in mentem veniunt omnia rerum excidia in bello comparata, quo crudelius aliud inter recentiora civium bella nullum exstitit, Nos pia veneratione compulsi, proclinato capite, in memoriam revocamus omnes illos Episcopos, Sacerdotes, Religiosorum utriusque sexus coetuum alumnos, denique fideles cuiusvis tum aetatis tum etiam vitae conditionis, qui fere innumerabiles fidem erga Christum et catholicae religionis amorem sanguine suo sancte obsignaverunt: « Maiorem — namque — hac dilectionem nemo habet » (Io. 15, 13) (8).

Nostrum etiam esse omnino ducimus iis omnibus gratias exhibere, qui pro sacris, quae abalienari nequeunt, Dei ac religionis iuribus in tuto collocandis invicti contenderunt, sive in ipsa exercitus acie dimicantes, sive etiam in nosocomiis carceribusque magnum caritatis christianae et ineluctabile opus praestantes.

Neque vero abscondere moerorem possumus, quo Nos

---

sus fieles colaboradores con la legal protección que han dispensado a los supremos intereses religiosos y sociales, conforme a las enseñanzas de la Sede Apostólica. La misma esperanza se funda además en el celo iluminado y abnegación de vuestros Obispos y Sacerdotes, acrisolados por el dolor, y también en la fe, piedad y espíritu de sacrificio, de que en horas terribles han dado heroica prueba las clases todas de la sociedad española.

Y ahora ante al recuerdo de las ruinas acumuladas en la guerra civil más sangrienta que recuerda la historia de los tiempos modernos, Nos con piadoso impulso inclinamos ante todo nuestra frente a la santa memoria de los Obispos, Sacerdotes, Religiosos de ambos sexos y fieles de todas edades y condiciones que en tan elevado número han sellado con sangre su fe en Jesucristo y su amor a la Religión católica: « maiorem hac dilectionem nemo habet », « no hay mayor prueba de amor » (Joan. XV, 13).

cum summa religionis civilisque societatis commoda legibus cum ipsa Sanctae Sedis doctrina consentaneis tueri voluerunt. Eadem fiducia nititur praeterea illuminato zelo et sui deditione vestrorum Episcoporum ac Sacerdotum, quos dolor tamquam ignis purgavit; nititur demum fide, pietate et magnanimitate quas horis terribilibus omnes societatis Hispanicae ordines ostenderunt.

Nunc igitur, cum ruinas recordamur cruentissimo civili bello quod historia modernorum temporum memoret congestas, Nos miserenti animo impulsi inclinamus imprimis frontem Nostram memoriae Episcoporum, Sacerdotum, Religiosorum utriusque sexus et fidelium omnis aetatis et conditionis qui tanto numero sanguine fidem suam in Iesum Christum et suum religionis catholicae amorem sigillaverunt: « Maiorem hac dilectionem nemo habet » (*Ioann.* XV, 13).

amare valde in praesentiarum afficit insontium tot parvulorum recordatio, qui a parentibus suis avulsi ad longinquas usque terras proficisci iussi sunt, et quidem multoties non sine perversionis morum et fidei abiciendae periculis. Nihil igitur vehementius exoptamus quam ut isti pueri eorum familiis reducantur, ubi ferventia iterum christiani suorum amoris obsequia experiantur (9). Illos vero, qui quondam a paterna domo prodigi aberrantes, nunc demum ad eandem se recipere tentant, benevolentia certe atque amore admittendos esse non dubitamus.

Vestrum quidem est, Venerabiles Fratres Episcopi, omnes admonere ut ad perennem Status pacem firmandam illis mutuae reconciliationis principiis obtemperent, quae ab Ecclesia propugnantur et a « Generalissimo » tanta cum ingenuitate proclamata sunt, videlicet: crimina iustitiae legibus tractanda, iis vero qui falso sint decepti benevola magnanimitas tribuenda. Nostram quoque Paternam sollicitudinem isti delusi minime effugiunt, quos blandimentis ac falsis promissis mendax perversarum sententiarum

---

Reconocemos también nuestro deber de gratitud hacia todos aquellos que han sabido sacrificarse hasta el heroismo en defensa de los derechos inalienables de Dios y de la Religión, ya sea en los campos de batalla, ya también consagrados a los sublimes oficios de caridad cristiana en cárceles y hospitales.

Ni podemos ocultar la amarga pena que nos causa el recuerdo de tantos inocentes niños, que arrancados de sus hogares han sido llevados a lejanas tierras con peligro muchas veces de apostasía y perversión: nada anhelamos más ardientemente que verlos restituidos al seno de sus familias, donde volverán a encontrar ferviente y cristiano el cariño de los suyos. Y aquellos otros, que como hijos pródigos tratan de volver a la casa del Padre, no dudamos que serán acogidos con benevolencia y amor.

Agnoscimus quoque Nostrum esse gratias agere omnibus illis qui se ipsi ingenti animi fortitudine dederunt ad defendenda Dei et religionis iura, quae abalienari non possunt, sive in acie dimicaverunt, sive in carceribus et nosocomiis sublimibus christianae caritatis officiis se consecrarunt.

Neque celare possumus amarum moerorem quem in Nobis excitat memoria tot innocentium infantum qui e suis domibus avulsi in terras longinquas deducti sunt, non raro cum periculo defectionis a fide et perversionis: nihil cupimus ardentius quam ut eos videamus in sinum familiarum suarum restitutos, ubi iterum reperient ferventem et christianam suorum dilectionem. Illi vero qui tamquam filii prodigi in domum Patris redire student, non dubitamus quin cum benevolentia et amore recipiendi sint.

praedicatio miseros fefellit (10). In hos ergo patientia et suavitate lucrandos pro vestra pastorali sollicitudine maxime incumbite, preces ad Deum pro illis fundite, illos quaerite, eos regeneratos coetui Ecclesiae restituite et ad exspectatissimum Patriae gremium revocate, ut ipsos denique ad miserentissimum Patrem adducere valeatis, qui illos porrectis brachiis excipiet.

Agitedum, filii dilectissimi, et caelestem pacis arcum Hispaniarum fines fulgidis suis radiis protegentem dum conspicimus, omnes una simul gratiarum actionis hymnis Deum pacis acclamemus, unanimesque pro omnibus, qui mortem oppetivere, gratiam et misericordiam a Domino efflagitemus. Ut autem haec pax perennis feraxque persistat, quam instantissime possumus vos admonemus, ut sitis omnes « solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis » (Ephes. 4, 3). Quo fiet ut concordes et venerandis Episcopis vestris obtemperantes, magno cum gaudio et absque mora ea omnia in integrum reficiatis quae a vobis Deus et Patria nunc reficienda vehementer expostulant.

A Vosotros toca, Venerables Hermanos en el Episcopado, aconsejar a los unos y a los otros, que en su política de pacificación todos sigan los principios inculcados por la Iglesia y proclamados con tanta nobleza por el Generalísimo: de justicia para el crimen y de benévola generosidad para con los equivocados. Nuestra solicitud, también de Padre, no puede olvidar a estos engañados, a quienes logró seducir con halagos y promesas una propaganda mentirosa y perversa. A ellos particularmente se ha de encaminar con paciencia y mansedumbre Vuestra solicitud Pastoral: orad per ellos, buscadlos, conducidlos de nuevo al seno regenerador de la Iglesia y al tierno regazo de la Patria, y llevadlos al Padre misericordioso, que los espera con los brazos abiertos.

Ea pues, queridísimos hijos, ya que el arco iris de la paz ha

Vestrum est, Venerabiles fratres in episcopatu, utrisque consilium dare ut in sua civilis pacificationis opera principia ab Ecclesia inculcata et tanta cum nobilitate a Generalissimo proclamata sequantur: iustitiae erga scelus, benignae magnanimitatis erga deceptos. Nostra sollicitudo, quae paterna quoque est, non potest oblivisci istos errantes quos falsae et perversae doctrinae propagatio illecebris et promissionibus seducere potuit. Ad illos imprimis convertenda est, cum patientia et mansuetudine, vestra pastoralis sollicitudo: orate pro illis, quaerite illos, ducite eos denuo ad sinum Ecclesiae, quo regenerentur, et ad tenerum Patriae gremium, et attollite eos ad Patrem misericordem qui eos brachiis expansis praestolatur.

Agite dum, dilectissimi filii, quoniam iris pacis iterum in cae-

Auspicem vero plurimarum gratiarum, quas adprecantibus Immaculata Virgine et Iacobo Apostolo Hispaniarum patronis, obtinebitis, pignusque donorum quae vobis praestantissimi tot Hispani caelites meruerunt, Apostolicam Nostram Benedictionem supra vos, filii Catholicae Hispaniae Nobis dilectissimi, supra totius vestri populi supremum Moderatorem eiusque perillustre Gubernium, supra zelantes Episcopos et patientissimos clericos, supra heroicos milites, supra omnes tandem Christi fideles benigne impertimus.

---

vuelto a resplandecer en el cielo de España, unámonos todos de corazón en un himno ferviente de acción de gracias al Dios de la Paz y en una plegaria de perdón y de misericordia para todos los que murieron; y a fin de que esta paz sea fecunda y duradera, con todo el fervor de Nuestro corazón os exhortamos a «mantener la unión del espíritu en el vínculo de la paz» (Ephes. IV, 3). Así unidos y obedientes a vuestro venerable Episcopado, dedicaos con gozo y sin demora a la obra urgente de reconstrucción, que Dios y la Patria esperan de vosotros.

En prenda de las copiosas gracias, que os obtendrán la Virgen Inmaculada y el Apóstol Santiago, patronos de España, y de las que os merecieron los grandes Santos españolos, hacemos descender sobre vosotros, Nestros queridos hijos de la Católica España, sobre el Jefe del Estado y su ilustre Gobierno, sobre el celante Episcopado y su abnegado Clero, sobre los heroicos combatientes y sobre todos los fieles, Nuestra Bendición Apostólica.

lo Hispaniae splendet, uniamur omnes ex toto animo ferventissimo actionis gratiarum hymno erga Deum pacis, veniae autem ac misericordiae precatione pro illis omnibus qui mortui sunt; et ut ista pax fecunda sit et diuturna, toto cordis nostri fervore vos hortamur ut velitis «servare unitatem spiritus in vinculo pacis» (*Ephes.* IV, 3). Sic uniti et vestri venerabili Episcopatui obedientes, dedicate vos cum gaudio et sine mora urgenti operi restaurationis quod Deus et Patria a vobis exspectant.

In pignus uberrimarum gratiarum quas vobis a Deo consequentur Virgo Immaculata et S. Iacobus Apostolus, Hispaniae patroni, et earum gratiarum quas vobis meritati sunt magni Sancti Hispani, volumus ut descendat super vos, nostros carissimos filios catholicae Hispaniae, super Caput Nationis huiusque clarum Magistratum, super zelo ferventem Episcopatum et muneri suo addictissimum Clerum, super fortissimos milites et super cunctos fideles Nostra Benedictio Apostolica.

Annotationes

1 - Allocutio ad Hispanos exsules anno 1936 (*AAS* XXVIII [1936] p. 380).

2 - *L. c., p.* 381. Bello finito PIUS XII palam agnoscit id ipsum, quod PIUS XI ineunte bello annuntiabat: fidem videlicet ac religionem causas praecipuas fuisse, quae sic dictos « Nationales » ad civile bellum agendum cogebant, quod sane hispani Episcopi in eorum celebri epistula abunde demonstraverunt. Cf. *Periodica* XXVI [1937] p. 518-542. Communistae quidem, favore preli internationalis freti, contrarium omnino persuadere omnibus satagebant, atque catholicos non paucos, pro dolor, fefellerunt: unde evenit ut in hac re sane gravissima Communistarum fautores unanimes toto orbe exhiberentur, catholici vero discordes, etsi Episcoporum vox et insontium innumerabilium sanguis pro veritate eloquentissime reclamarent. Cf. *La Civiltà Cattolica* 1937, III, p. 481 ss.; 1938, II, p. 39 ss.; *L'Osservatore Romano,* 17 ian. 1939; *Ciencia Tomista,* LVI [1937] p. 40 ss., p. 177 ss.; LVII [1937] p. 356 ss.; *Razón y Fe* CXV [1938] p. 157 ss.

3 - Haec omnino consonant iis, quae PIUS XI pronuntiaverat in Nuntio radiophonico die 24 decembris 1936 (*AAS* XXIX [1937] p. 6.; *Periodica* XXVI [1937] p. 41 ss.).

4 - In iis monentur omnes ut in Hispaniae experimento Providentiae monitum perspiciant et omnino caveant ab illis qui cum sint Deo ac religioni infensi ad nullum alium finem tandem populos ducunt quam ad animorum discordiam et plenam ipsius civilis consortii ruinam. His similia PIUS XI iam in litteris Encyclicis *Ubi arcano* anno 1922 monuerat (*AAS* XIV [1922] p. 679). Uterque Pontifex communistas in primis respiciunt, quibus civilem ac religiosum principiis christianis superstructum rerum ordinem prorsus pervertere maxime in votis est. Cf. Litteras Encyclicas anni 1937 *Divini Redemptoris, Fir-*

missimam constantiam, Mit brennender Sorge. Cf. *Periodica* XXVI [1937] p. 227 ss., 299 ss., 401 ss.

5 - Saepe etiam alias per totum hunc Nuntium radiophonicum Summus Pontifex insigne Hispanorum Catholicorum exemplum proponit omnibus ad imitandum, qui pro fide et civilizatione christianis propugnandis tam strenue decertaverunt, tantasque afflictationes ad extremum multoties usque halitum perpessi sunt.

6 - Pacis fundamentum esse iustitiam, sententia est quam ipse Pontifex in homilia die Resurrectionis anni 1939 pronuntiata pulcherrime explanavit, dum propheticum illud, Sibi valde carum, effatum commentatus est: « Opus iustitiae Pax » (Isai. 32, 17). Cf. *AAS* XXXI [1939] p. 149; et huius *Periodicorum* tomi p. 248 ss..

7 - His laudantur sine dubio, non solum mandata quamplurima, quibus ablatorum Ecclesiae bonorum restitutio praescripta fuit, sed etiam leges praesertim illae quibus de novo ordinantur tam iuvenum institutio in scholis quam laboris operariorum praestatio, doctrinae catholicae principiis omnino consentaneae.

8 - Pulcherrima quidem commemoratio innumerabilium Christi martyrum hispanorum, qui nostris diebus Ecclesiae Catholicae summo decori fuerunt. Horum plurimi facile poterunt ad caelitum honores evehi, interea tamen post hanc in eorum laudem Summi Pontificis recordationem, admirationi et imitationi fidelium merito a nobis commendari possunt.

9 - Huius miserandi facti, dispersionis videlicet puerorum et periculorum fidei morumque quibus obnoxii in Russia praesertim ac Mexico derelicti sunt, optimas aliquas et omnino fidedignas notitias habemus in *Razón y Fe* CXIII [1938] p. 385 ss..

10 - Nunquam satis dolenda quidem est haec pertinax calumniarum, mendaciorum et perversarum doctrinarum propagatio, quae tot malorum in Hispania causa praecipua iure dici potest, et a cuius influxu minime im-

munia reperta sunt periodica bene multa etiam catholica quaedam. Utinam efficaci aliqua ratione saltem inter catholicos in praxim deduci posset illa S. Pauli sententia, quam sibi Pontifex « veluti sacrum mandatum » observandam praefixit: « Veritatem facientes in caritate » (*Ephes.*, 4, 15). Cf. *AAS* XXXI [1939] p. 128.

S.

19 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Epistula 20 april. 1939

AD EMUM P. D. ALOYSIUM TIT. S. PUDENTIANAE S. R. E. PRESB. CARDINALEM MAGLIONE, A PUBLICIS ECCLESIAE NEGOTIIS: UT UBIQUE TERRARUM MENSE MAIO PECULIARES SUPPLICATIONES DEIPARAE VIRGINI PRAESERTIM A PARVULIS FUNDANTUR, AD MUNUS CHRISTIANAE PACIS POPULIS GENTIBUSQUE OMNIBUS DIVINITUS IMPETRANDUM.

(*AAS* XXX) [24 april. 1939] p. 154 s.)

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quandoquidem in gubernanda Catholica Ecclesia tam prope Nobis assides, nosti profecto quam vehementer Nos exoptemus a Deoque contendamus, ut, rebus animisque iustitia caritateque compositis, christiana pax in populis ac gentibus omnibus, anxiis in praesens ac trepidis, tuta tandem aliquando ac secura stabiliatur. Ad pulcherrimum enim eiusmodi Dei munus assequendum vixdum Supremi Pontificatus apicem attigimus, non modo omnes, quotquot in Christo habemus ubique terrarum filios paterno sumus adhortati animo, sed Nationes etiam universas earumque moderatores; quam quidem invitationem hortationemque sollemni Paschatis die iteravimus, cum in Petrania Basilica, innumerabili multitudine stipati, pontificali ritu divina litavimus hostia, concordiam omnibus tranquillita-

temque a Christo Domino, mortis victore ac caelestium largitore munerum, implorantes. — In praesens vero, dum mensis Maius adventat, quo mense Christifideles peculiares preces Deiparae Virgini admovere assolent, vehementer cupimus ut hac potissimum de causa in singulis Dioecesibus in singulisque paroeciis impensissimae supplicationes adhibeantur. At eos praesertim ac nominatim ad sacram eiusmodi precum contentionem compellamus, quos ut Divinus Redemptor, ita Nos, qui eius in terris personam gerimus, teneriore animo dulcissimaque caritate complectimur; eos scilicet qui in primo aetatis flore innocentia nitent, suavitate et gratia. Ad Magnae Dei Parentis aram patres matresque familias filios suos, vel tenellulos, cotidiano pioque more conducant; eosque, una cum viridarii sui agrorumque floribus unaque cum sua ac puellorum prece, Beatae Virgini offerant. Ac quomodo poterit caelestis Mater tot supplicantium vocibus renuere, qui pacem civibus, populis ac gentibus impetrent? Quomodo poterit, si cum caelorum angelis nostri concinant pueruli precantes, qui veluti huius mundi angeli vocari queunt? Innumeris videlicet exorata precibus Deipara Virgo Maria eam, quae modo omnes commovet, causam in suam tutelam accipiet; ac Divinum Filium suum, tot tantisque sceleribus offensum, benigna propitians, ab eodem christianam animis requietem fraternamque populis concordiam, sedatis rerum fluctibus, implorabit. Ac ipsemet Christus Dominus, qui dum in terris agebat, singulari prorsus amoris affectu insontem diligebat aetatem; quique apostolos a suo ipsius amplexu puerulos arcentes increpabat dicens: « Sinite parvulos venire ad me... talium est enim Regnum Dei »; (1) ipsemet, inquimus, Christus Dominus quasnam poterit facilius admittere preces, quam puerorum, qui candidas innocentesque manus ed eum ad eiusque Matrem supplices attollant? — Quandoquidem igitur, ut Decessoris Nostri

(1) Marc., X, 14.

immortalis memoriae Leonis Magni verbis utamur, « amat Christus infantiam, quam primum et animo suscepit et corpore; amat Christus infantiam, humilitatis magistram, innocentiae regulam, mansuetudinis formam »; (2) si ubique gentium, in urbibus, in oppidis, ac vel in remotioribus viculis, ubicumque Evangelii lux affulsit, ad sacras aedes per proximum mensem puerorum multitudo deprecatura accedet, fore sperandum confidimus ut meliora tempora, mutuis restinctis simultatibus ac tranquillatis rebus animisque, populorum consortioni, auspice Deipara Virgine, arrideant.

Quapropter tibi, Dilecte Fili Noster, per has litteras mandamus ut, quo aptiore duxeris modo, paterna haec vota atque hortamenta Nostra omnibus nota reddas, ita quidem ut eadem — sacris Pastoribus suasoribus ac ducibus — ad effectum feliciter deducantur.

Interea vero suavissima spe freti, atque animo iam praecipientes fructus, quos ex hac puerilium precum quasi sacra contentione orituros confidimus, cum tibi, Dilecte Fili Noster, tum iis singulis universis filiolis Nostris, sane carissimis, qui ultro libenterque hortationi huic Nostrae respondebunt, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino dilargimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xx mensis Aprilis, anno MDCCCCXXXIX, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. XII

(2) MIGNE, *P. L.* 54, 258 s.

20 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 22 martii 1939

DE COMPETENTIA IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS, ET DE IURE PROMOTORIS IUSTITIAE ACCUSANDI MATRIMONIA ACATHOLICORUM

(*AAS* XXXI [31 mart. 1939] p. 131)

DUBIA

Propositis Supremae huic Sacrae Congregationi Sancti officii sequentibus dubiis:

I. Utrum decisio Supremae S. Congregationis S. Officii data die 18 Ianuarii 1928 ad I., qua nempe declaratum fuit acatholicos in causis matrimonialibus actoris partes agere non posse, spectet tantum Tribunal S. Romanae Rotae, an etiam Tribunalia dioecesana;

II. Utrum Promotor Iustitiae, vi canonis 1971, nulla praehabita facultate a S. Officio, matrimonium accusare possit si nullitas matrimonii fuerit denuntiata a coniuge acatholico.

Feria IV, die 15 Martii 1939

Eminentissimi ac Rev.mi PP. DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum Voto, respondendum decreverunt:

Ad I.: *Negative* ad primam partem; *Affirmative ad alteram*, seu: *spectare etiam Tribunalia dioecesana.*

Ad II.:*Negative, nisi publicum bonum, Ordinarii iudicio, id postulet.*

Et Sabbato, die 18 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XII, in audentia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 22 Martii 1939.

R. Pantanetti, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

21 - S. Congregatio Rituum
Decretum 4 ian. 1939

NORMAE SERVANDAE
IN CONSTRUENDIS PROCESSIBUS ORDINARIIS SUPER CAUSIS HISTORICIS

(*AAS* XXXI [24 april. 1939] p. 174 s.)

De Causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei admodum sollicitus, SS.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, iudicialis formae veterem morem ac ordinem, in Causis historicis seu antiquis, renovandos censuit, praesertim circa ea quae ad probationes referuntur; quod opportune sancitum fuit per *Motu Proprio* diei 6 Februarii 1930. Ad praescripta idcirco Summi Pontificis rite exequenda, ipsa rerum natura suadente atque experientia duce, opus visum est necessarium congruas statuere normas fideliter servandas ad Processus Ordinarios in Causis historicis instituendos. Huius rei causa, Sacra haec Rituum Congregatio, prae oculis habens quae ad rem in Codice Iuris Canonici statuuntur, peculiares quae sequuntur addit normas:

1. — Antequam Processus instituatur, Ordinarius, audito Fidei Promotore seu Fiscali, Commissionem instituat trium membrorum, quorum peritia circa historicas methodos et circa archivales investigationes omnino sit probata. His competit « in solidum » officium colligendi omnes fontes scriptos circa vitam, virtutes vel martyrium, antiquam famam sanctitatis vel martyrii, aut antiquum cultum Servi Dei.

2. — Si Servus Dei ad aliquam religiosam Familiam pertinuerit, duo Commissionis membra eidem religiosae Familiae extranei esse debent.

3. — Qui sunt membra Comissionis induci debent uti « testes ex officio », tum in Processum super perquisitione

scriptorum, in quo scripta Servi Dei quae suis investigationibus ipsi invenerint deponent, tum in Processum super fama sanctitatis, virtutum vel martyrii et miraculorum. In hoc altero Processu iisdem erit enumerare ac describere singillatim quas iusi peregerint investigationes. Praeterea sub sanctitate iuramenti declarare debent: 1° omnes investigationes peregisse ac omnia collegisse quae ad Servum Dei quomodocumque referri possint; 2° nullum documentum aut textum adulterasse vel mutilasse. Iidem vero testes interrogandi quoque sunt circa authenticitatem et valorem singulorum documentorum vel textuum allatorum.

4. — Documenta et testimonia scripta, in praedicta investigatione collecta, inseri debent in Processum, aut in originali, aut in originalis copia photographice expressa, aut in exemplo authentice recognito.

5. — Testes omnes, in responsionibus ad interrogatoria et ad articulos circa vitam, virtutes, antiquam famam sanctitatis vel martyrii, aut antiquum cultum, omnes notitias omittant, quae ipsis ex lectione tantum testimoniorum scriptorum innotuerunt.

Has normas, SS.mus D. N. Pius Papa XI, in audientia infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto die 4 Ianuarii 1939 concessa, ratas habuit et ab omnibus quos spectat servandas omnino praescripsit. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, die 4 Ianuarii 1939.

C. Card. Salotti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

ACTA EPISCOPALIA

22 - Exc. Episcopus Brugensis
Decretum 14 mart. 1939

DE BENEDICTIONE NUPTIALI EXTRA MISSAM

(*Collationes Brugenses*, XXXIX [mart.-april. 1939] p. 152 s.)

Die 11 febr. 1939 ad S. C. Rituum sequentem misimus supplicam:

Hodiernus Episcopus Brugensis humiliter postulat facultatem concedendi suis sacerdotibus licentiam dandi benedictionem nuptialem extra Missam, vel adhibendi preces recitandas extra Missam, quando benedictio nuptialis non permittitur, secundum formulas quas exhibet Rituale Romanum in appendice « De Matrimonio » (1).

Ratio est quia praesertim in civitatibus sat frequenter Missa non petitur atque adeo nupturientes privantur benedictione nuptiali. Et Deus...

Ad quam petitionem recepimus indultum hic transumptum:

Brugen.

Excmus ac Revmus Dominus Episcopus Brugensis in Belgio humillime efflagitavit ut in sua dioecesi duabus liceat uti formulis approbatis pro benedictione nuptiali, extra Missam, et pro precibus recitandis super coniuges, item extra Missam, quando benedictio nuptialis non permittitur. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi tributis, benigne annuit pro gratia iuxta pre-

(1) Formulas invenies in *Libro manuali*, ed. 3, p. 48 s. et p. 50.

ces ad proximum quinquennium; servatis de cetero servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Februarii 1939.

Carolus Card. Salotti, *Praef.*

Sigillum

A. Carinci, *S. R. C. Secretarius.*

Itaque:

1. Parochi conentur servare usum celebrandi matrimonium cum Missa, in qua nupturientes solemnem benedictionem recipiant. Quam benedictionem, obtenta licentia ob Ordinario aut decano (1), etiam tempore clauso concedere possunt. Si sponsa iam fuerit solemniter benedicta, parochi, qui preces in altera formula, de qua in rescripto supracitato, exhibitas super coniuges recitare volunt, in singulis casibus facultatem a Nobis petere possunt.

2. At, cum in civitatibus plurima iam celebrentur matrimonia, quin sponsi Missam petant adeoque quin solemnem benedictionem nuptialem, infra Missam tantum dandam, recipiant, parochi illarum paroeciarum a Nobis petere possunt *facultatem generalem* concedendi *extra Missam* benedictionem nuptialem minus solemnem (in formula prima, de qua in rescripto, exhibitam), diebus et casibus quibus solemnis benedictio infra Missam permittitur. Tempore clauso neutra benedictio nuptialis concedi potest sine Ordinarii aut decani licentia, in singulis casibus petenda. Velint illi parochi, cum licentiam utendi formula Ritualis a Nobis petunt, in supplica exponere quot circiter matrimonia in sua paroecia absque benedictione solemni celebrentur.

Brugis, die 14 Martii 1939.

✠ Henricus
Episc. Brugen.

(1) *Statuta dioecesana*, n. 50, 6°. — Deinceps decanis eaedem ac Curiae episcopali solvendae sunt taxae pro dispensationibus, scil. tum pro singulis dispensationibus super proclamationibus, tum pro dispensationibus super tempore clauso: 10 fr. Cfr. *Liber manualis*, ed. 3, p. 63.

23 - Commissio Cardinalitia de Actione Catholica in Italia moderanda

Declaratio 22-23 maii 1939

(*Osservatore Romano*, 22-23 maii 1939)

Cum proximis his diebus convenisset Romae Cardinalium Commissio cui mandatum est munus Actionis Catholicae in Italia moderandae, id est Eminentissimorum Dominorum Aloysii Lavitrano, *Archiepiscopi Panormitani,* Petri Boetto, *Archiepiscopi Genuensis,* Adeodati Ioannis Piazza, *Patriarchae Veneti, cum Secretario et Assistente Ecclesiastico Generali Excellentissimo et Reverendissimo Domino* Evasio Colli, *Episcopo Parmensi, in conventuum fine redacta est rei gestae haec brevis expositio quae publici iuris fieret.*

Commissio Cardinalitia de Actione Catholica, in primo suo conventu Augusto Pontifici devotissimi sui ac gratissimi animi significationem iteravit, quod illi eam fidem adhibuit ut illam ad Actionis Catholicae, quae vividis ac pastoralibus suis curis obversatur, altam gubernationem vocaret.

Nomine totius Episcopatus Italici certum se habere professa est Clerum perseveraturum esse Actionem Catholicam « in praecipuis sacri Pastoris officiis habere » (Encycl. *Ubi Arcano*), singulosque sacerdotes participes fore cum fiduciae tum laboris gravisque officii Episcopi sui, in opera ad apostolatum Ecclesiae hierarchicum efficienter exercendum tam salutari.

Paucis verbis debitam gratiam, laudem, incitationem iis omnibus expressit qui, Actioni Catholicae adscripti, praeter propriorum sui status munerum perfunctionem, noverunt etiam ad catholicorum principiorum diffusionem atque in vita exsecutionem suimet potestatem Auctoritati Ecclesiasticae facere.

Persuasum sibi habere declaravit Politicum ac Civilem Magistratum, ratione habita art. 43 Concordati et Pactorum diei 3 septembris 1931, Episcopatui vero Italico eam fidem adhibentem quam hic in omnibus, vel Patriae difficillimis, rerum statibus se meritum esse scit, semper esse agniturum Actionem Catholicam superiores fines, spirituales, religiosos, morales, ad Ecclesiae Patriaeque utilitatem spectare, eundemque homines Actioni Catholicae adscriptos alios non esse iudicaturum quam probos cives, qui ex aperta religiosae suae fidei professione, et hac disciplinae subiecta, e plena quoque sui erga Episcopatum oboedientia, etiam ad civilem disciplinam cum conscientia et fidelitate tuendam, maiorem fortitudinem hauriant.

Laboris rationem quandam approbavit quae ad usum atque utilitatem Episcoporum et Dioecesium proximae aestatis autumnique tempore perficietur. Interea omnes operam suam in sibi commissis partibus praestare pergent.

Sibi eam curam reservavit ut, pro imposito sibi munere, de illis mutationibus fortasse in structura et Statutis Actionis Catholicae agendis deliberet, quae utiles visae sint ad copiosiores certioresque reddendos fructus quos laicatus catholicus, gignere solet, cum Episcoporum ductu horum apostolatum opera sua adiuvat. Istas mutationes quae quidem Actionis Catholicae substantiam non afficient, omnes adscripti, pro suo more, ea oboedientia recipient quae omnibus sit exemplo.

Annotatio

Constitutio huius Commissionis die 22 aprilis 1939 in ephemeride *Osservatore Romano* nuntiata est. In eo autem nuntio declaratur S. Pontificem altam gubernationem (alta direzione) Actionis Catholicae in Italia « sicut iam fit in aliis regionibus » Commissioni cuidam commisisse, quam constituunt quattuor quos nominavimus Cardinales. Commissionis secretarium idem S. Pontifex nominavit, illi simul nomen ac munera Assistentis Ecclesiastici Generalis tribuens.

ACTA SUMMATIM RELATA

24 - SS. D. N. Pius Pp. XI f. m.

A — Epistula *Iam ita pridem,* 13 sept. 1938, ad Em.mum P. D. Georgium Tit. S. Mariae de Populo S. R. E. Presbyterum cardinalem Mundelein, archiepiscopum Chicagiensem, hunc S. Pontifex Legatum mittit ad Congressum Eucharisticum e Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, Novis Aureliis peragendum (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 162 s.).

B — Epistula *Quinquennio ante,* 12 nov. 1938, ad R. P. Ildephonsum M. Clerici, congregationis clericorum regularium a S. Paulo Apostolo praepositum generalem, quarto exeunte saeculo ab obitu S. Antonii Mariae Zaccaria, ipius Societatis conditoris, S. Pontifex, nova ac pergrata utitur occasione illi ex animo gratulandi, itemque sollemnia sacra, quae in proximum annum apparantur, Sua participatione atque auctoritate cumulandi (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 164 s.).

C — Bulla *Ad catholicum nomen,* 5 ian. 1939, ex archidioecesis Columbiensis territorio pars seiungitur, qua nova erigitur dioecesis « Chilawensis » metropolitanae ecclesiae Columbensis suffraganea (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 156 ss.).

D — Bulla *Quo uberiores,* 5 ian. 1939, ex dioecesis Yokomaënsis territorio pars seiungitur, atque nova erigitur praefectura apostolica « Urawaënsis », Fratrum Minorum ordini concredenda (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 159 s.).

E — Bulla *Birmaniae Septemtrionalis,* 5 ian. 1939, Vicariatus apostolicus Birmaniae Septemtrionalis dismembratur et nova erigitur praefectura apostolica « De Bhamo », illiusque vicariatus nomen mutatur (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 161 s.).

25 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Motu proprio *Ad Pontificalem Solium,* 31 mart. 1939, Praelatis et clericis, qui in recenti Conclavi adfuerunt, sive uti

officiales suum quisque munus fideliter explentes, sive uti conclavistae S. R. E. Patres Cardinales comitantes, indultum oratorii privati conceditur, « non ea quidem mente ut habitualiter in eo celebrent, cum maxime conveniat ut sacerdos, pro hominibus constitutus, in ecclesiis ad fidelium utilitatem, praesertim diebus festis, rei divinae operetur ad aram; sed ut in quibusdam rerum adiunctis, sive ratione valetudinis sive incommodi aliave rationabili causa, oratorio privato frui valeant ». Decernitur tamen « ut gratioso hoc indulto ne utantur sine consensu proprii Ordinarii, qui prius oratorium privatum per se vel per suum delegatum visitare et probare debet; neque diebus festis solemnioribus, aliisve quos ipse Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio, forte excipere existimaverit ». Iisdem sacerdotibus insuper indulgetur ut gratias et provisiones quorumlibet beneficiorum, si quae ipsis conferantur, nec non Litteras Apostolicas de iis conficiendas semel gratuito accipiant (*AAS* XXXI [24 april. 1939] p. 141 ss.).

B — Adlocutio habita die 29 april. 1939 in sollemni audientia Sacerdotum Adoratorum Italicorum qui Romam ad Congressum Nationalem agendum convenerant: Per sacerdotes suos Christus Dominus illam promissionem exsequitur qua pollicitus est se cum Ecclesia sua fore omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Haec namque praesentia, divina simul et humana, Christi maxime in panibus ministerio sacerdotali consecratis ac conversis efficitur et continuatur. Deus autem altaris est etiam Deus arcani, Deus absconditus et sacerdotis quoque est illius praesentiae, quam oculis non videre potest, perfecta fide credere, eamque ceteris hominibus nuntiare. In eucharistia porro Dominus noster non solum praesens est sed homini appropinquare et cum eo manere vult, sacerdotum iterum ministerio utens qui apostoli esse debemus eius praesentiae, legatione pro illo fungentes. Olim beneficia sibi a Christo collata rependebat Ecclesia sollemnes atque annuas mysteriorum redemptionis nostrae commemorationes, Ordinesque ac Congregationes religiosas illius nomine insignitas instituendo, hodie praesertim in Adoratione perpetua praedicat et celebrat Domini nostri praesentiam. In quibus muneribus exsequendis exemplum perfectissimum reperiant sacerdotes adoratores in vita et opera beati Petri Iuliani Eymard, Christi praesentis et viventis in eucharistia signifer, praeco et propugnator, sacerdotum adoratorum antesignanus miles. Nonne in hoc Congressu comprobata videmus psalmi verba, quae Beati animum pulchre exprimunt: « Congregate illi sanctos eius qui ordinant testamentum eius super sacrificia » (Ps. 49, 6)? (*Osservatore Romano*, 1-2 maii 1939).

C — Adlocutio diei 2 mai 1939 in audientia Moderatoribus Pontificiorum Missionalium Operum in singulis nationibus et

Membris Consiliorum Pontificiorum Operum a Propagatione Fidei et a S. Petro Apostolo in Urbe concessa. S. Pontifex gaudet quod in exsequenda commissa sibi a Christo gravi missione ad veram fidem adducendi illam hominum multitudinem quos adhuc praemit idolorum servitus, tam sollertos providosque adiutores habet, eosque hortatur ut feliciter inceptum opus perficere non desistant et ad novos progressus adducere, praesertim quod ad Ecclesiam in singulis gentibus constituendam eique proprium ex indigenis sacros administros attribuendos spectat. Pergite, inquit, dilectissimi, omni contentione missionalibus coeptis insistere; dumque frigescit in mundo misere caritas, « quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum » (Ps. II, I) exemplo vestro ostendite terrigenas non ideo vivere, ut invidia tabescentes parricidalibus telis digladientur, sed ut aeternam felicitatem adepturi sacro foedere Deo se iungant et inter sese coniungant. Humanae consortioni attributa a Deo meta amor est, pax est, concordia et unitas est. Moderamine igitur vestro perciti et hortatibus inflammati omnes qui christiano nomine recensentur, evangelicae suavitatis odorem late fundant, sint, prout unicuique datum est, « deiferi, tempiferi et christiferi » (Ign. Mart. *ad Eph.* 9, 2). (*Osservatore Romano,* 3 maii 1939).

D — Epistula *Singulari animi delectatione,* 12 mai 1939, ad Em. D. Cardinalem Eugenium Tisserant, S. Congregationis pro Ecclesia Orientali Secretarium. Scribit S. Pontifex sese, accepto nuntio duo Pontificia in Urbe Collegia, Ruthenum et Russicum, consilium iniisse nongentesimum quinquagesimum annum a baptismate S. Wlodimiri huiusque populi Romae celebrandi, non solum approbavisse ut in ecclesia Ss. Nomini Iesu dicata triduanae supplicationes ea de causa fierent sed etiam censuisse die dominica mensis maii 21 pontificale ritus byzantini in patriarchali Basilica Vaticana agendum esse ut Sua illius eventus participatio qui selectae Christi gregis parti tantae exstat gloriae, propior quodammodo luculentiorque efficeretur. Laudatis deinde commemorati eventus spiritualibus fructibus frequentibusque rationibus quas cum S. Sede habuit S. Wlodimirus, praeterire se non posse significat « fidelitatem Cathedrae Petri exhibitam sanguinisque effusione comprobatam a catholicis ritus byzantini hominibus, quorum conferta agmina in Europa Orientali vel in utraque America notabilem Christi Ecclesiae partem constituunt ». Verum suam laetitiam non parum obscurari fatetur S. Pater tristissima rei christianae apud Russos condicio, supplicem autem precationem ad suavissimam effundere Deiparam « quam populus ille tantopere veneratur ac diligit, ut benigne inspirare velit publicae rei moderatoribus verae sensus iustitiae, quae nisi negatur a Deo, cui subiecta sunt omnia, vana est atque irrita, simulque desolatis filiis impetrare, ut quam primum

christianae fidei libertate, mirifico Altissimi dono, rursus perfrui queant ». (*Osservatore Romano,* 18 mai 1939).

26 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 3 dec. 1938, pars septentrionalis territorii comitatuum civilium *St. Maurice* et *La Violette,* pertinens ad dioecesim Haileyburensem, ab ipsa separatur atque, una cum omnibus fidelibus, dioecesi Trifluvianensi in Canada perpetuo unitur, mutatis hac ratione finibus utriusque dioecesis (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 166).

2 - Decreto 10 dec. 1938, sedes episcopalis dioecesis Haileyburensis in civitatem *Timmins* transferteur, a qua eadem dioecesis posthac « Timminensis » nuncupabitur. Ecclesia vero Deo dicata in honorem S. Antonii Patavini, in eadem civitate exstans, in cathedralem eiusdem dioecesis Timminensis erigitur, cum omnibus iuribus et privilegiis, ad tramitem iuris communis, spectantibus; suppressa idcirco cathedralitate Ecclesiae sub titulo Sanctae Crucis, in civitate *Haileybury* existentis (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 167.

27 - Sacra Congr. de Prop. Fide

1 - Decreto 13 dec. 1938, inter vicariatus apostolicos de *Lisala* et de *Oubangui Belgico* fines mutantur (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 170 s.).

2 - Decreto 13 dec. 1938, e dioecesis Lahorensis territorio pars dismembratur, quae praefecturae apostolicae Kafiristanae et Kashmirensi adiungitur (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 171 s.).

3 - Decreto 5 ian. 1939, inter vicariatus apostolicos de *Léopoldoville* et de *Matadi* fines immutantur (*AAS* xxxi [4 maii 1939] p. 181 s.).

28 - S. C. pro Eccl. Orientali

Decreto 16 nov. 1938, praescribitur ut annua relatio ad sacram congregationem mittatur a sacerdotibus ritus orientalis curam animarum habentibus extra fines sui patriarchatus, sub iurisdictione ordinarii alieni ritus, sacerdotibusque orientalibus, qui spiritualem curam praestant fidelibus sui ritus apud exteras regiones, enixe commendatur ut plenam vereque paternam sollicitudinem ipsis impendant et animas suis curis commissas ita pascant « forma facti gregis ex animo » ut de eorum labore, maximeque de profectu oviuin, gaudere possint ipsi non tantum sed etiam Ordinarii locorum ubi degunt atque Antistites ritus ad quos pertinere gloriantur (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 169 s.).

29 - S. C. Rituum

1 - *Massilien.* Decretum 11 dec. 1938, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis venerabilis servae Dei Aemiliae de Vialar, fundatricis Instituti Sororum a S. Ioseph ab Apparitione (*AAS* xxxi [24 april. 1939] p. 172 s.).

2 - *Massilien.* Decretum 26 mart. 1939, Super dubio: *an stante virtute et duorum miraculorum approbatione, Tuto procedi possit ad praedictae Venerabilis sollemnem Beatificationem* beatificationis et canonizationis ven. servae Dei Aemiliae de Vialar, fundatricis Instituti a S. Ioseph ab Apparitione (*AAS* xxxi [4 maii 1939] p. 183 ss.).

3 - *Lucen in Italia.* Decretum 26 mart. 1939, Super dubio: *an et quibus miraculis, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur* canonizationis beatae Gemmae Galgani, virginis (*AAS* xxxi [4 maii 1939] p. 186 s.).

30 - S. Romana Rota
Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae

Anno 1938

I

Causae iudicatae

A - De matrimonio

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Amentia	1	0	1
	» ex parte mulieris	1	1	0
	Affinitas ex copula illicita	1	0	1
	» » » » et vis et metus	1	1	0
	Clandestinitas	1	1	0
	Conditio apposita	3	3	0
	» » atque vis et metus	1	0	1

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Conditio apposita; error; impotentia ex parte mulieris	1	0	1
	» non impleta atque vis et metus .	1	0	1
	» vel intentio contra bonum sacramenti	1	1	0
	Defectus consensus	2	1	1
	» » , conditio non adimpleta et exclusio prolis	1	0	1
	Exclusio boni prolis	5	1	4
	» » » atque indissolubilitatis	2	0	2
	» indissolubilitatis	1	0	1
	» » et prolis	1	0	1
	Ignorantia circa essentiam matrimonii . . .	1	0	1
	Impotentia ex parte mulieris	2	0	2
	» » » » et dispensatio super rato	2	0	2
	» viri	3	1	2
	» » et dispensatio super rato .	2	1	1
	Intentio contra bonum prolis	2	1	1
	Simulatio consensus	1	0	1
	» » et vis et metus	1	0	1
	Vis et metus	27	15	12
	» » » ; clandestinitas; affinitas ex copula illicita; consanguinitas	1	0	1
	» » » ; clandestinitas; illegitima adsistentia sacerdotis celebrantis; defectus consensus . .	1	0	1
	» » » et exclusio prolis	1	0	1
	» » » et intentio contra prolem . .	1	0	1
	» » » et simulatio consensus . . .	1	0	1
		70	27	43

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuere: bis de credito, de separatione, de incidente; semel de iuribus.

II

Causae quae eodem anno 1938 transactae fuerunt vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

A - De matrimonio

	IMPEDIMEMTUM	Allegatum
NULLITATIS	Amentia viri	1
	Conditio apposita atque vis et metus	1
	Defectus consensus et amentia mulieris	1
	» » et vis et metus	1
	» formae	1
	Exclusio indissolubilitatis	2
	» boni prolis	4
	» » » et voluntas contra unitatem	1
	Intentio contra indissolubilitatem	1
	Publica honestas	1
	Reiectio libelli	3
	Simulatio consensus	1
	» , vis et metus et impotentia viri . .	1
	Vis et metus	9
	» » » et conditio apposita	1
	» » » et conditio contra indissolubilitatem	1
	» » » et exclusio boni prolis	1
	» » » » » indissolubilitatis . .	1
Nullitatis matrimonii (1)		1
		33

(1) Sine allegatione impedimenti perempta.

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuere: ter de incidente; bis de credito; semel de diffamatione, de iure funerandi, de locatione operum et damnorum, de separatione, de statu libero.

N. B. *Ex 77 causis, sub I allegatis, 43 causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.*

31 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

30 ian. 1939, R. D. Franciscus Marchesani, cathedralibus ecclesiis Cavensi et Sarnensi, ad invicem perpetuo unitis.

30 ian. 1939, R. D. Caietanus De Cicco, cathedrali ecclesiae Suessanae.

4 febr. 1939, Exc. P. D. Alaphridus Silva Santiago, cathedrali ecclesiae Ss.mae Conceptionis.

4 febr. 1939, R. D. Beniaminus Socche, cathedrali ecclesiae Caesenatensi.

3 mart. 1939, R. D. Felix Beccaro, cathedrali ecclesiae Nuorensi.

3 mart. 1939, R. D. Franciscus Cogoni, cathedrali ecclesiae Octeriensi.

3 mart. 1939, R. P. Adulphus Ciuchini, ex Ord. B. M. de Mercede redemptionis captivorum, cathedrali ecclesiae Algarensi.

32 - Nominationes

SS. D. N. Pius Pp. xii, feliciter regnans, die 10 mart. 1939, benigne dignatus est Secretarium Suum Status nominare Em.um ac Rev.um D. Cardinalem Aloisium Maglione.

Die vero 14 mart. 1939, Archipresbyterum Patriarchalis Basilicae Vaticanae, Em.um ac Rev.um D. Cardinalem Fridericum Tedeschini, datarium Suum.

Sanctitas Domini Nostri benigne dignata est consultoribus S. Congregationis *De Propaganda Fide* adnumerare R. P. Timotheum L. Bouscaren S. I. auctorem notissimi enchiridii canonici quod *Canon Law Digest* inscribitur (Vol. I, 1934, apud Bruce Publishing Company, Milwaukee, U. S. A.; Vol. II supplem., 1937, apud eundem editorem). In eo opere referuntur ordine Codicis Iuris disposita, documenta Summorum Pontificum et Curiae Romanae quae post Codicem edita, canonum interpretationem tradunt vel eorum applicationem determinant. Documenta lingua Anglica exhibentur, sive in hanc linguam ex integro vertuntur, sive brevi summario proponuntur. Eiusdem scriptoris est articu-

lus quem nuper in his *Periodicis* edidimus de Missa ex licentia Ordinarii celebrata extra Ecclesiam et oratorium vel in oratorio privato.

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

24 mart. 1939, R. P. Dominicus Desperben, e congr. SS. Cordium Iesu et Mariae necnon adorationis SS. Sacramenti altaris, Praefectus Apost.cus de *Hainan*.

24 mart. 1939, R. P. Andreas Windels, C. M. Superior ecclesiasticus Missionis sui iuris de *Bikoro*.

31 mart. 1939, R. P. Aemilianus Masse, e Soc. pro Mission. Exteris Provinciae Quebecensis, Praefectus Apost.cus de *Lintung*.

33 - Necrologium

3 dec. 1936, D. Emmanuel Irurita y Almándoz, episcopus Barcinonensis.

3 febr. 1939, D. Ioannes Franciscus Gnidovec, episcopus Scopiensis.

7 febr. 1939, D. Anselmus Polanco, episcopus Terulensis.

3 mart. 1939, D. Ferdinandus Rott, episcopus Veszprimiensis.

4 mart. 1939, D. Nicola Piccirilli, archiepiscopus Lancianensis et Administrator perpetuus Ortonensis.

13 mart. 1939, D. Philippus Mantini, episcopus Calliensis et Pergulanus.

20 mart. 1939, D. Bernardus Mahoney, episcopus Siouxormensis.

20 mart. 1939, D. Iosephus Henricus Conroy, episcopus Ogdensburgensis.

1 april. 1939, Em.us D. Cardinalis Donatus Sbarretti, episcopus suburbicarius Sabinensis et Mandelensis.

10 april. 1939, D. Iosephus Damianus Schmitt, episcopus Fuldensis.

18 april. 1939, Iosephus Americus Orzali, archiepiscopus S. Ioannis de Cuyo.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

H. J. Cicognani, *Commentarium ad librum primum Codicis Iuris Canonici*. Romae (Buona Stampa) 1939, 15×23 cm., 401 p., pretium L. 25.

Canones praeliminares - De Legibus Ecclesiasticis: De natura legis. De promulgatione et extensione legum ecclesiasticarum. De subiecto legis ecclesiasticae. De quibusdam causis quae a legis obligatione liberant. De legum ecclesiasticarum interpretatione - Normae ad supplendum silentio legis - De praeceptis.

Albert Dulery-Reyval, *Le Père Coubé* (1857-1938). Le clairon de la résistence catholique. Paris (Téqui) 1939, 12×18,5 cm., 268 p., pretium fr. 15.

L'Enfance. — Les Etudes. — Au Pays des Castes. — A Jersey. — *Tu es sacerdos in aeternum*. — Préparation oratoire. — Un début triomphal. — La succession de Mgr d'Hulst. — Carêmes et Avents. — Le rôle social du Prêtre. — Sermon sensationnel. — Les Fausses Religions. — L'âme du soldat. — Le Panégyrique de Jeanne d'Arc à Notre-Dame. — La Communion hebdomadaire. — Un projet grandiose. — L'Eglise et l'Exposition. — L'Univers chrétien à Paray-le-Monial. — Le Congrès Marial de Lyon. — L'Epopée de Lourdes. — La Prudence de Mgr Fuzet. — Conférencier. — Le Bâillon. — *Verbum Dei non est alligatum*. — Révolution et Contre-Révolution. — Les Deux Ecoles. — Le Congrès Marial de Fribourg. — La Circulaire Combes. — La Bagarre d'Aubervilliers. — Conférence sur l'Honneur. — L'Incident de Périgueux. Combes, Mgr Delamaire et le P. Coubé. — Conférences de Politique religieuse. — Une campagne électorale. — La Sécularisation. — L'œuvre Honneur et Conscience. — La Ligue de Résistance des Catholiques. — La Matraque. — Jeanne d'Arc à Orléans. Intervention de Clemenceau. — Le Congrès Marial de Saragosse. — La Béatification de Jeanne d'Arc. — Ames Juives. — Le Décret *Quam singulari*. — La Mise à l'Index des « Ames Juives ». — Le Cinquantenaire de Mireille. — La Guerre. — Nos Alliés du Ciel. — L'Honneur et le Martyre de la Belgique. — La Belgique et la France. — Le triptyque de

l'Or. — Le Spiritisme. — A Genève: Conférences françaises. — Après la Guerre. La Revue des Objections. — Carême à New-York et Conférences au Canada. — L'éloge funèbre de Marius Plateau. — Carême à Montréal. — A Wonsoket. A Chicago. — L'Ombre. — A l'Œuvre des Orphelins-Apprentis d'Auteuil. — Le Centenaire de Chaptal. — Dernières conférences. — Le Chant du Cygne. — Les Caractères de son Eloquence. — Le Prêtre. — La Mort. — L'adieu au petit curé. — Allocution de Mgr Rivière.

Armandus Gougnard, *Tractatus de Poenitentia.* Editio septima, post codicem tertiam, ad normam recentiorum decretorum accommodata. Mechliniae (Dessain) 1939, 14,5×22,5 cm., x-422 p., pretium frs. 35.

Introductio — De virtute poenitentiae — De Sacramento Poenitentiae: De essentia sacramenti — De subiecto sacramenti: De contritione. De confessione. De satisfactione. — De ministro sacramenti: De potestate ministri. De obligationibus ministri. Appendix. De abusibus in confessione. — Appendix. — Indices.

Louis Lajoie, C. J. M., *Dieu et mon âme.* A l'école de St. Jean Eudes. IV. Paris (Téqui) 1939, 12×18,5 cm., xv-144 p., pretium fr. 8.

Mon âme et sa création. — Mon âme et son baptême.

Giuseppe M. March, S. J., *B. Giuseppe Pignatelli ed il suo tempo,* versione e riduzione dallo spagnolo del P. Agostino Tesio, S. J., Torino (Società Editrice Internazionale) 1939, 15×23 cm., 627 p., pretium Lit. 25.

Nascita illustre e primi anni. In Collegio. Verso maggiori destini. Pellegrino. Virtù e studio. Studiando filosofia. Teologo e Sacerdote. Maestro di grammatica. Si scatena la tempesta contro la compagnia di Gesù. La catastrofe in Ispagna. La irragionevolezza del decreto di espulsione. Cattura di gesuiti spagnoli. Navigando verso l'Italia. In mare. Fermezza nella vocazione combattuta. Da un porto all'altro in cerca di asilo. In San Bonifazio. Nuove macchinazioni e nuova odissea. Satelliti e congiurati. Conseguenze della espulsione. Agitazione nelle Corti e tranquillità in Ferrara. Verso l'abolizione della Compagnia di Gesù. Soppressione della Compagnia di Gesù. Cambio di personaggi. Duri contrasti. Pallidi albori. Un Noviziato combattuto. Maggiore luce. Le due Memorie: Contegno del Beato. Negli ardori del Cuore divino. Nuove pene, timori e speranze. Primi tentativi di ristabilimento della Compagnia. Altri disegni frustrati e nuove vicende. In mezzo alla rivoluzione. Di nuovo nella vita comune. Maestro spirituale della Compagnia rinascente. Il primo passo decisivo per il ristabilimento universale della Compagnia. Seguendo le orme di Cristo. Provinciale d'Italia. Verso il ristabilimento della Compagnia di Gesù nel regno

delle Due Sicilie. La Compagnia ristabilita in Napoli. Trasmettendo lo spirito dell'antica Compagnia. Governo del Beato: rose e spine. Il ramoscello della Compagnia in Napoli stroncato. Ai piedi del Vicario di Cristo. Scudo dei suoi fratelli. La salvezza del piccolo gregge. Verso il tramonto. Alla patria eterna. La ricompensa. Sugli altari.

Benedictus Henricus Merkelbach, O. P., *Mariologia.* Parisiis (Desclée, De Brouwer) 1939, 16×22 cm., 424 p., pretium fr. 45.

De B. Virgine ad Deum et Christum: De Matre Dei in ordine temporis, De Matre Dei in aeterna Dei electione et praedestinatione. De B. Virgine Maria in seipsa: De B. Virgine in ordine ad perfectionem (De negativa Sanctitate Matris Dei, De positiva Sanctitate Matris Dei seu Plenitudine gratiae), De B. Virgine in ordine ad perfectionem corporis (De Perfectione corporis in hac vita seu de Virginitate Matris Dei, De Perfectione corporis post hanc vitam). De B. Virgine in ordine ad nos. De nostra ad B. Virginem habitudine.

J. Raimond, *Retraite Théologale et Evangélique de Communion solennelle et de Persévérance Chrétienne.* Paris (Téqui) 1939, 12×19 cm., 203 p., pretium fr. 12.

La grande nouvelle — Le jour de la foi: La Présence réelle. Les Mystères joyeux du Rosaire, Le Pain du Ciel — Le jour de l'espérence: Bonne santé. Les Mystères glorieux du Rosaire. Le page du Ciel — Le jour de la charité: Créez en moi un coeur pur. Les Mystère douloureux du Rosaire. Si tu savais le don de Dieu — La solennité: Avant la Communion. Après la Communion. Les voeux du baptême. Consécration à Marie — Persévérance: Le Merci idéal. La confirmation.

II - Ex Periodicis

BULLETIN DE LA SOCIETE DES MISSIONS ETRANGERES DE PARIS XVIII (1939), fasc. 208 (april.) — *** *La notion de la prière chez le païen chinois,* p. 243-7.

COLLECTANEA COMM. SYNODALIS XII (1939), fasc. 4 (apr.) — * * * *La Vie Commune dans le Clergé Séculier en Mission, en Quel Sens?,* p. 216-25.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO L (1939), fasc. 2 (febr.) — Francesco Ivrea, *L'impedimento matrimoniale canonico della cognizione legale,* p. 161-75. — Giov. Battista Migliori, *Intorno alla distinzione fra « intentio se non obligandi » e « intentio se obligandi sed non implendi »,* p. 176-81.

MONUMENTA

34 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Allocutio 11 iunii 1939

AD DUCES, OFFICIALES, MILITES CATHOLICAE HISPANIAE

(*Osservatore Romano*, 12-13 iunii 1939)

(*Versio nostra*). Salvete, duces militum, ipsique vos catholicae Hispaniae bellatores, filii nostri perquam dilecti, qui ideo huc advenistis ut Patri vestro gaudium ingens gereretis. Gaudio afficimur cum vos, qui fidem Christi et patriae vestrae culturam patienter necnon ac strenue et fideliter defendistis, contemplamur: vos, inquimus, qui, ut in nostro radiophonico nuntio diximus (1) «vitam vestram, heroum instar, pro Dei religionisque iuribus inalienabilibus propugnandis impendistis».

Memoria retinemus tristes illos dies quibus, ut verbis utamur Luciani poetae Cordubensis (2), « patriae trepidantis imago » demonstravit vobis Hispaniam sine christianis

---

Bienvenidos seais, Jefes, Oficiales y soldados de la Católica España, hijos Nuestros muy amados, que habéis venido a proporcionar a vuestro Padre un inmenso consuelo. Nos consuela ver en vosotros a los defensores sufridos, esforzados y leales de la fe y de la cultura de vuestra patria, que, como os decíamos en Nuestro Mensaje-Radio, « habéis sabido sacrificaros hasta el heroismo en defensa de los derechos inalienables de Dios y de la religión ».

Al veros ante Nos cubiertos de gloria por vuestro valor cristiano, Nuestro pensamiento se dirige sobre todo a vuestros compañeros que murieron en campaña, y Nuestro corazón de Padre se conmueve ante

---

(1) Cf. *Periodica de re morali, canonica et liturgica*, XXVIII (1939), p. 265-66.

(2) M. Annaei Lucani, *Belli civilis* L. I, vers. 186.

Vos autem cum hic adstantes aspiciamus christianae virtutis decore exornatos, mentem Nostram convertimus ad illos praesertim vestros armorum socios, qui, dum acie dimicarent, mortem oppetiverunt, simulque paternum Nostrum cor vehementer afficitur tot matrum liberalitatibus totque orphanorum lamentationibus quos a carissimis eorum familiaribus mors orbatos fecit. Hos igitur omnes admoneatis Nostro nomine, ut dolores suos doloribus Virginis Perdolentis coniungant eosque in christiana resignatione Deo offerant pro mundi pace impetranda.

moribus, sine templis insigni Christi labaro refulgentibus non iam in posterum Hispaniam fore, scilicet magnam illam Hispaniam, quae semper potentissima fuit, immo et plus quam potentissima « caballeresca », quin immo et plus quam « caballeresca » christiana, numquam amplius esse exstituram. Et quidem, hac cogitatione praelucente, fecit Deus ut in nobilissimis cordibus vestris duo amoris genera praestantissima exsurgerent: amor scilicet in religionem, quae vos securos reddit de aeterna felicitate, et amor in patriam, quae honesta huius vitae commoda vobis affert.

Haec utique amoris genera ardorem impetus vestri excitarunt eumdemque etiam in extremo vitae periculo fir-

---

la generosidad da tantas madres y ante las lágrimas de tantos huérfanos, a quienes la muerte ha privado de sus seres más queridos. Decidles de Nuestra parte que unan sus penas a las de la Virgen de los Dolores y las ofrezcan a Dios con cristiana resignación por la paz del mundo.

Recordamos aquellos días de amargura en que « la sombra de la patria vacilante » — *patriae trepidantis imago* en frase del poeta cordobés Lucano —, os hizo comprender que España, sin hogares cristianos y sin templos coronados por la cruz de Jesucristo, no sería España, aquella España grande, siempre valerosa y más que valerosa caballeresca y más que caballeresca cristiana. Y al resplandor de ese pensamiento quiso Dios que brotaran en vuestro corazón generoso dos grandes amores: el amor a la religión que os garantiza la eterna felicidad del alma, y el amor a la patria que os brinda el bienestar honesto de la presente vida.

Estos dos amores han sido los que encendieron en vosotros el fuego del entusiasmo, lo mantuvieron vigoroso en las horas del sacrificio y lo llevaron finalmente con valor al triunfo del ideal cristiano y a la victoria.

miter conservarunt, donec tandem cum victoria vestra triumphum ideae christianae reportarunt.

Nos vero illud S. Ioannis a Cruce dictum (3) memorantes « quicumque amore trahitur neque lassat neque lassatur » quam vehementissime cupimus ut eadem amoris genera vos ad patriam vestram reficiendam alliciant, ita ut non modo catholicae vestrae traditionis imitationem exprimatis sed etiam, si fieri possit, praeclarae huius traditionis facta superetis.

Firmiter igitur sperantes Nos, ut ait Apostolus (4), quod « Deus pacis et dilectionis erit vobiscum » atque copiosa dona auspicantes, impertimur vobis et illis personis ac rebus de quibus nunc cogitatis aut quas in corde geritis, necnon « Generalissimo » supremo vestro Duci eiusque fidelissimis adiutoribus, his quoque mulieribus coram adstantibus quae vobis aegrotantibus auxilio suo praesto fuerunt, vestris denique familiis ac quibusvis catholicae Hispaniae Christifidelibus Apostolicam Nostram Benedictionem.

Recordando aquel pensamiento de S. Juan de la Cruz: « el alma que anda en amor ni cansa ni se cansa », Nuestro más vivo anhelo es, que esos mismos dos amores os alienten en la tarea de reconstruir la patria, emulando y a ser posible superando las tradiciones católicas de su glorioso pasado.

Con la firme esperanza del Apostol S. Pablo, de que « el Dios de la paz y del amor estará con vosotros » (2 *Cor.* XIII, 11) y en prenda de abundantes gracias, hacemos que descienda sobre vosotros y sobre las personas y cosas que tenéis en el pensamiento o lleváis en el corazón, sobre el Generalísimo y sus fieles cooperadores, sobre estas Damas enfermeras, que os han asistido, sobre vuestras familias y sobre todos los fieles de la Católica España, Nuestra Benedición Apostólica.

---

(3) S. JUAN DE LA CRUZ, *Puntos de amor*, 18: Obras (ed. SILVERIO DE STA TERESA, Burgos 1931), p. 835.

(4) 2 *Cor.*, XIII, 11.

35 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Sermo 24 iun. 1939

SERMO

QUEM BEATISSIMUS PATER, DIE XXIV MENSIS IUNII ANNO MCMXXXIX, IN PALATIO APOSTOLICO VATICANO HABUIT AD ALUMNOS SEMINARIORUM, COLLEGIORUM ET INSTITUTORUM UTRIUSQUE CLERI ATQUE EX OMNI GENTE, QUI IN ALMA URBE AD SACERDOTIUM EFFORMANTUR.

(*AAS* XXXI [15 iul. 1939], p. 246 ss.)

Exordium *

Sollemnis conventus ad quem confluxistis, ut Iesu Christi in terris Vicario observantiae pietatisque vestrae testimonium exhibeatis, singulari Nos, filii carissimi, perfundit laetitia ac summopere delectat. Videmus enim ante oculos Nostros frequentiam huiusmodi, in qua cum omnia rerum genera ornamenta congesta sunt, tum vero amplissimam ingenii abundantiam admirari necesse sit. Recreat quippe Nos electa manus doctorum in sacris disciplinis insignium, moderatorumque corona qui sollertissimam navant operam, ut alumni sibi concrediti sancte instituantur optimique evadant sacerdotes; sed mirifice Nos capit oblata species lectissimae iuventutis quae non huius Urbis modo aut Italiae, sed Europae universique terrarum orbis clericis coalescit. Quos cum cernimus eadem voluntatum conspiratione atque agendarum rerum similitudine coniunctos, ut apti fiant qui - Successore sancti Petri duce ac magistro — doctrinam et gratiam Iesu Christi in omnium hominum animos diffundant, temperare Nobis non possumus, quin maximas Omnipotenti Deo gratias agamus pro hac divinae vocationis plenitudine; idque eo magis,

* Hae divisiones a nobis additae sunt.

quod iuvenes, qui adsunt, velut vices gerunt illorum omnium ad milia bene multa, qui toto terrarum orbe sese sacerdotio vovere cupiunt.

Divisio.

Christus Dominus, ut omnibus compertum est, Apostolis dixit: « Vos estis lux mundi [1] ». Lux lucet, sol calefacit. Ecce igitur finis vester, ecce catholici sacerdotii assignatum propositum: solem esse supernaturalem qui hominum mentes veritate Christi illustret, eorumque animos inflammet amore Christi. Huic autem fini assignatoque proposito omnis etiam ad sacerdotium praeparatio ac conformatio respondeat oportet:

Si lux veritatis, quae ex Christo est, vos omnes fieri vultis, ipsi primum hac veritate illustrandi estis. Propterea in sacrarum disciplinarum studia incumbitis.

Si caritate Christi hominum animos informare cupitis, ipsi primum caritate illa incendi debetis. Cui quidem rei educatio vestra religiosa-ascetica inservit.

PARS I. - *De studiis sacrarum disciplinarum.*

Probe nostis, fili dilectissimi, clericorum studia praeclara illa Constitutione regi « Deus scientiarum Dominus », quam Decessor Noster f. r. Pius XI edidit. Qua in Constitutione sedulo discrimen statutum est, illudque diligenter in usum traducendum, inter disciplinas principales (ad quas accedunt auxiliares), et ceteras quae speciales audiunt. Illae — professores in ratione docendi et examinandi studiose hoc attendant - pricipem locum teneant et veluti centrum studiorum sint oportet; hae vero sic tradendae sunt atque exercendae, ut disciplinas principales apte comitentur atque compleant, at non nimium laboris sibi vindicent nec unquam ita, ut studium accuratum et

(1) Matth., V, 14.

vere summum praecipuarum doctrinarum detrimentum vel minimum patiatur.

Id sapientissime perro statutum est riteque servandum, ut « philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad *Angelici Doctoris* rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant (2) ». Ea enim est Aquinatis sapientia quae veritates rationi non impervias vivida luce illustratas aptissimo eodemque solido unitatis nexu mirifice colliget; ea est quae ad dogmata fidei declaranda et defendenda maxime aptetur; ea denique est quae grassantes primarios errores cuiusvis temporis efficienter valeat arcere et invicte debellare. Quapropter, dilectissimi filii, animum afferte plenum amoris et studii erga Sanctum Thomam: totis viribus incumbite ut luculentam eius doctrinam intellectu perspiciatis: quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum in ea habetur, libenter amplectimini.

Haec praecepta a Decessoribus Nostris iampridem data, nostrarum partium ducimus in praesenti recolere et, si alicubi desiderentur, ex integro instaurare; simulque eorundem Decessorum Nostrorum monita Nostra facimus, quibus veri nominis in scientia progressum et legitimam in studiis libertatem tueri voluerunt. Probamus prorsus ac commendamus novis disciplinarum inventis antiquam sapientiam, ubi opus sit, aequari; ea de quibus bonae notae Angelici Doctoris Interpretes disputare solent, libere agitari; nova vero subsidia ex historia deprompta in textibus Aquinatis plenius intellegendis adhiberi. Neque ullus privatus « se in Ecclesia pro magistro gerat (3) »; nec « quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia (4) »; neque denique vana dissidia foveantur.

---

(2) *C. I. C.*, can. 1366, § 2.
(3) Benedictus XV, *Acta Apostolicae Sedis*, VI, 1914, p. 576.
(4) Pius XI, *Acta Apostolicae Sedis*, XV, 1923, p. 324.

Quae omnia si, ut confidimus, praestabuntur copiosa expectanda erunt disciplinarum emolumenta. Aemulatio enim in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae Sancti Thomae non supprimitur, sed excitatur potius ac tuto dirigitur.

Verum, ut pretiosis fructibus institutio vestra cumuletur, necesse est, dilectissimi iuvenes, idque impense vos hortamur, ut doctrinae haustus quos studiorum cursus emetientes excipitis, non ad scholaria tantummodo specimina superanda dirigantur, sed ut potius quandam quasi formam animis vestris imprimant, quae sic permaneat, ut numquam elabatur, et ex qua, cum usus postulabit, quidquid qua voce qua scriptis ad catholicam veritatem propagandam hominesque ad Christum convectandos conducat, exprimere possitis.

Haec quae diximus, tum ad veritatem divinitus patefactam quod attinet valent, tum ad eius rationalia praemissa; ad principia scilicet *philosophiae christianae* sive illustranda sive defendenda. Relativismo illi, quem Decessor Noster im. memoriae Pius XI modernismo dogmatico exaequans et « impense reprobans » « modernismum moralem, iuridicum ac socialem (5) nuncupavit, - utpote qui supremam normam veri et falsi, boni et mali non iam immutabiles recti iustique leges agnoscat, sed singulorum hominum, civilium ordinum, reipublicae, generis mutabilem utilitatem statuere contendat huic, dicimus, modernismo vos, impavido pectore, ut Evangelii praecones decet, veritates perfectas atque absolutissimas obiicere debetis, quae ex Deo natae sunt, unde primaria officia et iura singulorum, domestici convictus ac Civitatum necessario permanant, et sine quibus civilis societatis dignitas et felicitas consistere nequeunt. Quod sane egregie praestabitis, si veritates huiusmodi ita mentes vestras occupaverint, ut pro iisdem, sicut pro sanctae fidei mysteriis nullum la-

(5) Litt. Encycl. *Ubi arcano, Acta Apostolicae Sedis*, XIV, 1922, p. 696.

borem refugere, nulla incommoda recusare parati sitis.

Illud quoque curandum vobis est, ut veritatem ita proponatis quae recte intellegatur et gustetur, perspicuo semper nec unquam ambiguo sermone adhibito, vitatisque superfluis et noxiis mutationibus quae veritatis substantiam facile inficiunt. Hic semper mos, haec consuetudo fuit catholicae Ecclesiae. Ad haec etiam illud S. Pauli quadrat, quod sc. « Iesus Christus... non fuit est et non, sed est in eo fuit » [6].

Quodsi ad veritatis divinitus datae et ad mysteriorum fidei catholicae ordinem respicimus, verum quidem est ingentes progressus in investigandis et utendis naturae viribus, multoque magis strepitum, quo cultura de rebus mere terrenis disseminatur, plurimorum mentes perturbasse, ita ut supernaturalia vix iam percipere possint; ast non minus verum est sollertes sacerdotes veritatibus fidei intime imbutos et Spiritu Dei repletos maiores hodie et mirabiliores successus, quam fortasse nunquam antea, in hominibus Christo lucrandis reportare. Ut tales et ipsi efficiamini sacerdotes, auctore et exemplo sancto Paulo, nihil antiquius vobis sit studio *theologiae* sive biblicae-positivae sive speculativae. Alte insideat menti vestrae a fidelibus hodie bonos animarum pastores et confessarios eruditos summo desiderio quaeri. Pio ergo fervore in studium theologiae moralis et iuris canonici incumbite! Etiam iuris canonici disciplina ad animarum salutem dirigitur et omnibus normis legibusque suis in id denique potissimumque tendit, ut homines gratia Dei sancti effecti vivant et moriantur.

Disciplinae historicae, quatenus in scholis tractantur, non tam in quaestionibus criticis et mere apologeticis haereant, quamvis hae quoque suum momentum habeant, sed potius semper id spectent, ut actuosam Ecclesiae vitam demonstrent: quantum videlicet Ecclesia laboraverit; quanta passa sit; quibus viis et quo felici exitu sui muneris mandato satisfecerit; quomodo caritatem opere expleve-

(6) *II Cor.*, I, 19.

rit; ubinam pericula lateant, quae florescenti Ecclesiae statui obstent; qua in conditione publicae rationes inter Ecclesiam et Civitates intercedentes se bene habuerint, in qua vero minus bene; quantum Ecclesia politicae potestati cedere possit, quibusnam autem in adiunctis immobilis stare debeat: maturum denique de Ecclesiae conditione iudicium et sincerum erga Ecclesiam amorem - ecce quae schola historiae ecclesiasticae in alumno praestare et fovere debet, ac praesertim in vobis, dilectissimi filii, qui hac in Urbe versamini, in qua antiqua monumenta, bibliothecae instructissimae, ac patentia studio et conquisitioni tabularia, Ecclesiae catholicae vitam per decurrentia saecula velut ob oculos ponunt.

Ne autem constantiam et virtutem vestram labefactari sinatis, cotidie, dilecti filii, quantum fieri potest, ex inexhaustis Sacrorum librorum fontibus, Novi praesertim Testamenti, genuinos Iesu Christi et Apostolorum spiritus haurite, qui semper in mentibus, in verbis, in operibusque vestris resplendeant. Indefessi estote in labore, vacationum etiam tempore, ut qui vobis praesunt, fidentes dicere possint: « Luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in caelis est » [7].

PARS II. - *De educatione clericorum religiosa-ascetica.*

Divinae est vocationis vestrae ad Iesu Christi amorem et gratiam viam in hominum animis sternere. Ad quod quidem assequendum vos ipsos primum amore illo incendi necesse est. Christi autem amorem in vobis incendite per coniunctionem cum Christo in *oratione et sacrificio.*

Per coniunctionem, dicimus, in oratione: siquidem si a Nobis quaeritis, quodnam verbum initio Pontificatus Nostri ad Ecclesiae catholicae sacerdotes habeamus, respondemus: Orate, magis magisque et instantius orate!

(7) Matth., V, 16.

Per coniunctionem vero in sacrificio: in Sacrificio Eucharistico. At non solum in Eucharistico, sed una simul in sui ipsius quodammodo sacrificio. Nostis enim ex effectibus Ss.mae Eucharistiae unum esse, ut adstantibus et recipientibus robur ad sese veluti sacrificandum et abnegandum conferat. Variae christianae asceseos formae quoad secundaria multa differentes quidem sint et maneant; earum tamen nulla viam ad Dei caritatem novit citra sacrificium etiam sui ipsius. Id enim Christus a suis sectatoribus expostulat, qui dixit: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me » [8] qui viam ad amorem Dei in observatione mandatorum divinorum esse expressis verbis definivit [9]; qui denique Apostolis suis potissimum illam etiam mirabilem sententiam impertiit: « Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » [10].

Sacerdotale munus singularia a vobis, ut ita dicamus, sacrificia requirit, inter quae praecipuum illud ac sui ipsius plenum sacrificium obsequii erga Christum per caelibatum. Probate vos ipsos! Et si qui deprehenderint se impares esse ad illum servandum, eos obsecramus ut a Seminario discedentes alio se conferant, ubi aetatem honeste ac fructuose transigant, quam non sine salutis aeternae discrimine et Ecclesiae dedecore in Sanctuario essent acturi. Eos vero qui in statu sacerdotali iam vivunt aut eum ingredi parati sunt, hortamur, ut se devoveant totos et animo magno. Cavete, ne in hac liberalitate ab innumeris fidelibus superemini, qui hodie pro Dei gloria et Iesu Christi fide durissima quaeque patienter ferunt; sed omnibus in hoc certamine exemplo vestro praelucete vestroque labore devotioneque ipsis et omnibus divinam gratiam in vita et in morte procurate.

(8) Luc., IX, 23.
(9) Io., XV, 10.
(10) Io., XII, 24-25.

Porro « hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum » [11]. Hanc in proximos caritatem Iesus Christus signum ac veluti tesseram cuiusvis christiani hominis declaravit [12], eademque multo magis catholici sacerdotis quasi insigne habenda est, quae ceteroquin a caritate in Deum dissociari nequit, ut aperte ostendit Paulus Apostolus, qui grandiloquo praeconio caritatem celebrans, Dei proximorumque amorem perbelle reciprocat [13]. Haec proximorum caritas limitum ignara ad omnes homines, linguas, nationes, genera sese porrigit. Iamvero, carissimi filii, optatissima et singulari opportunitate utamini, quam romana commoratio vobis praebet, huius caritatis exercendae erga tantam iuvenum multitudinem, qui licet ex diversissimis et maxime inter se dissitis nationibus, omnes tamen eiusdem sunt temporis, eiusdem fidei, eiusdem vocationis, eiusdem in Iesum Christum amoris, ac denique eiusdem omnino iuris in Ecclesia. Hac, dicimus, ocasione utamini ad hanc fovendam caritatem, nec quidquam sive verbis sive re a vobis agatur, quod eam vel leviter laedat. Concertationes politicarum partium aliis relinquite: haec tractare vestrum non est. Vos communicate invicem quae apostolatum, curam animarum, conditionem Ecclesiae eiusque incrementa spectant et iuvare possunt.

Denique si amore Christi crescere vultis, foveatis oportet oboedientiam qua filiorum, fiduciam, *amorem erga Iesu Christi Vicarium.* Christo enim in Eo reverentiam et obedientiam exhibetis, Christus in Ipso vobis praesens est. Perperam secernitur ecclesia iuridica ab ecclesia caritatis. Non ita, sed illa Ecclesia iure fundata, cuius caput Pontifex est, eadem est Ecclesia Christi, Ecclesia caritatis, universaque christianorum familia. Sensus illi, qui in familia vere christiana patrem cum filiis, filios vero cum patre ar-

(11) *I Io.*, IV, 21.
(12) Io., XIII, 35.
(13) *I Cor.*, XIII.

ctissime coniungunt, inter Nos et vos regnent. Vos autem qui hac in Urbe degentes testes estis quomodo Apostolica haec Sedes, humanis posthabitis considerationibus, nil aliud cogitet, nil aliud quaerat nisi bonum, felicitatem, salutem denique fidelium totiusque humani generis, fiduciam illam quam de ea experiendo concepistis, cum fratribus vestris toto terrarum orbe communicate, ut omnes in caritate Christi cum Summo Pontifice unum sitis.

Sacerdotalis apostolatus vester divina veritate illuminatus et informatus amore Christi inter saevissimas mundi a veritate et amore aversi tempestates, mediisque in difficultatibus et aerumnis — quae omnium in apostolatu laborantium veluti privilegium sunt eosque quasi naturali necessitate comitantur — nec fructu uberrimo pro animarum salute nec beante illa consolatione, Dei favente gratia, carebit qua repletus Sanctissimus doctor gentium asseverabat: « Per Christum abundat consolatio nostra » [14].

Peroratio

Unus scit Deus, per quas vias providentia sua unumquemque vestrum ducturus sit, quae ascensiones et qui descensus, quot denique passus per saxeta et senticeta vos expectent. At unum definita certitudine vitae cuiusvis sacerdotis insidet, qui veritate et amore Christi imbuitur: spes scilicet in illum, « qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum » [15].

Haec igitur supernaturalis victoriae certitudo in quibusnam alteriores radices egerit, quam in vobis, qui ad Apostolorum sepulcra et ad catacumbas martyrum spiritus illos hausistis, qui anteactis temporibus hominum genus renovarunt, quique etiam hodie Iesu Christi promissiones vigere validas sibi conscii sunt? Quapropter vobis, dilectissimi filii, ea graviter iteramus quae beatissimus Paulus lae-

(14) *II Cor.*, I, 5.
(15) *I Cor.*, XV, 57.

tus ac securus de fructu laboris apostolici profitetur: « Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino » [16].

Hac spe repleti, uberrimas Aeterni Pontificis gratias super vos omnes et super unumquemque vestrum invocantes, illuminantis et corroborantis huius gratiae pignus vobis peramanter in Domino Benedictionem Apostolicam impertimus.

Annotationes.

Quamvis arduum non sit huius perspicuae orationis praecipuos tractus distinguere intentionemque Pontificis penetrare, lectorem tamen forte iuvabit si breviter tam gravis documenti pronuntiata maiora collegerimus, eorumque praestantiam recoluerimus.

Permagnam clericorum studentium alloquens multitudinem, ad circiter quinque millia, ex omni regione orbis congregatam, Pontifex sibi de formatione adolescentium, qui sacerdotali ministerio functuri in spem Ecclesiae crescunt, verba esse facienda iudicavit. Quae ad duo inculcanda direxit, rectam scilicet studiorum institutionem et seriam sanctae vitae inchoationem.

A studiis sacrarum disciplinarum exorsus, primum quaedam generalia monuit, quae genuinam interpretationem Constitutionis *Deus scientiarum Dominus* et S. Thomae doctrinam sequendam spectarent, et deinde ad quasdam disciplinas descendit.

In Constitutione maximi esse momenti dixit distinctionem inter disciplinas principales et alias. Cavendum igitur erit ne vel modo docendi et examinandi, vel rerum et horarum distributione, disciplinae speciales vel minus principales tempus curamque usurpent quae ad profundiorem

(16) *I Cor.*, XV, 58.

philosophiae, theologiae, iuris cognitionem requiruntur. Patet hoc monitum non tam ad alumnos dirigi quam ad studiorum moderatores et ad ipsos professores, qui suas ordinationes et exigentias ad hanc auream regulam aptare debebunt.

Quod ad doctrinam S. Thomae attinet, Pontifex sua fecit praescripta omnia suorum antecessorum, sive de fidelitate in sequendo S. Doctore, sive de libertate studiosis relicta. Ea claritate refulget sententia Pii XII ut in hac re discussiones in posterum protrahi non debeant: si quid ad doctrinam S. Thomae pertinet et in ea ut praecipuum habetur, simpliciter accipiendum est; si quid autem ab interpretibus bonae notae diversimode accipitur, unusquisque libere suam interpretationem defendat. Et in omnibus spiritus contentionis devitetur; quod ultimum ut praecipiat, Summus Pontifex utitur ipis verbis Pii XI in encyclica *Studiorum ducem* et Benedicti XV in encyclica *Ad beatissimi*.

Notatu dignum est locum unum aliter a diariis et quibusdam periodicis relatum esse atque in *Actis Apostolicae Sedis*. In illis enim diariis et periodicis legitur: « quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum ac certum in ea habetur, libenter amplectimini ». At in *Actis* habetur: « quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum in ea habetur, libenter amplectimini ». Quamquam sensus idem in utroque intelligitur, nonnisi tamen authentica forma *Actorum* recitanda erit.

Confidit Pontifex ex regulis suprema auctoritate traditis non solum integritati doctrinae, sed ecclesiasticarum scientiarum progressui sapienter et efficaciter provisum esse.

Post haec, quaedam specialia magnae utilitatis addunter. quibus commendatur cultura generalis, quae scriptores et oratores facit; philosophia christiana (haec igitur verba simul non pugnant), maxime in sua parte morali; theologia et ius canonicum « ad animarum salutem » directum;

atque amplissimis verbis historia ecclesiastica, quae Ecclesiae notitiam et amorem infundit; quotidiana denique lectio Scripturarum, praesertim Novi Testamenti.

Deinde Pontifex ad secundam sui sermonis partem veniens quae de vita sacerdotio digna agebat, orationem, sacrificium, caritatem commendavit. Pulcherrima quidem sunt omnia, sed etiam plana. Sufficiat igitur notasse summam vim verborum quibus Pastor supremus, ad certamen vitae spiritualis adhortans, necessitatem sacrificii caelibatus clericis expressit.

Bene certantibus victoriam praenuntiando, PIUS XII orationi suae finem imposuit, quae recepta est non solum ut programma vitae auditorum, sed etiam ut programma novi Pontificatus in institutione clericorum moderanda.

CAROLUS BOYER, S. I.

36 - SS. D. N. Pius Pp. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS, DIE 24 AUGUSTI 1939
UNIVERSUM TERRARUM ORBI DATUS
(*AAS* XXXI [11 sept. 1939] p. 333 s.)

(*Versio nostra*). — Hora gravis resonat iterum per magnam familiam hominum: hora tremendae deliberationis, a qua abesse non potest cor nostrum, nostra autoritas spiritualis, quae a Deo procedit, ut animos conducat in vias institiae et pacis.

Una sumus cum omnibus vobis qui hoc momento portatis onus responsabilitatis tantae, ut per vocem nostram

---

Un'ora grave suona nuovamente per la grande famiglia umana; ora di tremende deliberazioni, delle quali non può disinteressarsi il Nostro cuore, non deve disinteressarsi la Nostra Autorità spirituale, che da Dio Ci viene, per condurre gli animi sulle vie della giustizia e della pace.

Ed eccoCi con voi tutti, che in questo momento portate il peso di tanta responsabilità, perchè a traverso la Nostra ascoltiate la voce

audiatis vocem Christi, a quo mundus sublimem vitae scholam habuit et in quo milliones et milliones hominum suam fiduciam reponunt in rerum discrimine, in quo solum eius verbum imperare potest omnibus rumoribus terrae.

Una sumus vobiscum, duces popolorum, viri rei politicae et armorum, scriptores, oratores radii et suggestus, et quotquot habetis in cogitationes et actiones fratrum, responsabilitatem sortis eorum.

Nos, armati tantum verbo Veritatis, elevati supra lites et passiones publicas, vobis loquimur nomine Dei, « ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur » (Eph. 3, 15) - - Iesu Christi, Domini nostri, qui omnes homines voluit fratres Spiritus Sancti, doni altissimi Dei, inexhausti fontis amoris in cordibus.

Hodie, ubi non obstantibus nostris repetitis exhortationibus et nostro singulari studio, minaciores surgunt timores conflictus cruenti internationalis, hodie, ubi exspectatio erecta animorum videtur esse progressa ad eum gradum, ut iudicari debeat imminens esse eruptio terribilis illius turbinis belli, appellamus animo paterno denuo et fervent-ius gubernantes et populos: illos, ut remotis accusationibus, minis, causis mutuae diffidentiae, tentent solvere prae-

---

di quel Cristo da cui il mondo ebbe alta scuola di vita e nel quale milioni e milioni di anime ripongono la loro fiducia in un frangente in cui solo la sua parola può signoreggiare tutti i rumori della terra.

EccoCi con voi, condottieri di popoli, uomini della politica e delle armi, scrittori, oratori della radio e della tribuna, e quanti altri avete autorità sul pensiero e l'azione dei fratelli, responsabilità delle loro sorti.

Noi, non d'altro armati che della parola di Verità, al disopra delle pubbliche competizioni e passioni, vi parliamo nel nome di Dio, da cui ogni paternità in cielo ed in terra prende nome (*Eph.* 3, 15), — di Gesù Cristo, Signore Nostro, che tutti gli uomini ha voluto fratelli, — dello Spirito Santo, dono di Dio altissimo, fonte inesausta di amore nei cuori.

Oggi che, nonostante le Nostre ripetute esortazioni e il Nostro particolare interessamento, più assillanti si fanno i timori di un sanguinoso conflitto internazionale; oggi che la tensione degli spiriti sembra giunta a tal segno da far giudicare imminente lo scatenarsi del tremendo turbine della guerra, rivolgiamo con animo paterno un nuovo e più caldo appello ai Governanti e ai popoli: a quelli, perchè, deposte le accuse, le minaccie, le cause della reciproca diffidenza, tentino di risolvere le attuali divergenze coll'unico mezzo a ciò adatto,

sentes dissensiones unico ad hoc apto medio, communibus et sinceris conventionibus, hos, ut quiete et serie, sine agitationibus inordinatis confirment conatus pacificos gubernatorum.

Est vis rationis, non armorum, qua iustitia sibi viam patefacit. Et imperia non fundata in iustitia, non benedicuntur a Deo. Politica sine morali tradit eos ipsos, qui ita eam volunt. Periculum est imminens, sed adhunc tempus est.

Nihil amissum est cum pace, sed omnia possunt amitti cum bello. Revertantur homines eo, ut se intelligant, resumant tractationes. Tractando bona voluntate et cum respectu mutuorum iurum intelligent sinceris et efficacibus consultationibus nunquam esse praeclusum honestum successum.

Et se magnos sentient — magnitudine vera — si imponentes silentium vocibus passionis, sive communis sive privatae, et permittentes imperium rationi, parcent sanguini fratrum et patriae ruinam avertent.

Det Omnipotens Deus, ut vox Patris familiae christianae, servi servorum, qui Christi, indigne quidem, sed realiter portat inter homines personam, verbum, auctoritatem, in-

---

cioè con comuni e leali intese: a questi, perchè, nella calma e nella serenità, senza incomposte agitazioni, incoraggino i tentativi pacifici di chi li governa.

E' con la forza della ragione, non con quella delle armi, che la Giustizia si fa strada. E gl'imperi non fondati sulla Giustizia non sono benedetti da Dio. La politica emancipata dalla morale tradisce quelli stessi che così la vogliono.

Imminente è il pericolo, ma è ancora tempo.

Nulla è perduto con la pace. Tutto può esserlo con la guerra. Ritornino gli uomini a comprendersi. Riprendano a trattare. Trattando con buona volontà e con rispetto dei reciproci diritti si accorgeranno che ai sinceri e fattivi negoziati non è mai precluso un onorevole successo.

E si sentiranno grandi — della vera grandezza — se imponendo silenzio alle voci della passione, sia collettiva che privata, e lasciando alla ragione il suo impero, avranno risparmiato il sangue dei fratelli e alla patria rovine.

Faccia l'Onnipotente che la voce di questo Padre della famiglia cristiana, di questo Servo dei servi, che di Gesù Cristo porta, indegnamente sì, ma realmente tra gli uomini, la persona, la parola, l'autorità, trovi nelle menti e nei cuori pronta e volenterosa accoglienza.

veniat in mentibus et cordibus promptum et paratum aditum.

Audiant Nos fortes, ne fiant debiles in iniustitia, audiant potentes, si volunt suam potentiam non esse destructionem, sed subsidium populis et tutelam tranquillitatis in ordine et labore.

Imploramus eos per sanguinem Christi, cuius vis victoria mundi fuit mansuetudo in vita et morte. Et implorantes eos, scimus et sentimus Nobiscum esse omnes rectos corde; omnes illo, qui esuriunt et sitiunt iustitiam — omnes, qui iam patiuntur per mala vitae omnem dolorem. Habemus Nobiscum corda matrum, quae cum nostro palpitant, patres, qui relinquere deberent suas familias; humiles, qui laborant et nesciunt, innocentes, quibus imminent terribiles minae; iuvenes sectatores generosi purissimae et nobilissimae perfectionis. Est nobiscum anima veteris illius Europae, quae fuit opus fidei et genii christiani. Nobiscum omnis humanitas, quae exspectat iustitiam, panem, libertatem, non ferrum quod occidit et destruit. Nobiscum Christus ille, qui praeceptum suum dedit de caritate fraterna praecipuum, solemne; substantiam suae religionis, promissionem salutis singulis et nationibus.

Memores denique humanam industriam nihil valere sine adiutorio divino, invitamus omnes, ut in Altum re-

---

Ci ascoltino i forti, per non diventar deboli nella ingiustizia. Ci ascoltino i potenti, se vogliono che la loro potenza sia non distruzione, ma sostegno per i popoli e tutela a tranquillità nell'ordine e nel lavoro.

Noi li supplichiamo per il sangue di Cristo, la cui forza vincitrice del mondo fu la mansuetudine nella vita e nella morte. E supplicandoli, sappiamo e sentiamo di aver con Noi tutti i retti di cuore; tutti quelli che hanno fame e sete di Giustizia — tutti quelli che soffrono già, per i mali della vita, ogni dolore. Abbiamo con Noi il cuore delle madri, che batte col Nostro; i padri, che dovrebbero abbandonare le loro famiglie; gli umili, che lavorano e non sanno; gli innocenti, su cui pesa la tremenda minaccia; i giovani, cavalieri generosi dei più puri e nobili ideali. Ed è con Noi l'anima di questa vecchia Europa, che fu opera della fede e del genio cristiano. Con Noi l'umanità intera, che aspetta giustizia, pane, libertà, non ferro che uccide e distrugge. Con Noi quel Cristo, che dell'amore fraterno ha fatto il Suo comandamento, fondamentale, solenne; la sostanza della sua Religione, la promessa della salute per gli individui e per le Nazioni.

Memori infine che le umane industrie a nulla valgono senza il divino aiuto, invitiamo tutti a volgere lo sguardo in Alto ed a chiedere

spiciant et fervidis precibus orent Dominum, ut gratia eius descendat abundanter in hunc mundum turbatum, placet iras, reconciliet animos et resplendere faciat auroram serenioris futuri temporis. In hac exspectatione et cum hac spe omnibus ex corde nostram paternam benedictionem impertimus.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper.

37 - SS. D. N. Pius Pp. XII

HORTATIO A SUMMO PONTIFICE DIE 31 MENSIS AUGUSTI ANNI 1939 AD GUBERNIA ANGLIAE, GALLIAE, GERMANIAE, ITALIAE ET POLONIAE MISSA

(*AAS* XXXI [11 Sept. 1939], p. 335)

(*Versio nostra*). Summus Pontifex renuntiare non vult spei negotiationes praesentes posse absolvi solutione iusta et pacifica, quam totus mundus non cessat implorare.

Sua Sanctitas igitur nomine Dei precatur Gubernia Germaniae et Poloniae, ut omnia possibilia tentent ad evitandum omnes casus et se abstineant ab omni modo, qui possit praesentem contentionem gravare. Petit a Guberniis Angliae, Franciae, Italiae, ut iuvent hanc postulationem.

---

con fervide preci al Signore che la sua grazia discenda abbondante su questo mondo sconvolto, plachi le ire, riconcilii gli animi e faccia risplendere l'alba di un più sereno avvenire. In questa attesa e con questa speranza impartiamo a tutti di cuore la Nostra paterna Benedizione.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper.

37. - Le Souverain Pontife ne veut pas renoncer à l'espoir que les négociations en cours puissent aboutir à une solution juste et pacifique, telle que le monde entier ne cesse de l'implorer.

Sa Sainteté supplie, par conséquent, au nom de Dieu, les Gouvernements d'Allemagne et de Pologne de faire ce qui leur est possible afin d'éviter tout incident, et de s'abstenir de prendre toute mesure susceptible d'aggraver la tension actuelle. Elle prie les Gouvernements d'Angleterre, de France, et d'Italie d'appuyer sa demande.

38 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 21 iunii 1939

DAMNATUR LIBER GABRIELIS D'ANNUNZIO, CUI TITULUS « SOLUS AD SOLAM »

(*AAS* XXXI [15 iul. 1939] p. 260)

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac R.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

GABRIELE D'ANNUNZIO, *Solus ad Solam.*

Et sequenti Feria V, die 22 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 28 Iunii 1939.

R. PANTANETTI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

39 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 5 iulii 1939

AUFERTUR PROHIBITIO DIARII « L'ACTION FRANÇAISE » EX DIE PROMULGATIONIS HUIUS DECRETI.

(*AAS* XXXI [19 aug. 1939] p. 303 ss.)

Decreto huius Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii diei 29 Decembris 1926, diarium *L'Action Française*, prout tunc edebatur, damnatum et in Indicem librorum prohibitorum insertum fuit, attentis quae, illis praesertim

diebus, in eodem diario contra Sedem Apostolicam ipsumque Summum Pontificem scribebantur.

Verum, litteris ad Summum Pontificem s. m. Pium XI die 20 Novembris 1938 datis, Consilium praedicto diario praepositum se subiecit et petitionem ad auferendam diarii prohibitionem exhibuit, quae examini huius S. Congregationis submissa fuit.

Recens vero, praefatum Consilium, petitionem iterans, apertam et laudabilem significationem obsequii erga S. Sedem dedit, errores reprobavit et cautiones circa debitam Magisterio Ecclesiae reverentiam praebuit per litteras die 19 Iunii 1939 ad Pium Pp. XII feliciter regnantem datas, quarum textus *in Adnexu I* refertur.

Quapropter in generali consessu Supremae S. Congregationis S. Officii, habito feria IV, die 5 Iulii 1939, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, auditis E.mis ac Rev.mis D.nis Galliae Cardinalibus, statuerunt:

Ex die promulgationis huius Decreti, prohibitio praedictum diarium *L'Action Française* legendi ac retinendi aufertur, manentibus prohibitis foliis usque adhuc in Indicem librorum prohibitorum relatis; quin tamen Suprema haec S. Congregatio de rebus ad placita mere politica spectantibus deque finibus in eodem agone ab ipso diario propositis, dummodo legi morali non adversentur, iudicium quodcumque ferre intendat; et ad mentem.

Mens autem est: firmis manentibus quae saepe a S. Sede proposita sunt, tum circa distinctionem religiosarum rerum a negotiis mere politicis, tum circa rei politicae subiectionem legi morali, tum circa principia et officia ad Actionem Catholicam promovendam tuendamque tradita, Rev.mis Galliae Ordinariis enixe commendatur vigilantia ad urgendam observationem eorum, quae iam a Conferentia Cardinalium et Archiepiscoporum, anni 1936, hac super re statuta sunt et *in Adnexu II* referuntur.

Et sequenti feria V, die 6 eiusdem mensis et anni,

Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori S. Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 10 Iulii 1939.

Romulus Pantanetti, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

ADNEXUM I

TEXTUS DECLARATIONIS
EXHIBITA A CONSILIO DIARIO «L'ACTION FRANÇAISE» PRAEPOSITO.

Très Saint Père,

Nous soussignés, membres du Comité-directeur du journal *L'Action Française* unis dans les sentiments de la plus profonde vénération pour Votre Sainteté.

Mettons à Ses Pieds, au début de Son Pontificat, marqué déjà des signes universellement reconnus de la Justice et de la Paix, la sincère et loyale déclaration de nos intentions et des assurances par lesquelles nous voulons renouveler l'expression des sentiments que nous avons déjà soumis au très regretté et vénéré Pontife Pie XI, de sainte mémoire, dans notre lettre du 20 Novembre 1938, pour obtenir le retrait de la mise à l'Index, prononcée par la Suprême Sacrée Congrégation du Saint-Office contre le journal *L'Action Française.*

1) Pour ce qui concerne le passé, nous exprimons la plus sincère tristesse de ce qui, dans les polémiques et controverses antérieures et postérieures au Décret de condamnation du Saint-Office, le 29 décembre 1926, a paru et a été de notre part irrespectueux, injurieux et même injuste envers la Personne du Pape, envers le Saint-Siège et la Hiérarchie Ecclésiastique, et contraire au respect que tous doivent avoir pour toute Autorité dans l'Eglise.

2) Pour tout ce qui regarde en particulier la Doctrine, tous ceux d'entre nous qui sont Catholiques, en réprouvant tout ce qu'ils ont pu écrire d'erroné, rejettent complètement tout principe et toute théorie qui soient contraires aux enseignements de l'Eglise Catholique, enseignements pour lesquels nous professons unanimement le plus profond respect.

3) Nous déclarons et assurons en outre que nous voulons être très attentifs à rédiger le journal, de telle manière que, ni les collaborateurs, ni les lecteurs n'y trouvent rien qui, directement ou indirectement, trouble leur conscience et qui s'oppose à l'adhésion due aux enseignements et aux directives d'ordre religieux et moral de l'Eglise.

Nous affirmons formellement notre volonté unanime de développer notre activité de journalistes, même dans le domaine social et politique, de façon á ne jamais manquer, pour ce qui est des Catholiques, à la soumission et, pour nous tous, au respect dû aux directives de l'Autorité Ecclésiastique dans les problèmes qui, en ce domaine social et politique, intéressent l'Eglise par leurs rapports avec sa fin surnaturelle.

Depuis longtemps, Très Saint Père, les violences, attaques et toute autre attitude du journal qui ont motivé la condamnation de 1926, ont cessé et sont désavouées.

C'est pourquoi nous osons demander au Père qui tient les Clefs de la Miséricorde et de la Justice, de daigner considérer, en terminant l'examen déjà commencé par Sa Sainteté Pie XI, si, selon Son jugement souverain, les justes motifs de prohibition ayant, ce nous semble, cessé d'exister, celle-ci ne pourrait légitimement tomber à son tour.

Et nous mettons aux Pieds de Votre Sainteté, avec l'hommage de notre profonde vénération, celui de notre dévouement inaltérable, en sollicitant de tout coeur les Bénédictions du Père commun sur chacune de nos per-

sonnes et, par delà, sur toute notre France, fille aînée de l'Eglise, à laquelle nous avons dévoué notre vie.

Paris, le 19 Juin 1939.

Léon Daudet, *Co-directeur de « L'Action Française »*.
Ch. Maurras, *Co-directeur de « L'Action Française »*.
Maurice Pujo, *Rédacteur en chef de « L'Action Française »*.
Paul Robain.
Jacques Delebecque.
F. de Lassus.
Robert de Boisfleury, *Administrateur délégué de « L'Action Française »*.
Général de Partouneaux, *Président du Conseil d'Administration.*
M. de Roux, *avocat, leur défenseur et conseilleur.*

ADNEXUM II

STATUTA AB E.MIS AC REV.MIS GALLIAE CARDINALIBUS AC ARCHIEPISCOPIS IN CONFERENTIA ANNI 1936.

a) *Le Clergé*

1) Le Clergé ne doit pas négliger de faire son devoir civique, mais il évitera soigneusement de s'inféoder aux partis politiques.

2) Il est tenu d'exposer en dehors de toute considération de parti, la doctrine catholique qui concerne les droits de l'Eglise, de la famille, de l'école et généralement le bien commun.

b) *Les Catholiques*

1) Les Catholiques auront le souci constant de maintenir l'Eglise et l'Action Catholique en dehors et au dessus des partis.

2) Ils sont tenus de s'intéresser à l'Action civique et, pour cela, seront instruits des principes catholiques d'action civique ...

3) Les dirigeants et militants d'Action Catholique ne seront pas en même temps directeurs, représentants ou propagandistes d'un parti politique.

4) Il pratiqueront loyalement les vertus du citoyen et notamment le respect du pouvoir établi.

10 - Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum Instructio 8 dec. 1938

INSTRUCTIO RESERVATA

AD EXC.MOS AC REV.MOS ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, LOCORUM ORDINARIOS NECNON SUPERIORES MAIORES ORDINUM AC RELIGIONUM CLERICALIUM DE COMMUNIONE QUOTIDIANA HABITUALI ET PENE GENERALI IN SEMINARIIS, COLLEGIIS, COMMUNITATIBUS ETIAM RELIGIOSIS ET DE ABUSIBUS IN EADEM PRAECAVENDIS.

Postquam Pius s. r. Papa X fideles ad frequentem ac quotidianam Communionem excitavit, edito die 20 decembris 1905 a S. C. Concilii decreto, *Sacra Tridentina Synodus*, atque ad eandem pueros quoque vocavit per decretum *Quam singulari* S. H. C. diei 8 augusti 1910 — quae decreta Codex iuris canonici sua fecit (can. 863) — uti perspectum quisque habet, usus Communionis frequentis ac quotidianae diffusus est feliciter.

Qui usus, innumerabilium causa bonorum, nedum laudandus sed et ulterius diffundendus est, neque dumtaxat in fideles in genere, sed et in iuvenes puerosque iuxta praeceptum a praefatis decretis impositum et servatis normis ad rem ibi praestitutis.

« *Communio frequens et quotidiana... quam maxime promoveatur in clericorum Seminariis... item in aliis christianis omne genus ephebeis* » (Decretum *Sacra Tridentina Synodus*, n. 7). Et « *puerorum curam habentibus omni studio conandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea omni devotione quam talis fert aetas* » (Decretum *Quam singulari*, n. 6).

I. — Sed, ut laudanda Communio frequens ac quotidiana, ita urgenda est observantia conditionum, quae necessariae sunt, quaeque in *statu gratiae* atque *recta intentione* sunt positae. Item opportunae adhibeantur cautelae ad impediendum quominus indigne quis hunc Panem manducet. Ait enim Apostolus: « *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini* » (I Cor., XI, 27).

Etenim periculum Communionis haud rite sumendae, quod quasi ipsi inhaerere cernitur praxi sacrae Synaxis frequentis et quotidianae late diffusae, spectata hominum natura cui assueta vilescunt, augetur cum fideles praesertim iuniores, non singillatim sed generatim et universe ad S. Mensam accedunt, ut in Seminariis et communitatibus religiosis quotidie accidit, saepe vero in collegiis et ephebeis pro christiana iuvenum institutione et eruditione, atque interdum in conventibus, qui tempore paschali vel sollemni alia occasione, Ss. Eucharistiae suscipiendae causa, habentur.

Fieri enim potest ut quis, gravis peccati conscius, ad sacram Mensam nihilominus accedat exemplo sodalim permotus atque vano timore ne admirationi aliorum, praesertim Superiorum, exponatur adeoque suspicioni gravis culpae commissae.

II. — Itaque ad abusum omnem, quatenus fieri potest, praecavendum, huic Sacrae Congregationi visum est necessarium investigare opportuna remedia eademque com-

municare animarum Pastoribus. Sunt autem quae infra recensentur.

1. Concionatores atque spiritus moderatores, hortantes publice vel primatim fideles, adolescentulos praesertim, ad frequentem et quotidianam Communionem, in hac hortatione ne acquiescant, sed simul aperte doceant: a) *eam non praecipi;* b) *eandem fieri non posse nisi necessariis concurrentibus conditionibus.*

a) Frequens et quotidiana Communio, valde quidem commendatur, sed nulla lege praecipitur. Relinquitur ideo uniuscuiusque devotioni ac pietati. Quod adeo verum est, ut ipsa obligatio Communionis paschalis temperetur per clausulam « *nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam,* (fidelis) *ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum* » (can. 859 § 1). Ex hoc autem sequitur nulli admirationi vel suspicioni esse locum si quis, ubi Communionis quotidianae vigeat usus, ab eadem interdum abstineat. Qua veritate clara in luce posita, radicitus amputabitur vanus timor qui Communionis indigne sumendae occasio esse potest.

b) Sacra Communio, quae est *vita bonis,* eadem *mors est malis.* Ideo requiritur prae primis *status gratiae.* Maximopere inspirandus est sacrilegii horror, atque recolenda lex iuxta quam « *nemo, quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram Communionem accedat...* » (can. 856).

Requiritur quoque recta seu pia *intentio,* quae « *in eo est ut qui ad sacram mensam accedit non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere* » (Decr. *Sacra Tridentina Synodus,* n. 2).

Praeterea, « *ut frequens et quotidiana Communio maiore prudentia fiat uberioreque merito augeatur, oportet ut confessarii consilium intercedat* » (Decr. cit., n. 5).

2. Una cum Communione frequenti promovenda est frequens confessio: non quod singulis Communionibus praemittenda sit confessio, nisi quis de lethali sibi conscius sit, sed ut fideles in communitatibus viventes, non tantum statis diebus ad confessionem accedant, sed iisdem facultas fiat libere accedendi, sine ulla moderatorum animadversione, ad confessarium sibi benevisum, et, quod peculiaris est momenti, potestas detur peragendi confessionem etiam paullo ante Communionis tempus.

a) Itaque animarum Pastores omni ope contendant, ut in singulas communitates, pro membrorum numero, unum alterumve confessarium praestituant, ad quem quisque libere accedere valeat. Prae oculis autem habeant normam, iuxta quam, ubi frequens ac quotidiana Communio est in honore, ibi confessionis sacramentalis danda est, quatenus fieri potest, frequens ac quotidiana facultas. Optandum quoque est ut communitatibus omnibus frequentius dentur alii confessarii ex approbatis.

b) Quod ad Seminaria refert, in re prostant statuta can. 1358, 1361 et 1367 C. I. C., iuxta quae duo saltem confessarii ordinarii directorque spiritus adsint necesse est in quolibet Seminario, ac praeter ordinarios alii sunt designandi, ad quos libere alumni accedere possint: si hi confessarii extra Seminarium degant et alumnus eorum aliquem acciri postulet, illum rector arcessat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque se aegre id ferre demonstrans: si in Seminario habitent, ipsos alumnus libere adire potest, salva Seminarii disciplina. Gravem S. Alphonsi sententiam perpendant moderatores, nempe Seminarii alumnos in magno versari discrimine sacrilegio patrandi si peccata sua semper confiteantur confessariis sibi notis [1]. Episcopi autem curent ut alumni semel saltem in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedant.

c) Quoad vero communitates religiosas virorum et mulierum quaslibet, praecepta desumuntur ex can. 518 et

(1) Cfr. S. Alphonsus, *Regolamento per i Seminari*, § 1 n. 3.

seq., eaque sunt religiose servanda, ipsorum inspectis littera et spiritu [2].....

Eadem facultate pollent et moniales clausurae lege adstrictae, quibus egredi non licet nec ad propriam ecclesiam aut oratorium semipublicum accedere: hae confessarium pro mulierum confessionibus adprobatum, quem malint, arcessere possunt ad monasterii ordinariam confessionalem sedem suas confessiones recepturum (cfr. resolutio praefatae Pont. Commissionis diei 28 dec. 1927), et, si graviter aegrotent, etiam ad proprium cubiculum, necessariis adhibitis cautelis, neque Antistitae id licet sive directe sive indirecte prohibere.

Ecclesiastici igitur deputati religiosarum communitatum omni studio avertere conentur Antistitas ab inquirendo etiam indirecte cur alium confessarium ad se arcessant subditae religiosae aut eundem adeant; easdemque Antistitas commonefaciant id ipsas nullimode prohibere posse. Iidem deputati probe sciant facile accidere posse, ut religiosae subditae nimis vereantur ab Antistita requirere extraordinarium confessarium, ac proinde suae conscientiae libere consulere nequeant. Attente igitur pervigilent ne in negotio tanti momenti minuatur libertas pro religiosis a sacris canonibus sapienter statuta.

Ceterum huiusmodi conscientiae libertatis exercitium congruenter aptetur oportet cum regulari uniuscuiusque communitatis disciplinae observantia, cuius integritati consulendum est ab Ordinariis locorum, quorum pariter est officium cavendi ne exinde abusus irrepant, aut, quatenus irrepserint, ut iidem caute et prudenter removeantur, salva semper conscientiae libertate (can. 520 § 2).

Etiam in laicalibus virorum religionibus deputandus est confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religio-

(2) Hoc loco refert *Instructio* textum illorum canonum. De canone aute 522 notat confessionem quam spectat, ex *Resolutione Pontif. Commissionis ad Codicis can. authent. interpretationem* die 24 nov. 1920 data, non solum in ecclesia qualibet vel oratorio etiam semi-publico, sed etiam in quolibet alio loco legitime mulierum confessionibus destinato fieri posse.

sus aliquem specialem confessarium expostulet illum superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans.

d) In omnibus denique communitatibus adolescentulorum utriusque sexus sedulo pro viribus curandum est ut, quo tempore communitati distribuitur Communio, confessarius praesto sit, ad quem facilis sit accessus.

3. Praeter haec generalia remedia, singularum communitatum moderatores alia adhibeant ad eundem finem assequendum opportuna.

a) Superior apertissimis verbis dicat subditis, se laetari quidem in genere de frequenti eorundem accessu ad sacram Mensam, sed in singulis non accedentibus se nihil reprobatione dignum animadvertere, immo in iismet colligere signum libertatis ac timoratae delicataeque conscientiae. Idem vero dicta factis non neget, neque ullum prodat indicium quo videatur ipse adnotare eos qui frequenter ad Communionem accedant eosdemque extollere, reprobare vero ceteros.

In Seminariis vero aliisque id genus institutis, ubi statis temporibus iudicium profertur a Superioribus de unoquoque alumno quod ad *pietatem, studium* et *disciplinam* attinet, iidem Superiores, in promenda sententia de iuvenis in pietate profectu, de maiore vel minore assiduitate ipsius in Ss. Eucharistia sumenda rationem ne habeant.

b) Nunquam in communitatibus puerorum et puellarum indicatur *Communio generalis* singulari quadam sollemnitate peragenda, atque etiam extra communitates vel nuncupatio ipsa « Communio generalis » ne usurpetur quidem, vel huius appellationis sensus rite declaretur: invitari scilicet omnes ad S. Mensam, neminem vero ad eandem cogi, immo singulis relinqui plenam facultatem et libertatem ab Eadem abstinendi. Quod vero attinet ad communitates religiosas, animadvertatur praeterea ad ea quae referuntur in Decret. *Sacra Tridentina Synodus* ad n. 8: « *Si quae Instituta, sive votorum solemnium sive simpli-*

cium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam in calendariis Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere directivae *non tamquam* praeceptivae *putandae sunt* ».

c) Cum ad sacram Mensam acceditur, ea omnia vitentur, quae difficiliorem reddunt conditionem adolescentuli, qui abstinere quidem vult a Communione, ita tamen ut ipsius abstinentia minus advertatur; devitanda igitur sunt expressa ad S. Synaxim invitatio, rigidus atque pene militaris ordo accessus, insignia a communicantibus ferenda etc.

d) Caveat communitatis Superior ne Ss. Eucharistia deferatur infirmis eam expresse non postulantibus.

e) Promotores et moderatores iuvenilium conventuum, qui indicuntur ex. gr. in publicis scholis Communionis sumendae gratia, attendant in iis conventibus exsistere pericula haud dissimilia ab iis quae in communitatibus habentur, atque omnes cautelas ad ea propulsanda adhibeant, non tantum proclamando libertatem accessus ad sacram Mensam et congruam confessariorum copiam praebendo, sed etiam nitendo, ut omnia removeantur quae non accedentes admirationi aliorum exponere valeant, prout supra dictum est.

III. — Haec praecipua sunt remedia quae haec S. Congregatio suppeditanda censuit Exc.mis Episcopis, locorum Ordinariis ac Superioribus maioribus religiosis ad praecavendos abusus aut, si alicubi forte (quod Deus avertat) irrepserint, ad eosmet prorsus compescendos. Quibus remediis alia superaddere, quae accommodatoria reperiantur, spectatis cuiusque instituti locorum ac personarum adiunctis, Exc.mos Praesules valde in Domino adhortatur eadem S. Congregatio pro ipsorum prudentia atque zelo in salutem animarum. Attente enim advigilandum est atque cavendum, ne Sacramentum Ss.mae Eucharistiae, quod in profectum atque spiritualem salutem hominum divinitus institutum est, ipsorum hominum malitia aut culpabili

neglegentia in praecavendis aut removendis abusibus, subversis ipsius Sacramenti institutionis ratione atque finibus, in detrimentum ac supremam animarum perniciem convertatur.

In Plenariis Comitiis die 22 iulii 1938 in Civitate Vaticana habitis E.mi ac Rev.mi Patres Cardinales hanc Instructionem diligenter perpensam concordi suffragio approbarunt, eamque Ss.mus D.nus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in Audentia diei 3 augusti eiusdem anni, audita relatione infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis, ratam habere et confirmare dignatus est, mandans praeterea ut eadem omnibus locorum Ordnariis necnon Superioribus Maioribus Ordinum ac religionum clericalium reservate notificetur ab ipsis adamussim observanda.

Placeat eisdem Rev.mis locorum Ordinariis Superioribusque Maioribus religiosis de huius Instructionis receptione certiorem facere hanc S. Congregationem.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis Sacramentorum, die VIII mensis Decembris, in festo Conceptionis Immaculatate B. M. Virginis, anno MCMXXXVIII.

D. CARD. JORIO, *Praefectus.*

L. ✠ S.

F. BRACCI, *Secretarius.*

---

(1) Ad instar huius instructionis Commentarii legi potest amplissima Relatio quam de ea in Tertio Congressu Sacerdotum Adoratorum, Romae mense aprili 1939 habito, exposuit ipse S. Congregationis de Sacramentis Secretarius, Exc.mus et Rev.mus D. FRANCISCUS BRACCI. Quam Relationem una cum ipsius Instructionis textu edidit commentarius *Il Monitore Ecclesiastico*, LXIV (1939), pp. 245-252.

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum
41 - Monitum pro Ordinariis Italiae

(*AAS* [xxxi 9 iun. 1939] p. 225)

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum Ordinarios Italiae certiores facit, in matrimoniis, iure concordatario ineundis a die 1 Iulii 1939 et deinceps, parochos ceterosque sacerdotes, qui eisdem assistant, nupturientibus perlegere teneri articulos 141, 142, 143 novi *Codicis civilis Italici*, lib. I, qui, ceterum, ex integro verbum ad verbum referunt quae continentur in veteris Codicis civilis Italici articulis 130, 131, 132 (1).

Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die 1 Iulii 1939.

CARD. JORIO, *Praefectus*

F. BRACCI, *Secretarius*.

42 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide
Instructio 9 iun. 1939

INSTRUCTIO

CIRCA PRUDENTIOREM DE REBUS MISSIONALIBUS TRACTANDI RATIONEM

(*ASS* XXXI [15 iul. 1939], p. 269 ss.)

Non semel animadvertit haec Sacra Congregatio in periodicis commentariis atque in libris de opera missionali necnon in publicis de eadem re sermonibus, ita aliquando

(1) Cfr. « Istruzione della S. C. dei Sacramenti in esecuzione dell'art. 34 del Concordato » diei 1 Iulii 1929, art. 29, n. 7o; et Modd. XIV, XV. — *ASS*, XXI, 1929, p. 351 ss.

depingi mores, cultum, indolem, statum gentium quibus advehenda est Catholica Fides, ut videantur earum potius mala quam bona efferri. Quod quidem nullo adverso animo fieri, quin potius eo solummodo consilio ut ardentior excitetur amor in fratres nondum luce Christi fruentes abundantioraque auxilia suppeditentur operibus religionis et caritatis, nemo certe dubitaverit; id tamen quam absonum sit a mutua inter populos urbanitate, quantum immo aequitatem laedat et iustitiam, quantam denique indignationem iure in iis gentibus excitet de quibus huiusmodi narrantur, facile patet cuivis consideranti quid ipse sentiret si de sua ipsius patria pariter loquentes nosset exteros.

Eo magis autem omnino devitanda apparet talis se gerendi ratio, quod opinonem ingenerare potest falsam et missionariis iniuriosam eorumque ministerii successui perniciosam: eos scilicet non accedere ad gentes ea cum cordis caritate, qua, non metientes alios modulo suo, studeant aperto et propenso animo eas comprehendere et existimare et amare.

Itaque Sacra haec Congregatio enixe commendat omnibus de re missionali sive scripto sive sermone tractantibus, ut de aliis nationibus loquantur eadem prorsus observantia, qua ipsi ab alienis de sua patria sermonem haberi desiderant.

Quam circa rem, prae mente insuper habeant, nitere gentes non paucas, in quibus opus missionale exercetur, antiquo nobilique vitae cultu humanitateque; ita ut ipsae aegre indignanterque ferant si indiscriminatim cum iis populis recenseantur et quasi aequentur, qui passim minus evoluti, ut dicitur, habentur. Neque fas esto ex singulis casibus generalem ingerere iniuriosam et falsam de cuncto populo opinionem.

Quae sapientissima divus Paulus dedit monita prae oculis semper habeantur eaque pervigili studio observentur: « Nemini dantes ullam offensionem, ut non vitupe-

retur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros » (2 Cor. 6, 3 sq.).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 9 Iunii 1939.

PETRUS CARD. FUMASONI BIONDI, *Praefectus.*

† Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

43 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

Elenchus Indulgentiarum Apostolicarum 11 mart. 1939 *

INDULGENTIAE APOSTOLICAE

QUAS SUMMUS PONTIFEX PIUS PP. XII, IN AUDIENTIA INFRA SCRIPTO CARDINALI PAENITENTIARIO MAIORI DIE 11 MARTII 1939 IMPERTITA, BENIGNE CONCESSIT CHRISTIFIDELIBUS, QUI ALIQUOD PIETATIS VEL RELIGIONIS OBIECTUM, A SE VEL A SACERDOTE POTESTATEM HABENTE BENEDICTUM, POSSIDENT AC PECULIARIBUS IMPERATIS CONDITIONIBUS SATISFECERINT.

(*AAS* XXXI [31 mart. 1939] p. 132 ss.)

INDULGENTIAE

1. Quisquis saltem semel in hebdomada recitare consueverit coronam Dominicam, vel aliquam ex coronis beatae Mariae Virginis, vel rosarium aut saltem eius tertiam partem, vel officium parvum eiusdem B. Mariae Virginis, vel saltem vesperas aut nocturnum cum laudibus officii defunctorum, vel psalmos paenitentiales aut gra-

(*) E licentia Rescripto S. Paenitentiariae 6 m. oct. 1939 nobis pro una vice tantum concessa. Cfr. C. I. C., c. 1388, § 2.

duales, vel consueverit saltem semel in hebdomada aliquod opus ex illis peragere quae sub appellatione « Operum misericordiae » agnoscuntur, vel Missae interesse, servatis conditionibus confessionis sacramentalis, sanctae Communionis et alicuius orationis ad mentem Summi Pontificis, lucrabitur *Indulgentiam plenariam* diebus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SS.mae Trinitatis, Corporis Domini eiusdemque Sacratissimi Cordis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis; Nativitatis S. Ioannis Baptistae; utriusque festi S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis; Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Matthiae atque Omnium Sanctorum.

Si quis vero ad sacramentalem confessionem ac ad sanctam Communionem minime accesserit, corde tamen contritus ad mentem Summi Pontificis aliquantisper precatus fuerit, singulis diebus supra recensitis *partialem septem annorum* lucrabitur *Indulgentiam.*

Insuper quisquis aliquod ex praedictis pietatis vel caritatis operibus expleverit, quoties id peregerit, *partialem trium annorum Indulgentiam* adipiscetur.

2. Sacerdotes, qui nullo legitimo impedimento detenti quotidie s. Missae sacrificium celebrare consueverint, *Indulgentiam plenariam* festis supra memoratis consequentur, additis sacramentali confessione et oratione ad mentem Summi Pontificis.

Quoties vero ipsi Sacrum litaverint, *partialem quinque annorum Indulgentiam* acquirent.

3. Qui recitationi divini officii tenetur, obligationi huic obtemperans, *plenariam Indulgentiam* iisdem recensitis festis lucrabitur, servatis pariter conditionibus confessionis sacramentalis, sacrae Communionis et orationis ad mentem Summi Pontificis.

Qui vero hoc peregerit saltem corde contrito, *partialem*

quinque annorum Indulgentiam singulis vicibus adipiscetur.

4. Quisquis cum primo diluculo, tum meridiano tempore, tum sub vesperam, vel cum primum postea potuerit, orationem vulgo *Angelus Domini*, tempore autem paschali *Regina caeli* aut, has preces ignorans, quinquies *Ave Maria* recitaverit; itemque sub primam noctis horam psalmum *De profundis* vel, si eum nesciat, *Pater Noster* cum *Ave Maria* et *Requiem* recitaverit, *partialem quingentorum dierum Indulgentiam* consequetur.

5. Eamdem Indulgentiam acquiret qui quavis feria sexta de Passione et Morte D. N. Iesu Christi aliquantulum pie cogitaverit, terque Orationem Dominicam et Salutionem Angelicam devote recitaverit.

6. Qui suam conscientiam excusserit et peccata sua sincere detestatus fuerit cum proposito se emendandi, devoteque recitaverit semel *Pater Noster, Ave Maria* et *Gloria Patri* in honorem SS.mae Trinitatis, aut quinquies *Gloria Patri* in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi, *trecentorum dierum Indulgentiam* lucrabitur.

7. Quisquis pro agonizantibus oraverit, pro iis *Pater noster* cum *Ave Maria* saltem semel recitando, *partialem centum dierum Indulgentiam* adipiscetur.

8. Qui demum, in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit et, rite confessus ac sacra Synaxi refectus vel saltem contritus, SS.mum Iesu Nomen ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit et mortem de manu Domini, tamquam peccati stipendium, patienter susceperit, *plenariam Indulgentiam* consequetur.

MONITA

1. Res aptae ad recipiendam benedictionem pro Indulgentiis Apostolicis lucrandis sunt tantummodo coronae, rosaria, cruces, crucifixi, parvae statuae, numismata, dum-

modo non sint ex stanno, plumbo, vitro conflato ac vacuo aliave simili materia, quae facile confringi vel consumi possit.

2. Imagines Sanctorum alios ne repraesentent quam rite canonizatos vel in probatis martyrologiis relatos.

3. Ut quis valeat Indulgentias Apostolicas lucrari, necesse est ut aliquam ex rebus benedictis ab Ipso Summo Pontifice vel a Sacerdote facultate praedito, super se deferat aut in domo sua decenter retineat.

4. Ex expressa SS.mi Domini Nostri declaratione, per Apostolicarum Indulgentiarum concessionem nullatenus derogatur Indulgentiis a Summis Pontificibus iam alias forte concessis pro precibus, piis exercitiis vel operibus recensitis.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae Ap., die 11 Martii 1939.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

Annotationes.

Si haec concessio cum concessione anni 1922 (*Periodica*, XI, 1922, pp. 39-45) comparatur, non pauca neque levia discrimina inter duos elenchos apparent.

1) Titulus novae concessionis titulo prioris multo explicatior est; anno namque 1922 hic erat: *Indulgentiae Apostolicae qua Ss.mus D. N. Pius PP. XI in audientia D. Card. Maiori Poenitentiario impertita die* 17 *februarii* 1922 *largitus est.*

2) Inversus est ordo monitorum et indulgentiarum, quoniam anno 1922 illa priorem, haec alterum locum obtinebant.

3) Paragraphus 1 novi elenchi ea omnia complectitur quae anno 1922 paragraphis 1-3 continebantur.

4) In paragrapho 1 post mentionem rosarii vel tertiae huius partis indicabatur concessione anni 1922 « divinum officium », post mentionem officii parvi B. V. Mariae, « officium Defunctorum »; verba autem hodierna « officii Defunctorum » deerant. In novo elencho de indulgentiis recitationi divini officii adnexis agit par. 3.

Vel consueverit saltem... agnoscuntur. Anno 1922, omissa ista frequentiae mentione (« saltem semel in hebdomanda »), pauca quaedam pia opera singillatim percensebantur: « vel consueverit in ecclesia christianam catechesim tradere, aut domi illam suos filios, propinquos vel famulos docere, vel in carceribus detentos aut aegrotantes in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus quomodocumque opitulari ».

Post verba *Missae interesse* concessio anni 1922 haec addebat: « eamve, si fuerit sacerdos, celebrare ». De indulgentiis missae celebratione acquirendis agit nunc paragraphus 2.

Partialem septem annorum lucrabitur Indulgentiam. Anno 1922 viginti et septem diebus paulo supra recensitis adiungebantur alia festa Domini et B. V. Mariae, dies dominici ceteraque per annum festa de praecepto, demum reliqui anni dies. Singulis autem festis Domini vel B. V. Mariae concedebatur indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum, diebus dominicis et reliquis diebus de praecepto quinque annorum et totidem quadragenarum, ceteris omnibus diebus trecentorum dierum.

Partialem trium annorum indulgentiam adipiscetur. Antea indulgentia trecentorum dumtaxat dierum erat.

5) Paragraphi hodiernae 2 et 3, si ea excipias quae supra indicavimus, plane novae sunt.

6) In paragrapho 4, anno 1922 condicio acquirendae harum indulgentiarum erat ut precum recitatio fieret « ad aeris campani signum », vel « edito pro Defunctorum

suffragio campanae signo ». Deerat vero incisum: « vel cum primum postea potuerit ». Pro angelica salutatione quinquies recitanda satis erat « semel *Pater noster* cum *Ave Maria* » dicere. Pro defunctis autem non erat addenda oratiuncula *Requiem*. Indulgentia trecentorum dierum erat.

7) In paragrapho 5 nulla apparet mutatio.

8) Paragraphus 6 anni 1922 easdem orationes in honorem Ss.mae Trinitatis et in memoriam Quinque Christi Vulnerum praescribebat seu omittebat voces: « quinquies *Gloria Patri* ».

9) In paragrapho 7 pro voce agnonizantibus adhibebatur hic circuitus: « fidelibus qui sunt in transitu vitae ». Miro autem modo inter se opponebantur duae hae res: orare pro istis fidelibus et pro iisdem semel *Pater noster* cum *Ave Maria* recitare, quasi hoc non esset orare. Quae dicendi ratio nunc correcta est.

10) Paragraphus 8 anni 1922 post vocem *commendaverit* ab hodierna ratione plane diversa est: « et, iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Const. quae incipit *Pia mater*, 5 aprilis 1747, paratum se exhibuerit obsequenti animo mortem a Deo opperiri, et vere poenitens, confessus ac S. Communionem refectus vel, si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis sit impeditus, Ss.mum nomen Iesu, plenariam Indulgentiam consequetur ».

11) In Monitis hoc tantum mutatum est quod in paragrapho 1 verbo *vitro* subiunctae sunt voces « conflato ac vacuo ». De qua re v. quae scribebat A. Vermeersch in suis annotationibus ad elenchum anni 1922, *Periodica*, XI, 1922, p. 42.

12) Concessio anni 1922 non ab ipso Paenitentiario Maiore sed a S. Paenitentiariae Regente subscripta erat.

H.

44 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

Decretum 1 maii 1939

DECRETUM

DE PORTIUNCULAE INDULGENTIA

(*AAS* XXXI [9 iun. 1939] p. 226)

Apostolica Sedes, nostris praesertim temporibus, cum in concedendis Indulgentiis, tum in earum acquisitione faciliore reddenda, maiore cotidie assolet largitate uti.

Quam ad rem Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII, id vehementer exoptas, ut christianus populus pretiosum eiusmodi Ecclesiae thesaurum uberiore usque modo participet, itemque ut animae piaculari igne expiandae hac ratione magis in dies magisque iuventur, in audientia subscripto Cardinali Paenitentiario Maiori die XXII mensis Aprilis a. MDCCCCXXXIX impertita, ad plenariam quod attinet Portiunculae Indulgentiam lucrandam, pro impensissima pietate Sua, hoc decernere dignatus est, ut scilicet, abrogato n. V. Decreti « Ut septimi pleni » ab hoc Sacro Tribunali die X mensis Iulii a. MDCCCCXXIV editi, omnes Ecclesiae Cathedrales ac Paroeciales, ac praeterea aliae Ecclesiae aliaqua Oratoria — pro quibus, in amplioribus praesertim Paroeciis, ex prudenti locorum Ordinarii arbitrio, fidelium commodum id postulare videatur — a Sacra paenitentiaria Apostolica, per supplicem libellum ob Ordinario commendatum, Portiunculae privilegium obtinere possint. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 1 Maii 1939.

L. Card. LAURI, *Paenit. Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

Annotatio

Numerus ille V Decreti *Ut septimi pleni* qui nunc abrogatur haec statuebat: « Ecclesiae vel publica oratoria ut privilegio hoc [videt. *Portiunculae*] locupletentur, distent oportet tria, ut vocant, chilometra ab aliis ecclesiis vel oratoriis quae ad aliquem Franciscalem Ordinem pertineant aut eodem privilegio fruantur ». V. *Periodica,* XIII (1924), p. 165. Qua exceptione sublata praesens Decretum statuit omnes ecclesias Cathedrales ac Paroeciales, aliasque ecclesias et oratoria, *Portiunculae* privilegio insigniri posse.

45 - Sacra Paenitentiaria Apostolica
Rescriptum 24 iul. 1939

DUBIUM

DE ABSOLUTIONE IMPERTIENDA ADHAERENTIBUS FACTIONI « L'ACTION FRANÇAISE »

(*AAS* XXXI [19 aug. 1939] p. 317)

Sacrae Paenitentiariae Apostolicae sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit:

« An, attento decreto a Suprema S. Congregatione S. Officii die 10 Iulii 1939 promulgato circa diarium *L'Action Française,* confessarius absolvere possit paenitentem socium factionis *L'Action Française,* qui asserit se eidem factioni adhaerere tantum velle si et donec Consilium factioni praepositum in sua agendi ratione stet declarationibus et cautionibus, quae in praefato decreto cum suis adnexis continentur ».

Sacra Paenitentiaria Apostolica respondendum mandavit: « Affirmative ».

Facta autem de praemissis relatione Ss.mo Domino Nostro Pio Div. Prov. Pp. XII ab infrascripto Cardinali Pae-

nitentiario Maiore in Audientia diei 22 vertentis mensis, idem Ss.mus Dominus resolutionem Sacrae Paenitentiariae approbavit, confirmavit et publicandam mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 24 Iulii 1939.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

46 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(officium de indulgentiis)

Decretum 15 iunii 1939

DECRETUM

DE BENEDICTIONE PAPALI OPE RADIOPHONICA ACCEPTA

(*AAS* xxxi [15 iul. 1939] p. 277)

Iam pridem multisque ex partibus supplices ad Sanctam Sedem libelli pervenerunt, per quos postulabatur ut qui Apostolica Benedictione a Summo Pontifice Urbi et Orbi sollemnibus occasionibus impertita una cum plenissima admissorum venia praesentes frui nequirent, possent tamen plenariam Indulgentiam adipisci, si ope radiophonica eamdem Benedictionem pia devotaque mente acciperent.

Iamvero, re mature studioseque perpensa, infra scriptus Cardinalis Paenitentiarius Maior, in Audientia die 10 currentis mensis et anni habita, causam eiusmodi Beatissimo Patri decernendam proposuit. Augustus Pontifex vero, relatione audita ad eodem Cardinali facta, ac valde percupiens ut ea, quae progrediens aetas per humanarum disciplinarum studia invexerit, saluti animarum procurandae inser-

viant, decernere ac statuere dignatus est ut cum praesentes tum ii qui quovis spatio absentes, ope tamen radiophonica, Benedictionem a Summo Pontifice Urbi et Orbi impertitam pie devoteque accipiant, plenariam Indulgentiam, suetis conditionibus, lucrari possint.

Mandavit autem Sanctitas Sua ut praesens Decretum publici iuris fieret.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiari etiam mentione dignis.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 15 Iunii 1939.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

47 - Pontificia Commissio de re Biblica Responsum 16 iul. 1939

RESPONSUM

DE EXPERIMENTIS AD LAUREAM

(*AAS* XXXI [19 aug. 1939], p. 320)

Cum quaesitum fuerit utrum liceat in examinibus ad lauream coram Pontificia Commissione Biblica habendis, experimenta quae, iuxta statuta, defensionem theseos praecedere debent, ab hac ipsa defensione ita seiungere ut etiam sat magno temporis intervallo ante fieri possint, Pontificia Commissio Biblica respondit:

Affirmative, dummodo vel ambo experimenta praeliminaria simul fiant, vel lectio publica cum defensione theseos coniungatur.

Quod responsum Ss.mus Dominus Noster Pius PP. XII, in audientia die 16 Iulii a. 1939 infrascripto Rev.mo Con-

sultori ab Actis benigne concessa, ratum habuit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 16 Iulii a. 1939.

IACOBUS M. VOSTÉ, *O. P., Consultor ab Actis.*

48 - Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos Responsa 24 iul. 1939

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

(*AAS* XXXI [19 aug. 1939], p. 321)

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - DE EPISCOPO PROPRIO SACRAE ORDINATIONIS

D. I. An laicus, qui a proprio Episcopo ad primam tonsuram promotus sit in servitium alius determinatae dioecesis de consensu huius Episcopi, huic dioecesi incardinatus sit ad normam canonis 111 § 2.

R. Affirmative.

D. II. An Episcopus dioecesis, in cuius servitium laicus ad primam tonsuram a proprio Episcopo promotus fuerit, illi iure proprio et exclusivo ordines conferre aut litteras dimissorias dare valeat ad normam canonis 955 § 1, licet ipse in eadem dioecesi domicilium nondum acquisiverit.

R. Affirmative.

II - DE RELIGIOSORUM SAECULARIZATIONE

D. Utrum verba *loci Ordinarius*, de quibus in canone 638, designent Ordinarium loci commorationis religiosi, an Ordinarium loci domus principis.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

III - DE HABITU ET INSIGNIBUS CONFRATERNITATUM

D. An vi canonis 714 confraternitas de licentia Ordinarii loci immutare possit proprium habitum vel insignia, quin amittat iura et privilegia praesertim praecedentiae et indulgentiarum.

R. Affirmative, salvis tamen legibus liturgicis.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 24 mensis Iulii, anno 1939.

M. Card. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

49 - Officium Secretariae Status
Epistula E.mi D. Card. Secretarii

EPISTOLA E.MI ET REV.MI D. CARDINALIS AL. MAGLIONE AD E.MUM ET REV.MUM D. CARDINALEM I. VERDIER ARCHIEPISCOPUM PARISIENSES AB PROXIMUM CONVENTUM OPERIS « COMMUNITATUM PAROECIALIUM » PRO MISSIONIBUS INTERNIS IN GALLIA (1)

(*Osservatore Romano,* 19 augusti 1939)

Eminentissime et Reverendissime Domine.

Legati « Communitatum Paroecialium » qui propediem conventuri sunt in Sacrum collem cuius nomen Mons Martyrum, ad celebrandum decimum suum « Diem Communitarium » (quem aiunt), iure gaudebunt quod post decem annorum experimentum firmiter corroboratum apparet institutum quod validissimum auxilium afferre potest in ur-

(1) A nobis ex sermone gallico latine reddita.

genti labore restaurationis religiosae in magna et carissima ista regione.

Etenim in illo spiritualis sanationis labore, inter populos apud quos omnis religionis cura aliquando plane exstincta videtur, praesertim necessarii sunt apostoli igneo animo, qui, flamma evangelii propagandi incensi et vita interiore ex ipsis fontibus evangelicis copiose nutriti, ministerio pastorali sine respectu et sine exceptione sese consecrent, liberi, quantum fas est, molestis ordinis materialis curis.

« Communitas paroecialis » qualis in pluribus civitatibus et pagis Galliae constituta est, respondet, ut videtur, isti necessitati, quoniam facultatem fecit tales apostolos conscribendi atque instituendi, eiusque operae propagatio effecit ut fides et christiana pietas in regionibus unde expulsa erat revivisceret.

Hic effectus quam aptissimus est qui omnium animos excitet. Itaque S. Pater libenter inde cum omnibus carissimis suis sacerdotibus missionariis laetatur et gaudens cum iis Deo gratias ipse agit, cum eos hortatur ut missionem suam intentiorem reddant omnesque vires adhibeant ut multiplicentur opportunissimi illi vitae communis et apostolicae foci.

Cum sacrificia quae illa ministerii ratio postulat laetanter acceptant, certissimum efficiunt fructum sacerdotalis suae vocationis talentorum et simul pretiosissima propriae suae sanctificationis auxilia inveniunt. Haec autem, quod nemo ignorat, sacerdotis vitam fecundam facit et nihil ei in apostolatus exercitio suffici potest quo huic sui fructus certo praestentur.

Laetatur Sua Sanctitas cum censet fore ut illis fructibus carissimi sacerdotes sui maiore in dies zelo incendantur et ad latiorem altioremque operam adducantur. Ad hoc copiosissimam lucem ex Alto implorat et cum firmiter sperat opus « Communitatum paroecialium » per laborem, sacrificium et orationem ad maiorem Dei gloriam constan-

ter esse progressurum, toto corde moderatoribus singularum communitatum singulisque earum membris Benedictionis Apostolicae solacium mittit.

Maximae laetitiae cum mihi est quod in manus Eminentiae Tuae hunc augustum nuntium tradere possum, una cum Suae Sanctitatis Benedictione et gratulationibus singularissimis ob magnum numerum Communitatum quem habes in Tua dioecesi, libentissime hac occasione utor ut humiliter manum Tuam osculer meque iterum profitear alta cum veneratione.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
devotum servum in Christo Iesu
Al. Card. Maglione.

ACTA VARIA

50 - Commissio pro regimine Actionis Catholicae in Italia

ACTIONIS CATHOLICAE IN ITALIA NOVAE NORMAE [1]

(*Bollettino Ufficiale dell'Azione Cattolica Italiana*, luglio-agosto 1939)

MUTATIONES STATUTORUM A. C. I.

Commissio Cardinalium a S. Patre summo regimini Actionis Catholicae in Italia praeposita:

a) Memor mandati sibi ab Augusto Pontifice dati;

b) mentem Episcopatus Italici percontata;

c) opportunum atque utile existimans Excellentissimos Episcopos ipsos directius Actionem Catholicam in sua quemque dioecesi cum praestandam tum moderandam assumere, cum haec nihil aliud sit quam apostolatus laicorum in potestate et in auxilium Hierarchiae, id est Episcoporum Summo Pontifici subditorum;

d) arbitrans directionem illam Actionis Catholicae in unaquaque dioecesi gubernandae ab Episcopis suscep-

---

La Commissione Cardinalizia, preposta dal Santo Padre all'alta direzione dell'Azione Cattolica in Itatlia:

a) avendo presente il mandato conferitole dall'Augusto Pontefice;

b) conosciuto il pensiero dell'Episcopato Italiano;

c) ritenendo opportuno ed utile che gli Ecc.mi Vescovi assumano più direttamente nelle loro Diocesi, come la responsabilità, così anche la direzione dell'Azione Cattolica, non essendo questa che l'organizzazione dell'apostolato dei Laici in dipendenza ed in aiuto della Gerarchia, cioè dei Vescovi soggetti al Romano Pontefice;

d) ritenendo che tale più diretta assunzione del governo diocesano dell'Azione Cattolica da parte dei Vescovi dimostrerà sempre

---

(1) A nobis ex sermone italico in latinum conversae.

tionem magis ac magis demonstraturam esse quantum ipsa Actio Catholica Episcopatui cordi sit, et quomodo hic eius consiliorum atque operum sinceritatem apud omnes praestare destinatum habeat:

Decernit in Statuta Actionis Catholicae opportunas quasdam mutationes inducere ad has normas:

1. - Commissio Cardinalium alti regiminis mandatum quod sibi datum est exercebit cum, quotiescumque id necessarium censebit, Actionis Catholicae in Italia generales normas praescribet, eius incrementum curabit, operae vero cum in Natione universa tum in singulis Dioecesibus invigilabit.

2. - Ut de rebus actis ea documenta habeat quae ad mandatum suum exesequendum necessaria sunt, Commissio Cardinalium certior fiet a suo Secretario de Actionis Catholicae progressu cum in universo, tum in singulis Dioecesibus.

3. - Ipsa Commissio Assistentes ac Vice-Assistentes Centrales, et Praesides Centrales nominat, quibus munus suum ad biennium confert, iterum autem atque iterum continuare potest.

4. - Commissio Cardinalium examinabit et, prout res feret, approbabit, postquam documenta sibi a Secretario subiecta erunt:

---

più ai fedeli quanto stia a cuore all'Episcopato l'Azione Cattolica stessa, e come esso intenda garantirne di fronte a tutti la purezza di intenti e di azioni;

Delibera di apportare agli Statuti di Azione Cattolica alcune opportune modifiche secondo i seguenti principii:

1. - La Commissione Cardinalizia eserciterà il suo mandato di alta direzione dando, ogni qualvolta lo riterrà necessario, norme generali all'Azione Cattolica in Italia, promovendone lo sviluppo e controllandone l'attività in tutta la Nazione e nelle singole Diocesi.

2. - Per avere gli elementi di fatto necessari all'esercizio del suo mandato, la Commissione Cardinalizia sarà tenuta informata dal Suo Segretario circa l'andamento dell'Azione Cattolica in generale e nelle singole Diocesi.

3. - La Commissione stessa, nomina gli Assitenti e Vice Assistenti Centrali, e i Presidenti Centrali, i quali durano in carica per un bennio e possono sempre essere riconfermati.

4. - La Commissione Cardinalizia esaminerà e si riserva di approvare, dietro presentazione fatta al Segretario;

a) annua apud singulas Associationes nationales operum programmata;

b) earundem Associationum Nationalium semestralem expositionem de generali et speciali suae ordinationis conditione;

c) semestralem expositionem de rebus ab iis gestis;

d) eorum de sumptibus faciendis vel factis rationes;

e) nova, si quae fuerint, in anno excogitata atque incepta opera.

5. - Secretarius Commissionis erit etiam Moderator Generalis Actionis Catholicae in Italia. Adiutorem sibi habebit Vice-Directorem et Delegatum Administrativum, qui ab ipsa Commissione ad biennum designabuntur, sicut supra dictum est et una cum Moderatore Officium Centrale constituent.

6. - Moderator Generalis convocabit, quotiescumque id opportunum iudicabit, Consultam Generalem ex Assistentibus Ecclesiasticis ac Praesidibus Centralibus constantem Consulta communibus consiliis atque operibus instruendis et singularum Associationum Nationalium labori componendo inserviet.

7. - In omni Dioecesi, ubi id nondum exstitit, Episcopus constituet in Curia Episcopali Officium Diocesanum

---

a) i programmi annuali di lavoro delle singole Associazioni Nazionali;

b) la relazione semestrale delle stesse Associazioni Nazionali sulla loro situazione organizzativa generale e speciale;

c) la relazione semestrale sulle loro attività svolte;

d) i loro bilanci preventivi e consuntivi;

e) le eventuali nuove iniziative che sorgessero nel corso dell'anno.

5. - Il Segretario della Commissione sarà anche *Direttore Generale* dell'Azione Cattolica in Italia. Egli avrà in suo aiuto un *Vice-Direttore* ed un *Delegato Amministrativo*, i quali saranno nominati dalla Commissione stessa *ad biennium*, come sopra, e costituiranno col Direttore l'Ufficio Centrale.

6. - Il Direttore Generale convocherà ogni qualvolta lo ritenga opportuno la *Consulta Generale*, formata dagli Assistenti Ecclesiastici e dai Presidenti Centrali.

La Consulta servirà allo studio delle iniziative generali ed alla coordinazione del lavoro delle singole Associazioni Nazionali.

7. - In ogni Diocesi, ove ancora esiste, il Vescovo costituirà nella Curia Vescovile l'*Ufficio Diocesano per la Direzione dell'Azione Cat-*

de Actione Catholica moderanda. Cui Officio ipse Episcopus praeerit per se vel per specialem Delegatum Episcopalem.

Assistentes et Praesides Dioecesani (qui omnes ab Episcopo ad biennium nominantur) constituent Consultam Dioecesanam, quae ab Episcopo vel ab eius Delegato convocabitur, quotiescumque id opportunum censebitur, et intra Dioeceseos fines eodem instructionis et compositionis munere fungetur quod articulo 6 definitur.

8. - In omni Paroecia Parochus moderabitur (per se ipse vel per delegatum ab Episcopo approbatum) Officium Paroeciale Actionis Catholicae, et convocabit, cum id opportunum existimaverit, Consultam Paroecialem, ex Assistentibus et Praesidibus Paroecialibus constantem, qui omnes ad biennium ab ipso Episcopo nominabuntur, et, quod ad Associationum Paroecialium Praesides spectet, auditis etiam Dioecesanis Praesidibus ad quos res pertineat.

9. - Praesides Nationales, Dioecesani et Paroeciales singularum Associationum, quod ad nova opera ineunda vel ad iam approbata programmata exsequenda attinet, inter se non agunt nisi per Officia Dioecesana Actionis Catholicae.

---

tolica. A tale ufficio presiederà il Vescovo stesso personalmente o per mezzo di uno speciale Delegato Vescovile.

Gli Assistenti ed i Presidenti Diocesani (tutti nominati dal Vescovo *ad biennium*) formeranno la *Consulta Diocesana* che sarà convocata dal Vescovo o dal suo Delegato ogni qualvolta sarà ritenuto opportuno, e svolgerà nell'ambito della Diocesi lo stesso compito di studio e di coordinamento di cui all'art. 6.

8. - In ogni Parrocchia il Parroco dirigerà (personalmente o per mezzo di un delegato approvato dal Vescovo) l'*Ufficio Parrocchiale dell'Azione Cattolica*, e convocherà, quando lo creda opportuno, la *Consulta Parrocchiale* formata dagli Assistenti e Presidenti Parrocchiali, i quali tutti saranno nominati *ad biennium* dal Vescovo stesso, e — quando si tratti di Presidenti di Associazioni Parrocchiali — udita anche la competente Presidenza Diocesana.

9. - Le Presidenze Nazionali, Diocesane e Parrocchiali per le singole Associazioni comunicheranno fra loro per ciò che ha attinenza ad iniziative nuove o all'attuazione dei programmi già approvati, soltanto attraverso gli Uffici Diocesani di Azione Cattolica.

INSIGNIA ET TESSERAE

In conventu diei 25 iulii 1939 Commissio Cardinalium summo regimini Actionis Catholicae in Italia praeposita plures Episcoporum quaestiones de usu insignium et de Actionis Catholicae tesseris perpendit, hasque normas sequendas proposuit.

Quoniam tesserae et insignia Actionis Catholicae, hodierna sua forma, crucis videlicet, plane congruunt cum pactionibus mense septembri anni 1931 factis, mense vero augusto anni 1938 memoratis, quibus dicitur « illis Associationibus licitum fore tesseras et insignia habere quae cum earum religiosis finibus convenient », et quoniam Actioni Catholicae adscripti eo libentius illa insignia gerunt quod Sancta Sedes ea ferentibus peculiares indulgentias concessit:

Statuitur de illis insignibus:

1) ea geri debere Actionis Catholicae sociis cum in eorum Associationum Sedibus tum in ipsius Actionis Catholicae propriis manifestationibus;

2) ea gerenda non esse in vestimentis militaribus neque in aliis vestimentis P. N. F. vel G. I. L. neque in manifestationibus quae ad militiam vel politicam spectant;

DISTINTIVI E TESSERE

Nella sua adunanza del 25 luglio 1939 la Commissione Cardinalizia per l'Alta Direzione dell'Azione Cattolica in Italia ha preso in esame diversi quesiti di Vescovi *circa l'uso dei distintivi e circa le tessere dell'Azione Cattolica* ed ha dato queste direttive:

Premesso che le tessere e i distintivi di Azione Cattolica, nella loro forma attuale — una Croce — rispondono esattamente agli *Accordi* stipulati nel settembre 1931 e richiamati nell'agosto 1938 i quali dicono « dette Associazioni potranno avere tessere e distintivi corrispondenti alla loro finalità religiosa » e che tanto più volentieri gli Ascritti all'Azione Cattolica portano tali distintivi in quanto la Santa Sede ha concesso a chi li porta particolari indulgenze:

Si stabilisce che tali distintivi:

1) *devono portarsi* dai soci dell'Azione Cattolica sia nelle sedi delle loro Associazioni come nelle manifestazioni proprie dell'Azione Cattolica stessa;

2) *non devono portarsi* sulle uniformi militari e sulle altre uniformi del P. N. F. e della G. I. L. e nelle manifestazioni di carattere militare e politico;

3) quaenam in aliis locis aliisque rerum condicionibus norma sequenda sit Excellentissimos Episcopos pro prudentia sua decreturos esse.

De tesseris:

1) Compertum est verum tesserae pretium proxime elapsis annis reapse diminutum esse, prout decrescebat valor seu potestas pecuniae;

2) Cum plausu cognitum est quid quaedam Associationes Actionis Catholicae facere conentur ut tesserarum adeptio hominibus et familiis humilioris loci facilior evadat;

3) Optatum est ut, ad vitandam vel speciem alicuius confusionis cum aliarum Consociationum nominationibus, a nostris Associationibus usurpetur vocabulum « Pagellae Inscriptionis » loco vocis « Tesserae », nomen vero « Adscriptorum », pro nomine « Tesseratorum ».

---

3) negli altri luoghi e nelle altre circostanze il regolamento della cosa è rimessa alla prudenza degli Ecc.mi Vescovi.

Circa le tessere:

1) si è rilevato che il costo reale della tessera è in questi ultimi anni effettivamente ribassato a misura che è diminuito il potere d'acquisto della moneta;

2) si è appreso con soddisfazione quanto qualche Associazione di Azione Cattolica cerca di fare per facilitare l'acquisto delle tessere alle persone e famiglie di più modeste condizioni;

3) si è espresso il desiderio che, ad evitare la parvenza di confusione colla nomenclatura di altre Organizzazioni, sia usato dalle nostre Associazioni il termine di PAGELLA D'ISCRIZIONE invece di quello di TESSERA; e il termine *Ascritti* invece di quello di *Tesserati*.

ACTA SUMMATIM RELATA

51 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Brevi *Teneremundensi in urbe*, 14 mart. 1939, abbatiale templum SS. Apostolorum Petri et Pauli, Teneremundensi in urbe intra fines Gandavensis dioecesis exsistens, privilegiis basilicae minoris honestatur. (*AAS* XXXI [9 iun. 1939] p. 217 s.).

B — Constitutione Apostolica *Apostolica de Buea Praefectura*, 15 mart. 1939, praefectura apostolica de Buea in Africa Occidentali Anglica in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis evehitur (*AAS* XXXI [9 iun. 1939] p. 214 s.).

C — Constitutione Apostolica *De Malang*, 15 mart. 1939, praefectura apostolica de Malang in Indiis Neerlandicis in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis erigitur (*AAS* XXXI [9 iun. 1939] p. 213 s.).

D — Constitutione Apostolica *Si in quavis*, 15 mart. 1939, praefectura apostolica de Swaziland ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem evehitur, iisdem servatis nomine et limitibus (*AAS* XXXI [9 iun. 1939] p. 216 s.).

E — Epistula *Iamdiu fervet*, 16 apr. 1939, ad Exc.mum P. D. Ferdinandum Cento, Archiepiscopum Tit. Seleuciensem Pierium et Nuntium Apostolicum in Peruviana republica, quem S. Pontifex legatum mittit ad II conventum eucharisticum e tota Boliviana natione in civitate Pacensi cogendum (*AAS* XXXI [9 iun. 1939] p. 220 s.).

F — Epistula *Peropportunum sane*, 16 apr. 1939, ad Em.mum P. D. Ioannem Tit. S. Balbinae S. R. E. Presb. Cardinalem Verdier, Archiepiscopum Parisiensem, quem S. Pontifex legatum mittit ad XII Congressum Eucharisticum e tota Galliarum natione in urbe Algeri celebrandum (*AAS* XXXI [9 iun. 1939] p. 219 s.).

G — Epistula *Singulari animi*, 19 april. 1939, ad Em.mum P. D. Aloysium Tit. S. Silvestri in capite S. R. E. Presb. Cardinalem Lavitrano, Archiepiscopum Panormitanum, eundemque

Administratorem Apostolicum Eparchiae Planensis Graecorum, quinque episcopatus lustra feliciter explentem. « Tibi de proxima faustitate Nos in primis gratulamur, qui optime novimus quanto ipse animarum studio, primo in dioecesibus Cavensi et Sarnensi, deinde in archidioecesi Beneventana ac denique in praenobili sede ista Panormitana pastorale munus indesinenter obieris. Tuam profecto sollicitudinem ac sollertiam plane loquuntur dioecesanae Synodi habitae, novae conditae ecclesiae et paroeciae, seminaria clericorum refecta vel ampliata aut ex integro instaurata, tot opportune orta vel provecta educationis caritatisve collegia seu instituta, inter tot temporum angustias et calamitates, iura ecclesiastica vindicata, officia dioecesana ad normas Codicis iuris canonici congruentius accommodata, pietas et honesta cleri sustentatio simulque vita ordinum religiosorum doctrinaeque christianae in scholis traditio promota, et splendor in sacris ritibus perauctus, et Actio Catholica inter laicos acriter excitata. Id praeterea tuae ducitur laudi, quod ad regnum Christi inter infideles inque dissidentes populos amplificandum singulares curas cogitationesque contulisti, praesertim quum Consociationem pro Oriente Christiano in Italia condideris et constitutioni Eparchiae Planensis Graecorum industriose faveris ». (*AAS* XXXI [19 aug. 1939] p. 301 s.).

H — Bulla *Ut inter infideles*, 25 april. 1939, a Vicariatu Apostolico de Dakar, in Africa Occidentali Gallica, territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur praefectura apostolica « Ziguinchorensis », Congregationis Sancti Spiritus curis committenda. (*AAS*. XXXI [11 sept. 1939] p. 336 s.).

I — Brevi *Viglevanensium Episcopus*, 25 april. 1939, Sanctus Carolus Borromaeus, Ep. C., patronus aeque principalis una cum Sancto Ambrosio, Ep. Doctore, Viglevanensi Civitati ac Dioecesi tribuitur. (*AAS*. XXXI [11 sept. 1939] p. 340 s.).

J — Bulla *Ab uberiores*, 25 april. 1939, Vicariatus Apostolicus de Sienhsien bipartitur et nova exinde praefectura Apostolica de Kinghsien erigitur. (*AAS*. XXXI [19 aug. 1939] p. 293 s.).

K — Bulla *Ad fidei propagationem*, 25 april. 1939, Vicariatus Apostolici de Seul in Corea territorium bipartitur et nova exinde Praefectura Apostolica Sunsenensis erigitur. (*AAS*. XXXI [19 aug. 1939] p. 295 s.).

L — Brevi *Auspicato contigit*, 30 apr. 1939, ad Em.mum P. D. Aloysium Tit. S. Pudentianae S. R. E. Cardinalem Maglione, a Secretis Status, quem S. Pontifex mittit ad sacra sollemnia in renovato templo Pompeiano B. V. Mariae a Sacratissimo Rosario celebranda (*AAS* XXXI [9 iun. 1939] p. 218 s.).

M — Brevi *Epternacensi in oppido,* 1 maii 1939, templum Epternacense, intra fines Luxemburgensis dioecesis, in honorem S. Willibrordi, Ep. C., Deo dicatum, basilicae minoris titulo honoribusque augetur. « Fertur quidem a Sancto Romano Pontifice Sergio Willibrordum, Ultraiectensium Episcopum factum, in ipso oppido Epternacensi monasterium erexisse, in eodemque ab apostolicis laboribus, quos indefessus Frisonibus, Daniis, Hollandicis, Belgis, Trevirisque evangelizandis insumebat, aliquando quiescere consuevisse; ibique magna religiosae vitae exempla atque inconcussae Fidei alumnis monachisque veluti hereditatem reliquisse. Cum vero eodem in Monasterio ipse Sanctus post quinquaginta fere annos fructuosi apostolatus in Domino obdormierit, in adiecto templo abbatiali est etiam depositus; ibique eiusdem corpus in pace quievit, christifidelium veneratione cultuque exornatum ad tempora usque infaustae perturbationis gallicae; cuius asseclae, in tot tantaque Religionis Catholicae Instituta saevientes, monasterium quoque ac templum Epternacense profanarunt Sanctique sepulcrum effregerunt. Sacra tamen ossa Willibrordi pie collecta ex tunc usque ad annum MCMVI in Epternacensi veteri paroeciali ecclesia, ubi reposita interim fuere, christifideles venerati sunt; sed, tandem monasterio temploque antiquis denuo instauratis, reliquiae etiam Sancti Willibrordi, ovante finitimae regionis populo Episcopisque adstantibus, in pristinum sepulcrum refectum sollemniter translatae sunt. Postea autem ob devotionem erga Apostolum Frisonum hodiernum templum, amplitudine et magnificentia iam conspicuum, civili quoque Gubernio adiuvante, novis instaurationibus artisque operibus affabre factis pulcrius redditum est, planeque ideo omnium admiratione dignum habetur » (*AAS* XXXI [11 sept. 1939] p. 342 s.).

N — Nuntio radiophonico a Beatissimo Patre, die 7 mensis Mai anno 1939, christifidelibus dato, ob conventum XII eucharisticum Gallarum in urbe Algeriensi coadunatis, S. Pontifex profitetur se cum nobilissimae Gallicae nationis filiis in Algeriensi urbe congregatis gemina ratione praesentem esse: visibiliter per Eminentissimum Dominum Cardinalem I. Verdier Parisiensem Archiepiscopum, Suum Legatum ac Conventus Praesidem, invisibiliter, quamvis vere quoque, Suis orationibus, quibus cum precanti illic pia ardentique multitudine coniungitur, eoque studiodius quod mensem hunc maium totum communibus precationibus dari cupit, praesertim vero infantum, ut a caelo in terram, per manus Virginis Immaculatae, advocetur pax hominibus bonae voluntatis promissa.

Memoratis deinde ingentibus Christianae religionis progressibus ab anno 1839 ad annum 1939 in Africano continenti factis Paternam suam benedictionem mittit primo in ipsos Galliae filios, deinde in neophytas et catechumenos in Africanis

missionibus sparsos, in omnes denique homines, quorum animae, sicut nostrae, sanguine Hominis Dei redemptae sunt (*AAS* XXXI [9 iun. 1939] p. 221 ss.).

O — Bulla *Quo provinciarum*, 25 maii 1939, a provincia ecclesiastica S. Iacobi in Chile aliquae dioeceses seiunguntur, ex quibus novae duae constituuntur provinciae sub nomine « Serenensis » et « Sanctissimae Conceptionis ». (*AAS*. XXXI [11 sept. 1939] p. 338 ss.).

P — Bulla *Quum, uti accepimus*, 25 maii 1939, missio sui iuris de Miarinarivo in insula de Madagascar in Apostolicum Vicariatum evehitur eique aliqua adnectuntur territoria ad Vicariatus Apostolicus de Tananarive et de Majunga hucusque pertinentia. (*AAS*. XXXI [25 sept. 1939] p. 365 ss.).

Q — Allocutio quam die 2 iunii 1939 habuit B. P. Pius Papa XII ad purpuratos Patres, qui in fasto S. Eugenii I, Sui caelestis Patroni, gratulationes et vota obtulerunt. Ex ea quaedam meminisse iuvabit: Quae nunc temporis publica negotia agitantur ea profecto sunt ut nullum sit acumen providentiae quod descernere possit utrum in aedificationem an in destructionem sint futura. Quapropter nihil aliud nobis reliquum est nisi fidenter animos et voces ad Deum misericordiosum Patrem elevare, et iuxta monitum Apostoli iterare instanter « obsecrationes, orationes, postulationes... pro regibus et pro omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus » (*1 Timot.* II 1-2). Ad hoc quidem omnes pariter tenentur Christifideles; at Ei qui in terris ab ipso Christo constitutus est totius gregis christiani pastor visibilis, officium quoquo atque onus incumbit, ut si quae sunt viae perveniendi ad inducendos in meliora consilia animos eorum qui publicas res gubernant et regunt, eas omnes caute et perseveranter experiatur. Qua in re Summus Pontifex aperte fatetur se neque defuisse, neque in posterum esse defuturum; populus tamen christianus omni ope conari debet ut huiusmodi operam Summi Pastoris efficientiorem reddat; et hoc non solum effusis precibus, sed, quod caput est, sincera instauratione vitae ac pietatis christianae, tam in iis quae ad singulos pertinent homines, quam in rebus domesticam coniunctionem spectantibus. Unde fiet ut et christiani qui nunc sunt, insigniri mereantur glorioso sanctorum nomine quo primaevos illos Paulus Apostolus appellabat, et illud consequamur quod vehementer optamus ac petimus, ut scilicet quod facultas nostra non obtinet sanctorum intercessione donetur. (*Osservatore Romano*, 3 iunii 1939).

R — Allocutio habita die 5 iunii ad Patres Capitulares Ordinis Fratrum Minorum. Praeter alia ad iaudem illustrissimi

Ordinis dicta S. Pater aperte palamque profiteri voluit magnam in Ordine Franciscalium Minorum Suam niti fiduciam, magnam spem; siquidem exitialibus morbis, quibus hoc durum depravatur aevum, aptas valet afferre medelas cum generosus beatissimi Francisci spiritus, tum eius undique perfectae forma et norma vitae. Habet quidem aliquam cum nostra aetate similitudinem saeculum tertium decimum, cum seraphici ordinis legifer, veluti splendidissimum sidus, exorsus est, cuius mira gesta caelesti lingua potius quam humana decantanda sunt. (*Osservatore Romano,* 7 iunii 1939).

S — Allocutio die 7 iunii 1939 habita ad Rectores, Superiores et alumnos P. Collegii Rutheni S. Iosaphat et P. Collegii S. Theresiae a Puero Iesu qui, auspicante S. Congregatione pro Ecclesia Orientali, sacram celebrationem 950 anniversarii a baptismate S. Vladimiri huiusque populi promoverant. S. Pater se felicissimum esse declaravit quod occasione 950 anniversarii a baptismate tam pii tamque magni Principis, coram salutare Ei licebat fideles tam caros, portionem vere electam illius populi, veros filios S. Vladimiri, genuinos prognatos stirpis quae eius fuit, haeredes integri eius spiritus, id est fidei christianae universalis et filialis, unionis cum Sede Romana. (*Osservatore Romano,* 8 iunii 1939).

T — Brevi *Magno et excellenti,* 18 iun. 1939, Beata renuntiatur venerabilis Dei famula Aemilia De Vialar, fundatrix Instituti Sororum a S. Ioseph ab Apparitione. (*AAS.* xxxi [15 iul. 1939] p. 252 ss.).

U — Brevi *Licet commissa,* 18 iunii 1939, Sanctus Franciscus Assisiensis C. et Sancta Catharina Senensis V. primarii Italiae patroni declarantur. « Licet commissa Nobis a Domino Redemptore sollicitudo omnium ecclesiarum Nos ferme compellat ut Christifidelium ubique terrarum bonum propensius foveamus, tamen, cum Romana Sancti Patri Cathedra inter Italiae fines Dei providentia sit constituta, in Italorum quidem utilitates peculiari modo promovendas spirituales animum Nostrum data occasione ultro libenterque convertimus et ea, quae ad hunc finem valde opportuna videantur, quamprimum continenti cura decernenda statuimus. In tantis propterea temporum discriminibus, quibus undique premuntur etiam Italicae gentes, nihil magis consentaneum esse potest muneri pastorali Nostro atque etiam affectui, quo prosequimur concives Nostros, quam illis coelestes apud Deum singularesque constituere Patronos, qui veluti ad custodiam eorundem et praesidium agant. Quis sane dubitet se Sanctorum patrocinio apud Deum omni die adiuvari, praesertim quod in angustia positus intercessione Beatorum Coelitum suffultus Dominum invocat et continuo Do-

minus illum exaudit? Idque vero meritissime contendi potest de patrocinio, quo Sancti nationes gentesque tegunt easque praecipue, quibus patrio amore iam ipsi terrenam adhuc vitam agentes peculiaribus rationibus circumstantiisque prodesse conati sunt. Quod procul dubio asseverandum est de Sancto Francisco Assisiensi deque Sancta Catharina Senensi, qui Italici ambo patriam suam Nostramque, magnam quidem iugiter Sanctorum parentem, non modo, dum viverent, perspicuo factorum ac virtutum fulgore inlustrarunt, sed temporibus quoque difficillimis insuetisque beneficiorum copia auxerunt » (*AAS* XXXI [15 iul 1939] p. 256 s.).

V — Allocutio in audientia generali diei 22 iun. 1939. In ea S. Pontifex novellos sponsos alloquens atque ad christianam futurorum filiorum suorum educationem cohortans, eos quoque edocuit quantum in hac difficili opera auxilium nacturi essent, si filiis suis devotionem erga S. Aloysium Gonzagam ingenerassent. Dubium non est, inquit S. Pater, quin gratia privilegiatam illam animam donis extraordinariis inde a primis annis praevenerit ac comitata sit; non minus tamen certum est Deum usum esse attenta, ingenua atque industria suae operae adiutrice Domina Martha, amabilis nostri sancti matre felicissima. Tantum valet mater quae quam sublime sit munus educationis sibi conscia est! Quibus novellis sponsis ut in absolvendo isto munere opitularetur, Sanctum Patrem iuvabat angelicum illum iuvenem exemplum indicare et proponere quod ipsi filiis sibi a Domino dandis proponerent, patronum quoque cuius tutelae carissima illa sui amori pignora committerent. Profecto mutata sunt tempora, mutati mores, diversae evaserunt formae ac rationes educationis, at vera genuinaque figura Aloysii Gonzagae manet manebitque semper sublime exemplum, cuius species et lineamenta iuvenibus omnium temporum aptissima sunt. Propterea Suae Sanctitatis Decessor, Pius XI venerandae memoriae (*AAS*, XVIII, 1926, p. 258-267), ea confirmans quae iamiam a Benedicto XIII decreta erant, denuo et sollemniter Aloysium Gonzagam caelestem totius christianae iuventutis patronum proclamare voluit. Et cum electissimam istam humanae familiae portionem sub Aloysii tutelam ac patrocinium convocabat, vehementer hortabatur, et paterno cum animo rogabat, ut oculos in admirabilem illum iuvenem, eximiumque naturae ac gratiae opus figerent, qui perfectae sanctitati quamprimum assequendae ingenii consecrabat impetum, animi vigorem, voluntatis vim, operum fervorem, abdicationum magnanimitatem, verus pacis angelus, verus caritatis martyr. S. Pater iisdem sponsis suadebat, ut si possent, in Romanam S. Ignatii ecclesiam se conferrent et, positis apud urnam qua sacra S. Aloysii ossa continentur genibus, ab eo peterent ut inde ab hoc tempore filios eos tueri dignaretur quos sibi a Deo exspectant.

Augustus Pontifex illos mente ac corde ad venerandum illud sepulcrum prosecuturus erat, coram quo Ipse tam saepe precatus est, praesertim cum iuvenis scholasticas aulas frequentabat vicini Collegii Romani, quod sanctam vitam ac pretiosam mortem Aloysii Gonzagae conspexit. (*Osservatore Romano,* 23 iun. 1939).

X — Epistula *Inter clarissimos viros,* 24 iunii 1939, ad Rev.mum P. Petrum Damianum Buffaldini, Priorem Generalem Congregationis Monachorum Eremitarum Camaldulensium Ordinis Sancti Benedicti, saeculo V exeunte ab obitu clarissimi sodalis Ambrosii Traversari « Inter clarissimos viros, qui pietate ac doctrina Institutum Camaldulensium illustraruni, exstat profecto Ambrosius Traversari, cuius a felici obitu quintum iam saeculum fauste completur. Is namque, integritate vitae conspicuus, in perquirendis exscribendisque codicibus diuturnum studium impendit, plura opera de rebus sacris humanisque latine eleganterque conscripsit, gravia munera in ipso Ordine sedulo obivit, ac perhonorifica mandata ad nutum atque utilitatem Apostolicae Sedis alacriter persolvit. Inter cetera sunt singulari digna memoratu illa legatio iussu Eugenii IV fel. rec. Decessoris Nostri ad Sigismundum Imperatorem perfuncta, qua effectum est, ut Concilium ex Basilaea urbe Ferrariam transferretur, et pernobile munus, a Patribus Concilii Florentini eidem commissum, perficiendi decretum unionis ad Graecos in catholicae Ecclesiae gremium recipiendos. Quae sane praeclare gesta luculenter testantur, rerum aeternarum contemplationem non modo mortalis huius vitae incremento ac profectui minime obstare, immo vero maximas utilitates et singulis hominibus et christianae civilique societati ultro afferre posse. Quanto autem amore, quam ferventi devotione insignis vir flagraverit erga Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem, cuius iura ac primatum strenue asseruit atque vindicavit, ex epistulis quoque eius colligere licet. Clarissima illa verba inter alia ad Eugenium Pp. IV leguntur: « Parati sumus pro tuo nomine mori, quippe qui nullam hac mortem speciosiorem arbitramur ». Has itaque laudes ac promerita Ambrosii Traversari iucundo animo memorantes, sollemnia saecularia in eius honorem proxime agenda, non modo merita laude honestamus, verum etiam Nostra participatione per has Litteras libenter prosequimur ». (*AAS* xxxi [11 sept. 1939] p. 343 s.).

Y — Brevi *Divinae benignitatis,* 25 iun. 1939, venerabilis Dei famulus, e Congregatione Missionis Sancti Vincentii a Paulo, Iustinus de Iacobis, Episcopus Nilopolitanus, primus Abyssinensium Vicarius Apostolicus, Beatus renuntiatur. « Divinae benignitatis consilio ab Apostolico aevo ad Nostra usque tempora factum est ut iugiter viri suscitentur praeclari qui verbo

et opere continentibus ad Ecclesiam a Christo Redemptore Nostro conditam, idest ad unica salutis pascua alios homines adducant; Evangelium omni creaturae, iuxta inexstinctum mandatum, nunciantes, regnum etiam Christi pacificum per orbem dilatent; beneficiis ipsis rerum gestarum, virtutibus doctrinaque, quibus enitent, veluti fecunda pluvia Fidei semina in orbe ita irrigent, ut uberiores deinde segetes bonitatis sanctitatisque colligantur. E virorum huiusmodi numero, quos provide Deus misit mirabilia Nobis exempla relinquentes, sine ulla dubitatione etiam habendus est Venerabilis Dei Servus Iustinus de Iacobis, qui Abyssiniae antea Praefectus, postea Vicarius Apostolicus, dimidio saeculo decimo nono, teste celeberrimo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Massaia, fuit « Abyssinensis Missionis fundator, indefessus Orientalis Africae apostolus, missionariorum magister, illius fortitudinis atque abnegationis, quae ad Missiones provehendas sunt necessariae, typicum exemplar, Aethiopicae Ecclesiae angelus ». (*AAS* XXXI [19 aug. 1939] p, 296 ss.).

Z — Litterae Apostolicae Exeunte hoc mense, 8 iulii 1939, ad Eminentissimum P. D. Augustum tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyterum Cardinalem Hlond, Archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem, quem S. Pontifex Legatum suum mittit ad VI Conventum Intentionalem in honorem Christi Regis Labaci exeunte mense iulio 1939 habendum (*Osservatore Romano,* 29 iulii 1939).

AA — Allocutio in audientia generali diei 19 augusti 1939, peregrinis Triarum Venetiarum concessa, qui magno numero, una cum multo clero pluribusque Episcopis, ad Sedem Petri convenerant. Aderant quoque E.mi et Rev.mi DD. Card. Salotti, Ponens Causae Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Pii X, et Card. Canalis eiusdem S. Pontificis piae memoriae prae ceteris devotissimus. Post acceptam a peregrinis religiosissimae suae observantiae significationem, quam omnium nomine suoque proprio ipse E.mus et Rev.mus D. Card. A. I. Piazza, Venetiae Patriarcha, scripto expresserat, illorumque ardentissimum votum suscipiens ut Augusta Sua auctoritate prosecutionem causae beatificationis Pii X fovere pergeret, Beatissimus Pater, commotis splendidisque verbis excelsam humilis et magni Pastoris figuram evocavit, multiplicem eius operam pro fide ac veritate tutanda exaltans, eumque vehementissimi sui erga populos nationesque amoris victimam effectum perhibens.

Insistentes, aiebat quoque Summus Pontifex, vestigiis praedecessorum nostrorum Nos ipsi, a primo nostri Pontificatus die, nihil intentatum reliquimus ut teterrimi belli causas quantum a Nobis est amoveremus, ne opera Nostra ab ea pace concilianda deficeret quae in iustitia fundata honestas populorum

libertates tueretur. Quin immo, tectis ac sartis ministerii Nostri apostolici officiis, quasdam muneris Nostri graviores obligationes seposuimus ut summa qua par est prudentia ita res gereremus ne vituperaretur ministerium Nostrum, quo debitores sumus non solum catholicae Ecclesiae sed universae hominum coniunctioni et societati.

Absit a Nobis, neque enim possumus, ut omnem prorsus spem abiiciamus fore ut per animi moderationem et sinceritatem rectores populorum ad meliora deveniant consilia et minitantem gentium conflictum avertant qui profecto exitiosior superiore bello exsisteret. Altam spem nostram magis quam in prudentia ac generositate hominum in Dei Optimi Maximi bonitate ac misericordia collocamus, qui dedit « folia ligni ad sanitatem gentium » (*Apocal.* XXII, 2), cuius nutu populorum ac principum animi gubernantur.

Quapropter in precibus ad Deum fundendis usque ad importunitatem ne fatigemur, quarum fructus laetos invocamus per sacram benedictionem quam vobis omnibus et cunctis per orbem Christifidelibus toto animo impertimur « in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » (*Osservatore Romano,* 20 aug. 1939).

BB — Allocutio 15 sept. 1939 in sollemni audientia novi Legati Extraordinarii et Plenipotentiarii Regis Belgarum apud Sanctam Sedem, Exc. D. Hadriani NIEUWENHUYS. S. Pontifex, postquam breviter memoravit Sanctam Sedem omnem conatum adhibuisse ut periclitans pax servaretur et repudiata armorum vi, contentiones quibus nationes inter se dividuntur, honestis tractatibus ac conventis solverentur, vehementer dolet quod isti conatus bellum impedire non potuerunt. Nihilominus, aiebat S. Pater, non desistemus ab occupandis opportunitatibus, imprimis populos iterum ad pacem omnibus honorabilem conficiendam adducendi, pacem videlicet cum humana et christiana conscientia consentaneam, quae uniuscuiusque vitalia iura tueatur, nationum vero securitatem ac tranquillitatem sartam tectam constituat Quandiu autem hoc effici non poterit, omni ope huc annitemur ut gravia vulnera quae iam illata sunt vel postea impingentur curemus. Sperat denique S. Pontifex fore ut Potentiae quae bellum gerunt humanitatis leges atque internationalia pacta observent (*AAS* XXXI [25 sep. 1939] p. 367 ss.).

52 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 17 dec. 1938, districtus *Józsa, Szovàt, Tetétlen, Földes* et *Sap* ab archidioecesi Agriensi seiunguntur et Administrationi Apostolicae Debrecinensi perpetuo tribuuntur. (*AAS* XXXI [15 Iul. 1939] p. 261).

2 - Decreto 17 dec. 1938, ecclesiae *Tiszakerecseny, Tiszaadony, Tiszavid* et *Tiszaszalka,* filiales paroeciae *Kopócsapáti,* pariter ecclesia *Kàntorjànosi,* filialis paroeciae *Baktalòranthàza* separantur ab archidioecesi Agriensi et Administrationi Apostolicae Mérkensi aggregantur; ecclesiae autem *Zàhoni, Ilk Nyirvasvári* ab Administratione Apostolica Mérkensi seiunguntur et archidioecesi Agrensi perpetuo tribuuntur, mutatis hac ratione finibus archidioecesis Agriensem inter et Administrationem Apostolicam Mérkensem. (*AAS* XXXI [15 Iul. 1939] p. 261 s.).

3 - Decreto 28 ian. 1939, pagus *Sanniki* a paroecia *Pobiedzika* et ab archidioecesi Gnesnensi separatur atque paroeciae *Iwno,* ad archidioecesim Posnaniensem pertinenti, perpetuo adiungitur, mutatis hac ratione finibus earundem archidioecesium. (*AAS* XXXI [15 Iul. 1939] p. 262).

4 - Decreto 4 febr. 1939, statuitur ut districtus, qui ad septentrionem civitatis Nürnberg inveniuntur, ad archioecesim Bambergensem spectent; qui vero ad meridiem exstant, ad dioecesim Eistettensem pertineant. (*AAS* XXXI [15 Iul. 1939] p. 263).

5 - Decreto 15 martii 1939, territorium paroeciae Sancti Philippi a Praefectura Apostolica de Teffé dismembratur et Praelaturae nullius Jurnensi pereptuo attribuitur; mutatis hac ratione earum finibus. (*AAS* XXXI [15 Iul. 1939] p. 246).

6 - Decreto 1 apr. 1939, territorium quoddam a paroecia *Gelsenkirchen-Rotthausen* atque ab Archidioecesi Paderbornensi seiungitur et paroeciae *Essen-Kray* in archidioecesi Colonicnsi perpetuo attribuitur. (*AAS* XXXI [19 Aug. 1939] p. 307).

7 - Decreto 1 apr. 1939, pagus *Tilniki* et colonia *Wladyslawów* a paroecia *Czemerniki* et a dioecesi Lublinensi separantur atque paroeciae *Siemień,* ad dioecesim Siedlcensem pertinenti, perpetuo adiungitur, mutatis hac ratione finibus earundem dioecesium. (*AAS* XXXI [11 Sept. 1939] p. 345).

8 - Decretum 15 apr. 1939, territoria nuncupata: *S. Antonio, la Bordinetta* et *Ponte Pietra* a dioecesi Carpensi distrahit et Abbatiae *nullius* Nonantulanae attribuit, et vicissim territoria: *C. Pignatti, l'Uccelliera, Qualiara, S. Liberata, Montalbano* et *Dogale Delfini* ab Abbatia *nullius* Nonantulana seiungit et dioecesi Carpensi aggregat, mutatis hac ratione finibus dioecesanis. (*AAS* XXXI [11 Sept. 1939] p. 346).

9 - Decreto 28 aprilis 1939, renovantur speciales facultates Ordinariis Americae Latinae per Breve *Litteris Apostolicis* Pii Pp. xi f. r., diei 30 Aprilis 1939, pro fidelium necessitatibus et locorum conditionibus attributae, una dumtaxat immutatione inducta; scilicet in n. 3 memorati Brevis Apostolici, ubi dicitur: « Item Ordinarii locorum deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis administrandum », legendum erit: « Item Ordinarii locorum, *secluso Vicario Generali sine sui Ordinarii loci speciali mandato,* deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis administrandum ». (*AAS* xxxi [9 Iun. 1939] p. 224)

53 - Sacra Congregatio Concilii

Dispositiones de custodendis et conservandis rebus historiam et artem sacram in Italia spectantibus, die 24 maii 1939 editae. Ecclesia Catholica semper monumenta historiae et artis magna diligentia custodivit ac tutata est. Quare opportunum censuit S. Congregatio instructiones annis 1924, 1925, 1928 e 1929 de hac re Ordinariis Dioecesanis Italiae datas memorare earumque observationem urgere, cum his temporibus ob frequentiorem usum expositionis etiam saepius ab earum ordinatoribus plura cimelia artisque sacrae res expostulantur illisque concedenda sunt. Monet autem S. Congregatio: 1. Alias res natura sua esse inamovibiles; 2. alias tales esse, quia sine magno damni periculo amoveri non possunt; 3. amotionem rerum artis sacrae ut commodentur ordinariae administrationis fines excedere; inde necessariam esse S. Congregationis Concilii licentiam. Ut haec debita cum cognitione petitam facultatem concedere possit prius edocenda est qualis sit res commodanda, quodnam eius pretium, cur et quandiu transferenda sit, quaenam obligationes a petentibus sint acceptae, quid de re sentiat Commissio dioecesana. Res tradi numquam possunt nisi hominibus ab Auctoritate civili ad hoc designatis et post redactum ac subsignatum traditionis documentum. Neque concederetur ut res diutius a proprio suo loco remota maneant. Ut autem, quantum fieri potest, expostulationum illarum motivum tollatur, res in ipsis suis locis sedulo ita custodiantur ut etiam ab artis studiosis conspici possint. Utile quoque erit musaea artis sacrae constituere. Denique curandum est ut catalogi conficiantur (*AAS* xxxi [15 iulii 1939] p. 266, ss.).

54 - S. C. de Prop. Fide

1 - Decreto 15 martii 1939, e Vicariatu Apostolico de Kirin pars septentrionalis seiungitur atque Praefecturae Apostolicae de Tsitsihar adnectitur. (*AAS* xxxi [19 aug. 1939] p. 308).

2 - Decreto 15 martii 1939, a missione sui Iuris de Miarinarivo Districtus de Ankavandra seiungitur atque Praefecturae Apostolicae de Morondava subiicitur (*AAS* XXXI [19 aug. 1939] p. 309).

55 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis.

1 - *Bononien.* Decretum 15 martii 1939, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur,* beatificationis et canonizationis Servae Dei CLELIAE BARBIERI, fundatricis Minimarum a Virgine Perdolente. (*AAS* XXXI [11 sept. 1939] p. 348).

2 - *Comen. seu Mediolanen.* Decretum 15 mart. 1939, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur,* beatificationis et canonizationis Servi Dei ALOISI GUANELLA, Sacerdotis et Fundatoris Congregationis Servorum a Caritate et Filiarum S. Mariae De Providentia. (*AAS* XXXI [19 aug. 1939] p. 311).

3 - *Abyssinen.* Decretum 14 maii 1939, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur,* beatificationis et canonizationis Venerabili Servi Dei IUSTINI DE IACOBIS, Episcopi Nilopolitani et primi Vicarii Apostolici Abyssinen., e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paulo.(*AAS* XXXI [15 iul. 1939] p. 271).

4 - *Abyssinen.* Decretum 4 iunii 1939, Super dubio: *an, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto procedi possit ad praedicti Venerabilis sollemnem beatificationem,* beatificationis et canonizationis Venerabilis Servi Dei IUSTINI DE IACOBIS, Episcopi Nilopolitani, primi Vicarii Apostolici Abyssinen., e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paulo. (*AAS* XXXI [15 iul. 1939] p. 273).

5 - *Andegaven.* Decretum 4 iunii 1939, Super dubio: *an et de quibus miraculis, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur,* canonizationis B. MARIAE A S. EUPHRASIA PELLETIER, Virginis, professae Ordinis Dominae Nostrae a Caritate, fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore. (*AAS* XXXI [19 aug. 1939] p. 314).

6 - *Andegaven.* Decretum 23 iulii 1939, Super dubio: *an, stante approbatione duorum miraculorum post indultam ab apostolica Sede eidem Beatae venerationem, tuto procedi possit ad sollemnem ipsius canonizationem,* canonizationis Beatae MARIAE A S. EUPHRASIA PELLETIER, Virginis, Professae Ordinis Dominae Nostrae a Caritate, fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore. (*AAS* XXXI [11 sept. 1939] p. 350).

56 - Officium Secretariae Status

Epistula E.mi D. Card. Maglione a Secretis Status, ad R. P. G. P. Archambault S. I. Scholae Socialis Popularis Canadensis, qua definitur quo intendi oporteat studia XVII Hebdomadis Socialis Catholicorum Franco-Canadensium diebus 24-29 septembri 1939 Quebeci agendae. Cum Schola Socialis Popularis, cuius auctoritate et impulsu conventus parabatur, ad studiorum argumentum elegisset quaestionem seu problema pacis, non solum nationalis atque internationalis sed etiam socialis, eamque adhibita luce principiorum catholicorum ac caritatis solvendam, Eminentissimus scriptor hoc consilium plene approbat et adiungit: Cum ita ipsi pacis fontes repetentur, cuius iustitia custos est et norma, veritas quaedam praeter alias plena sua luce apparebit: necessitas assequendi magna illa bona, quae sunt iustitia et pax, per sacrificium, quod omnes ad se abdicandos potius quam ad res exigendas adducit. Neque syndicalismus et classium socia opera, neque ordinatio corporativa, neque ipse sanus nationalismus vel perfecta nationalis educatio in iustitia pacem socialem vel pacem nationum efficere potest, quandiu excluditur sacrificium et unum strictum ius triumphare vult. At si verum est pacem inter populos hodie primum locum in omnium mentibus occupare, non minus verum est omnem pacem exteriorem promanare ex interiore conscientiae pace et omnem communem pacem altissimam suam radicem habere in pace singulorum, quae fructus est iustitiae christianae. Quare Sanctus Pater gaudet multum quod latissimus locus in Hebdomadis Socialis programmate datus est paci hominum singulorum et familiarum. Inde namque vires morales populorum oriuntur nihilque valet in nationum felicitate procuranda quantum alta personae christianae conformatio ex privatarum familiariumque virtutum exercitatione et praesertim ex alto sensu religiosi cultu secundum evangelii principia. Si huic rei instabitur, opera proximae Hebdomadis Socialis explicabitur in solo firmissimo quoniam praecipue ad altissimum fundamentum hominum felicitatis spectabit: « Quaerite primum regnum Dei et eius iustitiam », fundamentum videlicet cuius oblivio praecipua causa est humani consortii calamitatum, cuius exercitatio cum homines singulos tum eorum consortiones ad obtinendam illam in ordine tranquillitatem adducit quae sola filiis Dei multas ex eorum miseriis sarcire potest. Ita ordinatus labor istius Hebdomadis Socialis suo opportuno tempore eveniet, cum memorabit doctrinam quandam cuius opportunitas neminem latere potest et ut in eo quasi reluceat Sanctae Sedis mens de negotio quod tantum Ecclesiae et universo mundo momentum habet. (*Osservatore Romano* 9 augusti 1939).

57 - Provisio Ecclesiarum

A - *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:*

18 mart. 1939, Exc. P. D. Annuntiatus Serafini, cathedrali ecclesiae Mercedensi.

15 apr. 1939, Exc. P. D. Franciscus Spellman, metropolitanae ecclesiae Neo-Eboracensi.

15 apr. 1939, Exc. P. D. Edvinus O'Hara, cathedrali ecclesiae Kansanopolitanae.

5 maii 1939, Exc. P. D. Paulus Rostagno, cathedrali ecclesiae Eporediensi.

25 maii 1939, Exc. P. D. Franciscus Petronelli, metropolitanae ecclesiae Tranensi et archiepiscopali ecclesiae Barolensi, aeque principaliter unitis, cum adnexis titulo archiepiscopali Nazareno et administratione perpetua dioecesis Vigiliensis.

25 maii 1939, Exc. P. D. Petrus Tesauri, metropolitanae ecclesiae Lancianensi, cui adnexa est administratio perpetua dioecesis Ortonensis.

10 iun. 1939, R. D. Thomas Flynn, cathedrali ecclesiae Lancastrensi.

10 iun. 1939, R. D. Gulielmus Brady, cathedrali ecclesiae Siouxormensi.

20 iun. 1939, Exc. P. D. Aldaeus Dasmarais, cathedrali ecclesiae Amonsensi, nuper erectae.

20 iun. 1939, R. D. Iosephus Charbonneau, cathedrali ecclesiae Hearstensi, nuper erectae.

15 iul. 1939, R. D. Albertus Mendoza, cathedrali ecclesiae Camperorensi.

19 iul. 1939, Exc. P. D. Michaël Bubnić, cathedrali ecclesiae Rosnaviensi.

19 iul. 1939, Exc. P. D. Iosephus Grösz, cathedrali ecclesiae Sabariensi.

19 iul. 1939, R. D. Iulius Czapik, cathedrali ecclesiae Veszprimiensi.

19 iul. 1939, R. P. Stephanus Madaráz, cathedrali ecclesiae Cassoviensi.

27 iul. 1939, R. P. Guido Bentivoglio, cathedrali ecclesiae Abellinensi.

29 iul. 1939, Exc. P. D. Iosephus Gaspar de Affonseca y Silva, metropolitanae ecclesiae S. Pauli in Brasilia.

5 aug. 1939, Exc. P. D. Ranulphus da Silva Farias, metropolitanae ecclesiae Macejenci.

5 aug. 1939, R. D. Henricus Vincentius Mashall, cathedrali ecclesiae Salfordensi.

5 aug. 1939, R. D. Gulielmus Condon, cathedrali ecclesiae Great-Ormensi.

5 aug. 1939, R. D. Nigellus Farren, cathedrali ecclesiae Derriensi.

5 aug. 1939, R. D. Alexander Gonçalves do Amaral, cathedrali Ecclesiae Uberabensi.

8 aug. 1939, R. D. Ioachim Pedicini, cathedrali ecclesiae Arianensi.

8 aug. 1939, R. D. Raphaël Campelli, cathedralibus ecclesiis aeque principaliter unitis Calliensi et Pergulanae.

28 aug. 1939, Exc. P. D. Iosephus Maria Caro Rodriguez, metropolitanae ecclesiae S. Iacobi in Chile.

29 aug. 1939, R. P. Augustus Salinas, cathedrali ecclesiae Temucensi.

5 sept. 1939, Exc. P. D. Audinus Rodriguez y Olmos, metropolitanae ecclesiae S. Ioannis de Cuyo.

B - *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt*:

18 apr. 1939, R. P. Armandus Blanquet du Chayla, archiepiscopali ecclesiae Babylonensi Latinorum.

25 maii 1939, R. P. Aloisius Laravoire Morrow, cathedrali ecclesiae Krishnagarensi.

25 maii 1939, R. P. Iosephus Kiwanuka, Vicarius Apostolicus Masakensis.

25 maii 1939, R. D. Ignatius Ramarosandratana, Vicarius Apostolicus de Miarinarivo.

25 maii 1939, R. P. Alanus Le Breton, Vicarius Apostolicus de Tamatave.

6 iun. 1939, R. D. Franciscus Cekada, Auxiliaris Exc.mi P. D. Ioannis Sarič, Archiepiscopi Vrhbosnensis.

13 iun. 1939, R. P. Isidorus Leo Scharmach, Vicarius Apostolicus Rabaulensis.

13 iun. 1939, R. P. Ioannes Larregain, Vicarius Apostolicus de Yunnanfu.

13 iun. 1939, R. D. Iacobus Colbert, Vicarius Apostolicus de Port Elizabeth.

13 iun. 1939, R. P. Leander Guido Le Floch, cathedrali ecclesiae Ajmerensi.

13 iun. 1939, Exc. P. D. Leo Taylor, Vicarius Apostolicus Orae Benini.

11 iul. 1939, R. P. Gulielmus O' Shea, Vicarius Apostolicus Heijpoënsis.

11 iul. 1939, R. P. Blasius Sigibaldus Kurz, Vicarius Apostolicus de Kokstad.

11 iul. 1939, R. P. Thomas Tien, Vicarius Apostolicus de Yangku.

11 iul. 1939, R. P. Iulius Halbert, Vicarius Apostolicus Insularum Novarum Ebridarum.

11 iul. 1939, R. P. Felix Hedde, Vicarius Apostolicus de Langson et Caobang.

11 iul. 1939, R. P. Urbanus Morlion, Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Vicarii Apostolici Balduinopolitani.
11 iul. 1939, R. P. Carolus Lemaire, Coadiutor cum iure successionis Exc. D. Vicarii Apostolici de Kirin.
20 iul. 1939, R. P. Franciscus Benedictus Cialeo, ecclesiae episcopali Multanensi.
20 iul. 1939, R. P. Federicus Antonius Donaghy, Vicarius Apostolicus de Wuchow.

58 - Nominationes

A - *Decretis S. C. de Prop. Fide renuntiati sunt*:

4 maii 1939, R. P. Leopoldus Brellinger, S. I., Praefectus Apostolicus de Kinghsien.
31 maii 1939, R. P. Iosephus Faye, e Congregatione S. Spiritus, Praefectus Apostolicus Ziguinchorensis.
2 iunii 1939, R. P. Caesarius Stern, O. F. M., Praefectus Apostolicus Wei-hai-wei.
30 iun. 1939, R. D. Iosephus Yuen, e clero saeculari sinensi, Praefectus Apostolicus de Chumatien.
30 iun.1939, R. P. Ioannes Riegler, e Congregatione Missionariorum Filiorum SS.mi Cordis Iesu, Praefectus Apostolicus de Lydenburg.
30 iun. 1939, R. P. Ubaldus Lehmann, e Societate Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon Adorationis perpetuae SSmi Sacramenti altaris, Praefectus Apostolicus Insularum de Cook.

B - *Decreto S. C. pro Ecclesia Orientali renuntiatus est*:

10 iun. 1939, R. P. Salvator Pane, e Congregatione Missionis, Praefectus Apostolicus de Tigrai.

59 - Designationes pro appellatione

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis Iuris Canonici, pro appellatione Vicarius Apostolicus de Timor Neerlandica designavit Tribunal Vicariatus Insularum Sundae Minorum. Quam designationem Ssmus D. N. Pius Pp. XII in Audientia diei 9 Maii a. 1939 approbavit.

Item Praefectus Apostolicus de Sining designavit ad eundem effectum Tribunal Vicariatus Apostolici de Lanchow, approbante Ssmo in Audientia diei 25 Maii a. 1939. (*AAS* xxxi [15 iul. 1939] p. 271).

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis Iuris Canonici, pro appellatione Vicarius Apostolicus de Dakar designavit Tribunal Vicariatus Apostolici de Rabat.

Quam designationem Ssmus D. N. Pius Div. Prov. Pp. XII in Audientia diei 27 mensis Iunii a. 1939 approbavit. (*AAS* XXXI [19 aug. 1939] p. 311).

60 - Necrologium

23 apr. 1939, E.mus D. Cardinalis Dominicus Mariani, Diaconus S. Caesarei in Palatio.
6 maii 1939, R. D. Tihamer Toth, Episcopus Veszprimiensis.
9 maii 1939, R. D. Henricus Ignatius Przezdziecki, Episcopus Siedlcensis.
16 maii 1939, R. D. Alexius Lemaître, Archiepiscopus Carthaginensis.
16 maii 1939, R. D. Aloisius Callistus Leiva Charry, Episcopus Barraquillensis.
4 iun. 1939, R. D. Franciscus Lisowski, Episcopus Tarnoviensis.
5 iun. 1939, R. D. Firminus Lamy, Episcopus Lingonensis.
1 iul. 1939, R. D. Nicolaus Charikiopoulos, Episcopus Chiensis.
9 iul. 1939, R. D. Petrus Gjura, Episcopus Dyrrachiensis.
17 iul. 1939, R. D. Henricus Houbaut, Episcopus Baionensis.
24 iul. 1939, R. D. Eduardus Iosephus Herberbold, Episcopus Ilheosensis.
25 iul. 1939, R. D. Eduardus de Ropp, Archiepiscopus Mohiloviensis.
8 aug. 1939, R. D. Isaacus Koudabache, Archiepiscopus Urmiensis Chaldaeorum et Episcopus Salmasiensis.
13 sept. 1939, E.mus D. Cardinalis Angelus Maria Dolci, Episcopus Suburbicarius Praenestinus.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Pedro M. Abellán, S. I., *El fin y la significacion sacramental del matrimonio desde S. Anselmo hasta Guillermo de Auxerre.* Granada (Colegio de la Compañia de Jesus) 1939, 25×17 cm., xxiv-211 pag., pretium pts 20.

El desarrollo histórico: Escritores indipendientes a 1164. — Los Canonistas. — La Escuela de Laon. — La Escuela de Chartres, los Gilbertinos y Maestro Simón. — Abelardo y su escuela, Hugo de San Victor y la « Summa Sententiarum ». — Pedro Lombardo y Gandulfo de Bolonia. — Teólogos indipendientes. Sintesis ideologica: La doctrina del fin del matrimonio. — La significaciòn sacramental.

Giuseppe D'Ercole, *Il consenso degli sposi e la perpetuità del matrimonio nel diritto romano e nei padri della chiesa.* Romae (Apollinaris) 1939), 25×17 cm., 60 pag.

Francis Hermans, *Propos d'ascèse.* Paris (Bloud et Gay) 1939, 17×11 cm., 185 pag., pretium frs. 15.

Le paganisme chez les catholiques: Au quatrième siècle. Aujourd'hui. — Universalité de l'ascèse. Jonction de l'ascèse à la mystique. Au soleil de l'amour et de la grâce. Dons et vertus. Equilibre de l'ascèse. « Seigneur, je vous donne tout ». La nature et la grâce. Aux premiers siècles chrétiens. Ascèse bernardine.

Giuseppe Stocchiero, *Il diritto del beneficiario « in temporalibus ».* Milano (Giuffrè) 1939, 25×17 cm., 46 pag., pretium Lit. 5.

A. De Smet, S. T. D., *Praxis matrimonialis ad usum Parochi et Confessarii,* Brugis (Car. Beyaert) 1939, 21×14 cm., 180 pagine.

De officio parochi et confessarii ante matrimonium: De examinandis et instruendis nupturientibus (De examine insti-

tuendo — De instructione danda). De officio parochi et confessarii post examen (De proclamatione bannorum. — De removendis impedimentis). *De officio parochi et confessarii in matrimonii celebratione*: De officio parochi. — De officio confessarii. *De officio parochi et confessarii post matrimonii celebrationem*: De inscriptione in registro. — De directione quoad usum matrimonii. — De matrimonii validi dissociatione. — De iis qui valide sed illicite matrimonium inierunt. — De curando matrimonio invalido.

*** *Pontificium Athenaeum Lateranense. Anno Academico 1938-1939. Commentarium.* (Istit. Grafico Tiberino) MCMXXXIX, 17×24,5 cm., pag. 238.

Pii XII sacrorum studiorum curriculum. In memoriam Pii Pp. XI. Sollemnis instauratio studiorum. La morale cattolica di fronte agli indirizzi morali del novecento. Athenaei chronica 1938. In memoriam. Excerpta ex Statutis. Auctoritates Academicae et Professores. Praelectionum series. Auditores. Gradus academici anno 1937-1938. Dissertationes. Professorum Scripta. Horaria praelectionum anno academico 1938-1939. Kalendarium anno academico 1938-1939. Commentarii.

Giuseppe D'Ercole, *Il consenso degli sposi e la perpetuità del matrimonio nel diritto romano e nei Padri della Chiesa*, Romae (Apollinaris) 1939, 25×17 cm., pag. 60.

Dr. W. Mulder, *Parochie en Parochiegeestelijkheid*, Utrecht, Nijmegen (Dekker & van de Vegt N. V.) 1939, 25×16 cm., pag. XII-315.

De parochie in het algemeen. De parochiekerk, hare benoodigdheden en eeredienst. Kerkhof en kerkelijke begrafenis. Parochieele instellingen. Vermogen en inkomsten der parochie. Begrip en aanstelling van den pastoor. De rechten van den pastoor. De herderlijke verplichtingen. Ontslag, verplaatsing en schorsing van den pastoor. De overige parochiegeestelijkheid. De parochianen.

Thomas A. Iorio S. I., *Theologia moralis iuxta methodum compendii Ioannis P. Gury S. I. et Raphaelis Tummolo S. I.*, Neapoli (M. D'Auria, S. Sedis Apostolicae Typographus) 1938, Vol. I, 24×16 cm., xx-296 pag.

De actibus humanis. De conscientia. De legibus. De peccatis. De virtutibus.

— *Theologia moralis iuxta methodum compendii Ioannis P. Gury S. I. et Raphaelis Tummolo S. I.*, Neapoli (M. D'Auria, S. Sedis Apostolicae Typographus) 1939, Vol. II, 24×16 cm., 835 pag.

De praeceptis decalogi. De praeceptis ecclesiae. De prohibitione librorum. De censuris. De iustitia et iure. De contractibus. De statibus particularibus.

II - Ex periodicis

APOLLINARIS XII (1939), fasc. 1. — I. Cavigioli, *De sententia S. Petri Damiani circa absolutionem complicis in peccato turpi*, pag. 35-39. — Fasc. 2. — A. Petrani, *In ritu alieno celebrantes*, pag. 187-197.

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO I (1939) fasc. 2 (apr.-iun.) — Domenico Schiappoli, *La qualificazione delle relazioni fra lo Stato e la Chiesa in Italia*, pag. 181-204. — Pietro Agostino D'Avack, *La posizione giuridica del diritto canonico nell'ordinamento italiano*, pag. 205-245. — Pio Fedele, *Sulla pretesa analogia, agli effetti meramente civili, tra dispensa dal matrimonio rato e non consumato e dichiarazione di nullità del matrimonio*, pag. 246-252. — Fernando della Rocca, *Rassegna di giurisprudenza tributaria in materia ecclesiastica*, pag. 290-296. — Pio Fedele, *Rassegna ragionata di giurisprudenza rotale in materia matrimoniale*, pag. 297-308.

BENEDIKTINISCHE MONATSCHRIFT XXI (1939) fasc. 7-8. — P. Rupert Haungs, *Die Kreuzzeichen nach der Wandlung im römischen Messkanon*, pag. 249-261.

BOLETIN OFICIAL DE LA ACCION CATOLICA ARGENTINA IX (1939), fasc. 196 (15 iun.). — Pbro. G. Auletta, *Relaciones entre la jerarquia y la accion catolica*, pag. 373-377.

COLLATIONES GANDAVENSES XXVI (1939), fasc. 2 (jun.). — F. Blaton, *Het Rassisme*, pag. 73-87. — O. Schelfhout, *De psychologie van bekoring en zonde, wroeging en berouw*, pag. 88-100. — L. De Kesel, *Preces post missam privatam recitandae*, p. 112-115.

COLLATIONES NAMURCENSES XXIII (1939), fasc. 3 (maii). — G. Koerperich, *A propos de quelques dérogations à la loi du jeûne eucharistique*, p. 217-28. — fasc. 4 (iul.) — E. Ranwez, *Lex laboris*, pag. 286-293.

COLLECTANEA COMM. SYNODALIS, Vol. VII (1939), fasc. 6 (iun.). — P. Trachternach, *De Unione Apostolica Sacerdotum Saecularium*, pag. 524-533.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA XXVIII (1939), fasc. 5 (aug.-sept.). — H. De Mesmaecker, *De conditionibus reviviscentiae sacramentorum*, pag. 543-547.

EPHEMERIDES LITURGICAE LIII (1939), fasc. 3-4 (mart.-maii). — Pizzoni I., *De festis S. Iosephi Sponsi B. M. V. et Annuntiationis B. M. V. transferendis*, p. 76-8. — fasc. 9 (septembri). *** *De Consuetudine contra leges liturgicas*, p. 140-142.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO L (1939), fasc. 1 (ian.). — M. Zacchi, *Sui requisiti dell'atto di matrimonio religioso per poter essere trascritto*. Può trascriversi l'atto di matrimonio nel quale non sia stata enunciata la dichiarazione degli sposi di volersi prendere rispettivamente in marito e moglie?, p. 3-10. — fasc. 3-4 (mart.-apr.) — Vincenzo Del Giudice, *Sulla questione del metodo nello studio del diritto canonico*, pag. 221-237. — fasc. 5-6 (maii-iun.). — U. Bassano, *Delibazione di sentenze straniere di divorzio intervenute rispetto a matrimoni concordatari*, pag. 285-295.

IL MONITORE ECCLESIASTICO LXIV (1939) (aug). — Bracci F., *La comunione nei Seminari, Collegi e Comunità secondo una recente istruzione della S. C. dei Sacramenti*, pag. 245-252.

IUS PONTIFICIUM XIX (1939) fasc. I-II. — M. Sarti, O. S. B., *De claris iuris canonici doctoribus*, pag. 11-30.

LA CITE CHRETIENNE XIII (1939), fasc. 299 (5 iun.). — André Woronoff, *Le problème de l'éducation civique*, pag. 475-477. — Pierre-H. Simon, *Le racisme et le droit*, pag. 481-482.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN XXXIX (1939), fasc. 4 (apr.). — Mr. D., *Legaten aan Kloosterlingen*, p. 131-34. — fasc. 5 (maii). — A. Meiberg, C. ss. R., *Ethica van het Rassisme*, p. 145-60. — Dr. L. Buijs, C. ss. R., *Moraalkroniek*, p. 160-72. — fasc. 7 (iul.). — Dr. W. Koenraadt, *Verplichtingen uit de Collectieve Arbeidsovereenkomst*, pag. 220-229.

ONS GEESTELIJK LEVEN XIX (1939), fasc. 2 (jul.-aug.). — Dr. J. W. J. Geerts, M. S. C., *De Professie een tweede Doopsel?*, pag. 75-78. — fasc. 3 (sept.-oct.). — O. M., *Inwendig leven en uitwendig werken*, pag. 113-126. — Dr. J. W. J. Geerts, M. S. C., *De geestelijke stand en Sint Thomas*, pag. 127-132.

PALESTRA DEL CLERO XVII (1939), fasc. 11 (apr.). — Mons. P. Avv. Vito, *La professione religiosa ed il servizio militare*, p. 249-51 — fasc. 17 (iun.). — Mons. G. Buttignoni, *Può impedire le confessioni sacrileghe*, pag. 388-390.

PASTOR BONUS (Romae) III (1939), fasc. 4 (apr.). — F. Muzzarelli, *Quaestio moralis*: *Communio infirmorum*, p. 187-97.

PERFICE MUNUS IV (Medicina e Morale) (1939), fasc. 2 (25 mart.). — Pennacchietti Dr. M., *La cultura professionale del medico come dovere morale*, pag. 37-39. — De Lorenzi Prof. Dr. E., *Il problema della morte nella biologia maderna*, pag. 40-43. — fasc. 3 (maii). — Prof. A. Pazzini, *Influsso del Cristianesimo nella medicina*, p. 65-70. — Prof. Dr. E. De Lorenzi, *Il problema della morte nella biologia moderna*, p. 71-5. — P. Dr. F. Tinivella, *Note di pedagogia morale*, p. 76-9. — Prof. Sac. A. Gennaro, *Isterectomia* (contin.), p. 80-5. — Prof. Dr. F. Borsarelli, *Problemi pedagogici visti da una pediatra*, (contin.), p. 86-6. — Prof. Dr. L. Bender, O. P., *L'aborto provocato può essere mai un obbligo professionale?*, p. 89-91. — Dott. Leone Kendirjy, *Il medico e l'estrema unzione* (contin.), p. 92-4. — *** *Progetto di legge inglese sull'eutanasia*, p. 95. — fasc. 4 (25 iul.) — Gennaro Sac. Prof. A., *Isterectomia*, pag. 104-110).

RASSEGNA DI MORALE E DIRITTO IV (1939), fasc. 3-4 (iun.-dec.). — Ruggini, *I fondamenti del diritto nella filosofia tradizionale*, p. 177-95. — B. Pivano, *De essentia matrimonii ad mentem Patrum*, p. 196-215.

RAZON Y FE XXXIX (1939), CXVII, fasc. 1 (maii). — J. Pujiula, *Raza, razas, razas puras*, p. 57-64. — fasc. 3-4 (iul.-aug.). — R. G. Villoslada, *Sobre el patriotismo*, pag. 225-241.

REVUE DES COMMUNAUTES RELIGIEUSES XV (1939), fasc. 3 (maii-iun.). — J. Creusen, *La clotûre* (suite et fin), p. 81-4.

REVUE ECCLESIASTIQUE DE LIEGE XXX (1939), fasc. 6 (maii). — F. Litt, *Les lois dites purement pénales* (suite), p. 358-72.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO VI (1939), fasc. 3 (mart.). — Pagano, *Riconoscimento della filiazione naturale*, p. 97-105. — fasc. 4 (april.). — Pier Luigi Calabria, *La patria potestà*, p. 145-53. — fasc. 5 (maii). — Stocchiero, *Gli impedimenti matrimoniali*, pag. 193-204. — Brunelli, *La nuova legge matrimoniale in Germania*, pag. 205-216. — fasc. 6 (iun.). — E. Gabrielli, *La « impotentia generandi »*, pag. 241-244.

THEOLOGISCH-PRAKTISCE QUARTALSCHRIFT XCII (1939), fasc. 3. — P. Dr. Bernhard Ziermann C. Ss. R., *Die sittliche Haltung des katholischen Menschen*, p. 411-427. — Professor Dr. Otto Schilling, *Reform der Moraltheologie?*, pag. 451-456.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Estne munus in Missa privata ministrandi clericorum proprium?

Sententia hodie satis communiter admissa, etiam inter rerum liturgicarum scriptores, tenet ministerium missae privatae per se ad clericos spectare, per accidens tantum ad laicos, qui cum eo fungantur, clericorum vices aliquo modo praestent.

Num talis opinio omnino recta sit, seu documentis canonicis ac liturgicis comprobetur, hic breviter inquirere velimus. Missam autem privatam illam vocamus quae sine ministris sacris et sine cantu agitur, sive « pro populo » sive e mera devotione celebratur.

Ad missam privatam rite peragendam requiri ministrum aliquem certum est e Canonis 813 paragrapho 1, ubi dicitur: « Sacerdos Missam ne celebret sine ministro qui eidem inserviat et respondeat ». Praeterea eiusdem canonis paragraphus altera etiam mulieres « viro deficiente iusta de causa, eaque lege ut ex longinquo respondeant, nec ullo modo ad Altare accedant », ad illud ministerium admitti posse decernit.

Verum, quod ipsam quaestionem nostram attingat, nihil idem canon praebet adeoque nobis necesse est alia documenta cum praesentia tum antiqua adire, quae nobis Ecclesiae mentem, quantum fieri potest, manifestent simulque vim hodierni canonis declarent.

Documenta quae propositam quaestionem respiciunt in duas series dividi possunt.

* * *

In priore serie ea decreta referimus quae saeculo IX, ut plurimum, edita, nullam claram mentionem faciunt ministri qui clericus esse debeat, sed praesentiam tantum postulant unius vel etiam duorum qui audiendo et respondendo missae celebrationi intersint.

Haec documenta iam olim a P. Coustant, saltem e parte collecta, P. Ioannes M. Hanssens denuo percensuit atque interpretatus est in articulo: *Fungiturne minister missae privatae diaconi et subdiaconi vicibus*? (1) Ea nihilominus hic iterum exscribere necessarium esse duximus, ut ipse lector ea facilius cum documentis alterius seriei conferat.

Antiquitate inter omnes insignis est canon 43 concilii Moguntini anni 813, quo praescribitur (2):

> Ne presbyter missam solus cantet. Nullus presbyter, ut nobis videtur, solus missam cantare recte valet. Quo modo enim dicit: « Dominus vobiscum », vel « Sursum corda » ammonebit habere et alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?

Fere eodem tempore, paulo autem distinctius, *Capitulare* Theodulfi Aurelianensis (821) capite suo 7 similia statuit (3):

> Sacerdos missam solus nequaquam celebret; quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, responsione plebis, admonitione sacerdotis, responsione nihilo minus plebis, ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari. Esse enim debent qui ei circumstent, quos ille salutet, a quibus ei respondeatur; et ad memoriam illi reducendum est illud dominicum: « Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, et ego in medio eorum ».

Enucleatius rem proponit *Relatio episcoporum ad Hludowicum imperatorem* anno 829, *De his quae populo adnuntianda sunt*, c. IX (4):

(1) *Ephemerides liturgicae*, 48 (1934), pp. 406-412.
(2) MGH, *Concilia* II, p. 271.
(3) PL 105, 194.
(4) MGH, *Capitularia*, II, p. 41.

Visum etiam nobis fuit illud inhibendum, ut nullus presbyterorum solus missam celebrare praesumat, quia ita nec verba domini Salvatoris, quibus mysteria corporis et sanguinis sui discipulis suis celebranda contradidit, nec apostoli Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis actibus apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Unde conveniendus, immo interrogandus nobis videtur huiusmodi corporis et sanguinis Domini solitarius consecrator, quibus dicit: « Dominus vobiscum » et a quo illi respondetur: « Et cum spiritu tuo », vel pro quibus supplicando Domino inter cetera: « Memento, Domine, et omnium circumadstantium », cum nullus circumstet, dicit? Quae consuetudo, quia apostolicae et ecclesiasticae auctoritati refragatur et tanto mysterio quandam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps huiusmodi usus inhibeatur.

Eiusdem anni 829 est Concilium Parisiense quod in Lib. I, cap. 48 ait (5):

Quod nullus presbyterorum solus missam celebrare debeat. Inrepsit in plerisque locis, partim incuria, partim avaritia, repraehensibilis usus et congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli presbyterorum sine ministris missarum sollemnia frequentent. Quod nec verba Domini Salvatoris... omnibus nobis in commune visum est ut deinceps huiusmodi usus inhibeatur provideatque unusquisque episcoporum ne in sua parroechia quisquam presbyterorum missam solus celebrare praesumat...

Saeculo quoque IX redactum est, ut videtur, decretum quod apud Gratianum Sotero papae tribuitur (6):

Hoc quoque statutum est ut nullus presbyterorum missarum sollemnia celebrare praesumat nisi duobus praesentibus sibique respondentibus, ipse tercius habeatur; quia cum pluraliter ab eo dicitur: « Dominus vobiscum » et illud in secretis: « Orate pro me », aptissime convenit ut et ipsius respondeatur salutationi.

Item, teste Reginone Prumensi (915), in quodam concilio Nannetensi saeculi IX haec leguntur decreta (7):

Ut nullus presbyter solus missam cantare praesumat. *Ex concilio Nannetensi.* Definivit sanctum concilium ut nullus pres-

(5) MGH, *Concilia*, II, p. 642.
(6) *De consecratione* dist. I, c. 61.
(7) PL 140, 687 BC.

byter solus praesumat missam cantare. Cui enim dicit: « Dominus vobiscum », aut « Sursum corda », aut « Gratias agamus Domino Deo nostro », cum nullus sit qui respondeat? Aut in canone: « et omnium circumstantium », cum nemo sit? Aut quem invitat ad orationem, cum dicit: « Oremus », cum nullus sit qui secum oret? Aut ergo ista penitus reticenda sunt, et non solum non erit perfectum sacrificium, verum etiam incurret, quisquis ille est, terribilem sententiam: « Si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem eius de libro vitae ». Aut si haec muris et parietibus insussuraverit, ridiculosum erit. Quapropter periculosa superstitio maxime a monasteriis monachorum exterminanda est. Praevideant autem praelati ut presbyteri in coenobiis cooperatores habeant in celebratione missarum. Si quis haec transgressus fuerit, ab officio suspendatur.

Idem textus apud BURCHARDUM inter verba « coenobiis » et « cooperatores » haec praebet: « et in aliis ecclesiis »; praescribit igitur communiter ut presbyteri, non solum in coenobiis sed etiam in aliis ecclesiis « cooperatores » habeant in celebratione missarum.

Causam autem ac significationem horum documentorum, quae manifeste alia cum aliis arte cohaerent, P. HANSSENS hoc modo explicandam esse existimavit: Saeculo VIII mos inoleverat pluribus in locis missas celebrandi solitarias, id est non solum sine ministris sacris et sine choro cantorum, sed etiam sine ullis adstantibus fidelibus. Porro, cum de absentia ministrorum sacrorum et chori sileant decreta quae supra exscripsimus, quippe quam nullo pacto improbare velint, severissimis verbis adstantium absentiam iterum atque iterum damnant. Adstantes namque, aiunt, memorant plures missae orationes, adstantes alloquitur celebrans suis monitionibus ac salutationibus, adstantium denique est huic respondere. Quare vetant missam ullam celebrari nisi praesens adsit saltem unus qui etiam monitiones ac salutationes celebrantis excipiat, iisque respondeat. De auxilio vero sacerdotis missam sine ministris sacris celebranti praestando seu de ministerio missae privatae, si unum demas, eadem decreta nihil praescribunt. Mirum tamen non est iam tunc factum esse ut si sacerdoti cele-

brandi adsistebat qui idoneus esset eum in quibusdam rebus adiuvare, ut puta in adferendo ad altare vino et aqua, vel transferendo missali, hoc etiam ageret. Quod in monasteriis facilius obtinebat et hoc fortasse significabat canon « Nannetensis » cum praecipiebat ut presbyter in coenobiis « cooperatores » haberent in celebratione missarum. Quae praescriptio saltem a saeculo XI etiam ad alias ecclesias extendi coepta erat. Eodem pertinet, ut videtur, quod concilium Parisiense anni 829 morem condemnat celebrandi missam sine « ministris ».

Nihilominus, ut ex ipso « Nannetensis » canone liquet, etiam in monasteriis ratio praecipua exigendi praesentiam alicuius cooperatoris ea erat quod censebatur missam recte agi non posse, nisi adesset qui sacerdotem audiendo eique respondendo illius celebrationi interesset seu in ea propriis adstantium fidelium partibus fungeretur.

Huic quidem explicationi contradicere videntur duo documenta non levis auctoritatis, alterum e saeculo VII, alterum e IX.

Canone videlicet XIV Concilii Toletani XI (675) haec statuuntur: (8).

> Et illud divini oraculi momentis singulis praecaventes, quo scribitur: « Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem », summopere curandum nobis est et cavendum, ne horis illis atque temporibus, quibus Domino psallitur vel sacrificatur, unicuique singulariter officiis insistenti perniciosa passio vel corporis quaedam valetudo occurrat, quae aut corpus subito obrui faciat aut mentem alienatione vel terrore confundat. Pro huiusmodi ergo casibus praecavendis, necessario duximus instituere ut, ubi temporis, vel loci, sive cleri copia suffragatur, habeat semper quisque ille canens Deo atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem; ut si aliquo casu ille qui officia impletus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus a tergo semper habeat qui eius vicem exsequatur intrepidus ».

Habemus igitur canonem antiquissimum quo praescribitur ut celebranti presbytero semper adsit alius quis e clero.

(8) Mansi, XI, c. 145.

At quaerimus: Agiturne hic de vero missae privatae ministro? Omnino res neganda videtur, quandoquidem nulla mentio fit alicuius officii in celebratione missae exsequendi. Constat praeterea adiutorem illum sacerdotem esse debuisse, quoniam secus impediti celebrantis vicem excipere non poterat (9). Iam vero difficile admitti potest concilium praecipere voluisse ut missae privatae ministerium presbyter aliquis impleret. Adde quod praesentia eiusdem clerici non in missa dumtaxat sed etiam in officio horarum necessaria definitur. Denique ab ipso concilio una sui praecepti ratio clarissimis verbis explicatur: praecavendum erat ne propter repentinum celebrantis animi vel corporis morbum inchoatum sacrificium vel horarum officium imperfectum unquam manere posset; curandum igitur erat ut illi sacerdoti celebranti alter sacerdos prope adstaret qui posset eius vicem suscipere.

Paulo maiorem difficultatem gignere videtur alterum documentum quod *Homilia* Leonis iv (847-855) appellatur. In ea enim legitur (10):

> Omnis presbyter clericum habeat scholarem qui epistolam vel lectionem legat et ad missam respondeat, cum quo et psalmos cantet.

Re tamen vera haec praescriptio potius disciplinaris dicenda est quam liturgica, id est magis quam rectam ipsius cultus liturgici celebrationem iuvenum clericorum, qui ad sacrum ministerium parandi erant, congruentem institutionem respiciebat. Eo scilicet tempore iam dudum Romae et in tota Italia mos erat ut iuniores lectores penes presbyteros ministerio iam addictos habitarent et ab iis educarentur sacrasque litteras ac caeremonias docerentur. Qui inter eos se ad hoc idoneos ostendebant, ad sacros deinde ordines promovebantur. Huiusmodi consuetudinem eius-

(9) Confirmatur haec interpretatio eo quod canon iste citatur apud Gratianum et in eius initio ad modum tituli haec ponuntur: *Quisquis sacrificans sacerdotem sibi vicinum habeat qui coepta sacramenta expleat si ei aliqua necessitas ingruerit.* C. 15 C; VII, q. I.

(10) Mansi XIV, c. 891.

que propagationem clare significat iam canon 1 Concilii Vasensis III (529) (11).

Hoc enim placuit ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, iuniores lectores, quantoscumque sine uxore habuerint, secum in domo ubi ipsi habitare videntur, recipiant, et eos quomodo boni patres spiritaliter nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere et in lege Domini erudire contendat: ut sibi dignos successores provideant et a Domino praemia aeterna recipiant.

Eundem autem usum ad omnes ecclesias extendere volebat *Homilia* Leonis IV. Haec namque aliud non erat quam commonitio quaedam ab ipso papa, u videtur, redacta, ab episcopis vero diversarum dioecesum ad sacerdotum suorum institutionem in synodis recitanda.

Sane dignam quoque missae celebrationem spectabat *Homilia* Leonis, cum praecipiebat ut omnis presbyter clericum haberet qui ad missam responderet, non tamen ita ut etiam affirmaret responsa illa iure pronuntiari non posse nisi a clerico, tamquam esset hoc eius munus omnino proprium. Poterat namque praesentia clerici respondentis ideo tantum praescribi quia hic ob maiorem peritiam magis quam ceteri adstantes respondere idoneus erat, vel quia fideles, etsi poterant, immo debebant hoc facere, reapse tamen non ipsi respondebant, vel etiam non raro prorsus aberant. Non demonstratur scilicet praesentiam et operam clerici requiri prout clericus erat.

Nostram interpretationem eo confirmari putamus quod praeceptum de adhibendo clerico seu scholari post omnes monitiones quae rectam missae celebrationem spectant positum est, inter ipsas autem monitiones adest ea qua decernitur ut « nullus missam cantet solus ». Etenim haec monitio quae certe ad missae celebrationem pertinet, eodem modo intellegenda est quo in documentis supra exhibitis explicatur.

(11) Mansi VIII, c. 726.

Monitionem *Homiliae* Leonis iv ad cetera illius aetatis documenta interpretari conatus est P. Hanssens cum suadebat in illa non agi de missa privata sed de sollemni. Verum nos malumus nos ab ea distinctione abstinere quae plane e decretis illius aetatis exsulare videtur. Iudicium vero eiusdem auctoris de universa significatione documentorum e quibus priorem nostram seriem constare diximus, omnino vim suam retinere ducimus, quoniam duo documenta quae illi contraria videbantur re vera ei non adversari demonstravimus.

. . .

Sin autem saecula aliquot transilientes ad aliam quandam auream Ecclesiae aetatem progredimur, videlicet usque ad saeculum XIII, et decreta atque statuta examinamus quae inde ab illo tempore per plura saecula de ministerio missae privatae edicta sunt, cito intellegimus mutationem quandam in ea re inter saeculum IX et XIII factam esse. In recentioribus enim documentis iam nihil vel fere nihil de circumstantibus statuitur sed praescribitur ut quantum fieri possit, in missa privata clericus adsit qui celebranti ministret, cum laici potius excludantur ab eo ministerio vel certe non tam facile ad illud admittantur.

Anno 1227, ut videtur, habitum est concilium Trevirense [12], cuius canon 8 hoc statuit [13]:

> Item nullus sacerdos celebrare missam praesumat sine clerico respondente.

Eademque praecipit canon 7 synodi Coloniensis [14] anni 1279 [15]:

> Et sacerdos sine clerico ministrante celebrare in altare aliquatenus non praesumat.

(12) Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles*, V, pp. 1454-1465.
(13) Mansi XXIV, c. 200.
(14) Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles*, VI, pp. 258 ss.
(15) Mansi XXIV, c. 350.

Pariter statuta synodalia Ioannis episcopi Leodiensis ex anno 1287, capite V, *De sacramento altaris,* canone 13, decernunt (16):

Nullus sacerdos sine clerico celebrare praesumat; qui clericus habeat tunicam lineam vel superpelliceum vel cappam rotundam et calciatus incedat.

Indirecte quidem, at perspicue, ministrum missae privatae clericum esse debere indicant etiam duo haec statuta.

In capite 17 synodi Coloniensis anni 1310 (17) legimus scriptum (18):

Prohibemus item ne deinceps campanarii in villis et ecclesiis parochialibus ibidem assumantur, nisi litterati, qui in defectu respondentis ad altare cum camisiis lineis assistant, in missis deservientes presbytero, ne ministrator cereat socio sibi respondente.

Concilium vero Moguntinum anni 1310 ad titulum: *Ne sacerdotes in rure sine ministro litterato celebrent aliquatenus divina, et de superpelliciis campanariorum,* in corpore praecipit (19):

Verum quia in parochiis ruralibus plurimum et maxime hoc contingit quod propter defectum clericorum sacerdotes solos oporteat celebrare contra canonicas sanctiones, inhibemus ne presbyter sine ministri suffragio divina officia et maxime missarum sollemnia celebrare praesumat, inhaerentes concilio Toletano ubi dicitur: vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem. Provida deliberatione Sacri Concilii duximus statuendum ut omnes sacerdotes qui in villis extra oppida celebrantes loco campanariorum illiteratorum personas de cetero habeant fide dignas, legere et cantare scientes.

In villis scilicet et in parochiis ruralibus non facile aderat copia clericorum qui in missis deservirent. Ne tamen propter istum clericorum defectum missae solitariae

(16) Mansi XXIV, c. 896.
(17) Hefele-Leclercq, V, pp. 607.
(18) Mansi, XXV, c. 23.
(19) Mansi XXV, c. 312.

celebrarentur, concesserunt concilia ut campanari vel alii laici, modo litterati essent, loco clericorum illo ministerio fungerentur. Remanebat igitur principium ministrum missae cantatae vel privatae clericum esse debere, at simul admittebatur exceptio vi cuius laici clericorum vices agere poterant, si hoc necessitas postulabat.

Concilium quidem Basileense anni 1453, capite VIII, sessione XXI, nihil affirmat de necessitate adhibendi clericum in ministerio missae privatae; quoniam, ut videtur, imprimis malum usum missae solitariae respiciebat (20):

> Abusum aliquarum ecclesiarum, in quibus... missa etiam privata sine ministro (celebratur)... abolentes, statuimus ut qui transgressor in his inventus fuerit, a suo superiore debite castigetur.

De ministerio missae privatae ipsum Concilium Tridentinum, quantum novimus, nihil decrevit. In longa quidem illa serie « *Abusuum, qui circa venerandum missae sacrificium evenire solent* » et a septem Patribus in prima Congregatione generali Sessionis XXII (20 iulii 1562) ad colligendos abusus de sacrificio missae deputatis, partim ab ipsis animadversi, partim ex multorum praelatorum dictis et scriptis excerpti erant (8 augusti 1562), occurrit etiam hic abusus: « Item abusus videtur, quod celebrent sine ministro, qui non sit in clericali habitu, cum tonsura et superpelliceo sive cotta in actu celebrationis ». At in *Compendio abusuum circa sacrificium missae ab iisdem* delegatis redacto (c. 25 augusti) ubi de emendatione istius abusus agitur, nulla iam fit mentio tonsurae, sed habitus tantum clericalis et cottae: « Missas nudo capite et cum ministro, qui sit clericali habitu et cotta indutus, celebrari mandat (sancta synodus) ». Immo in *Canonibus de abusibus circa celebrantes vel audientes missam* qui die 10 septembris Patribus propositi sunt et ab iis diebus 11-15 examinati, prorsus tacetur de missae ministerio, idemque fit

(20) Mansi XXIX, c. 107.

in eorum ultima redactione id est in *Decreto de observandis et evitandis in celebratione missarum* quod in Sessione XXII die 17 septembris 1562 publicatum est. In fine tamen huius decreti monentur omnes locorum Ordinarii ut non solum ea quae summatim in illo enumerata sunt sed quaecumque alia huc perinere visa fuerint, ipsi, pro data sibi a sacrosancta synodo potestate ac etiam ut delegati Sedis Apostolicae, prohibeant, mandent, corrigant, statuant » (21).

Certe mox post absolutum concilium TRIDENTINUM (1563), mirabiliter propagato reformationis opere, multiplicata sunt concilia particularia, novaeque praescriptiones editae quarum non paucae missae privatae ministerium spectant, eiusque ministrum, quantum fieri possit, clericum esse debere statuunt.

Maximam partem in hac re habuit S. CAROLUS BORROMAEUS, ut testantur concilia MEDIOLANENSIA illius temporis.

Iam enim in primo concilio habito anno 1565, partis II titulo V, dicitur (22):

> Celebranti sacerdoti unus saltem minister assistat isque clericus, ubi possit, et talari veste et superpelliceo indutus.

Porro in aliis conciliis praesupponitur ac confirmatur haec praescriptio. Sic in capite X partis II Concilii MEDIOLANENSIS IV anni 1576 legitur (23):

> Cum sacerdos ad altare accesserit missae sacrificium facturus, clericus qui tunc illi ministraturus est, ubi alius non sit qui tunc hoc officium praestare possit, circumspiciat modeste adstantes [ut quos non recte se in ecclesia gerentes moneat] ... Missa vero inchoata, si quid eiusmodi fiat [id est modestiae ac reverentiae contrarium], hoc idem officium admonendi itidem ille minister clericus praestet modeste et graviter... Clericus sacerdoti missam celebranti ministrans semper indutus sit superpelliceo puro et mundo...

---

(21) *Concilii Tridentini Actorum pars V*, edid. ST. EHSES, pp. 721; 919, l. 47-48; 922, l. 44-45; 926-942; 962-963.

(22) MANSI XXXIV, c. 21.

(23) Mansi XXXIV, c. 247-248.

Pariter in capite XV Concilii Mediolanensis VI anni 1582 a S. Carolo quoque celebrati, habetur (24):

> Clericus qui in missae sacrificio ministrat, dum eam functionem obit, ne preces horarias, neve aliud quidquam de libro aliove officio recitet; sed toto intimae pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod tunc pie religioseque exequi debet.

In missali Romano quod anno 1570 iussu Pii v editum est, rubricae generales pauca quaedam continent quae nostram quaestionem spectant atque a *Codice Iuris Canonici* citantur.

Etenim *Ritus servandus in celebratione Missae* (II, 1) praescribit:

> Sacerdos omnibus paramentis indutus... capite cooperto, accedit ad altare, ministro cum Missali, et aliis ad celebrandum necessariis, praecedente.

Rubricae vero *De defectibus in celebratione missarum occurrentibus* (X, 1):

> Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit... Si non adsit clericus, vel alius deserviens in missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier.

Quamquam igitur etiam laici ad ministerium missae admittebantur, manifeste nihilominus in iis praescriptionibus opera clerici operae laici praeferebatur. Notandum tamen est verba « superpelliceum induto », quae hodie post vocem « praecedente » leguntur, esse in editione Clementis viii (1604) adiuncta.

Ad eandem conclusionem nos perducit Concilii Rhemensis anni 1583 canon 12, *De eucharistia* (25):

> Ministrorum vero nomine censemus etiam eos hoc loco qui sacrificanti respondent, et inserviunt; quos non pauciores

(24) Mansi XXXIV, c. 513.
(25) Mansi XXXIV, c. 692.

duobus (si fieri commode potest) volumus adhiberi, eosque vel clericos, vel saltem idoneos laicos.

Clarissime rursus postulatur clericus in Synodo Aquensi anni 1585, immo exigitur episcopi facultas ut possit quis sine tali clerico missam celebrare (26):

In celebratione missae sacerdos ne se conferat ad altare, nisi clericum in decenti habitu et cum superpelliceo mundo cum manicis, sibi inservientem habuerit. Quibus vero in locis propter inopiam clericus ita commode haberi non poterit, caveat ne celebret absque huiusmodi clerico, nisi facultatem ab episcopo in scriptis impetraverit.

Pariter concilium Tolosanum anni 1590 eadem praecipit, quamvis non ita adsolute, in canone 4 capitis VI, *De missae celebratione* (27):

Qui celebranti presbytero inserviet clericus, quoad fieri poterit, seligetur; is superpelliceo vesteque talari instructus, ante quam sacristia celebraturus egrediatur, presbyter rebus ad missam necessariis, qua poterit venustate et munditia, altare instruat et ornet.

Laicos, nisi ob aliquem necessitatem, ad ministerium missae admitti non posse decernunt quoque statuta concilii Avenionensis, anno 1594 celebrati, tit. XXII, *De missae sacrificio* (28):

Laicus, si fieri potest, nullo modo ministret altari, clericus vero diligenter instruantur circa ministerium suum.

Denique cum illis decretis synodalibus congruebant, ut videtur, normae a S. Congregatione Rituum servatae. Die enim 23 novembris 1602 ad propositum sibi dubium:

An pueri in privatis missis sacristiae et choro inservientes cum cottis debeant saltem ordines minores habere vel primam tonsuram, et pure laici ab huiusmodi ministerio arcendi sunt?

(26) Mansi XXXIV, c. 952.
(27) Mansi XXXIV, c. 1288.
(28) Mansi XXXIV, c. 1343.

Respondet S. Congregatio [29]:

Convenire praedictos pueros saltem primam tonsuram habere, dummodo per aetatem eiusdem tonsurae sint capaces.

Nihilo minus, ut ex ipso responso apparet, S. Congregatio laicos ex illo ministerio plane excludere noluit.

Si autem causas indagaverimus ob quas inter saeculum IX et XIII mutatio illa in disciplina liturgicae Ecclesiae romanae exstiterit, has, ad instar simplicis cuiusdam hypotheseos, indicare possumus:

1. Progressionem theologiae scholasticae quae in ritibus sacris eorum quasi substantiam ab accidentibus, seu ipsos ritus sacramentales ab adiectis caeremoniis omnino distinguebat, hisque fere neglectis, totam attentionem totumque studium in illos conferebat. Sic in missa aliud iam non considerabatur nisi eucharisticum sacrificium ac sacramentum. Unde etiam in praxi liturgica difficile videbatur partem aliquam in actione tam sacra illi dari posse qui ordinis sacri saltem initium quoddam non haberet seu clero adscriptus non esset.

2. Maiorem separationem cleri et populi in celebrandis ritibus cultus liturgici, qua factum est ut fideles iam non « concelebrantes » id est in missae perfunctione partem suam exsequentes sed adstantes dumtaxat essent.

3. Dominationem missae privatae a cuius exsecutione fideles fere necessario excludebantur.

Tres autem istas causas inter se arte cohaerere manifestum est.

Rationes vero novae cur praesertim a saeculo XVI synodi necessitatem clericos in missae privatae ministerio adhibendi inculcaverint has fuisse opinamur: studium radicitus auferendi indecoram quandam neglegentiam quae passim in celebrationem missae, praesertim privatae, irrepserant, et voluntatem obnitendi doctrinae protestantium

(29) *Egitanien.* 23 nov. 1602 (Decr. auth. 113), ad VI.

quae commune omnium fidelium sacerdotium, ex baptismo ortum, et speciale sacerdotium, quod ordine sacro confertur, alterum ab altero re vera differre negabat.

* * *

Restat ut videamus cum quanam ex istis disciplinis congruat ratio quam hodie tenet Ecclesia romana quod ad ministrum missae privatae pertinet. Iam vero ut nobis videtur, ratio hodierna ambas antiquas disciplinas componit.

Etenim:

Sacerdoti private missam celebranti operam navat qui « minister » est, non tantum « missae adstans ». Ex hoc autem capite praesens ratio potius cum disciplina saeculorum recentiorum concinnit.

At cum antiquiore potius disciplina consonat quod:

1. Isto munere fere indifferenter, ut videtur, clericus vel laicus fungi potest. Sic die 23 novembris 1906, cum rogata esset: « An omnes qui vestem talarem induunt, sint vel non tonsurati, debeant, iuxta Rubricas Missalis (*Ritus servandus in celebratione missae*, II, 1) superpelliceum induere, dum missae privatae inserviunt »? respondit *S. Rituum Congregatio*: « Affirmative, nisi pro laicis alicuius Familiae religiosae obstent specialia statuta adprobata » [30]. Et iterum ad dubium:

> Utrum laico missae inservienti ministrari possit Sacra Communio intra presbyterium et in ora suppedanei altaris, etiamsi non sit indutus habitu clericali »,

respondit die 8 iunii 1911: « Affirmative » [31].

2. In canonibus vero *Codicis Iuris* frustra quis vel unum locum quaereret quo clericus minister missae privatae declaretur. Praescribitur tantum ut adsit vir qui in missa ministret. Ex ordinario missae privatae ministerio mulier dumtaxat excluditur.

(30) Decr. auth. 4194, ad II.
(31) Decr. auth. 4271, ad I.

3. Inter fontes canonis 813 documenta plura percensentur quae praesentiam tantum unius saltem adstantis praescribunt, nullum vero quod clare postulet ut minister missae privatae clericus sit.

4. Quamquam ex c. 813 aliam operam celebrandi missae privatae praestare non potest quam illi respondere, nihilo tamen minus mulier missae ministrare dicitur. Unde deducendum est hoc munus respondendi in ministerio missae praecipuum esse. Respondere autem non est ministri, ut minister est, sed ut est adstans. Populi namque adstantis proprium est celebranti respondere.

Si recte igitur documenta quae percensuimus interpretati sumus, hodierna ratio ministerii missae privatae plane congruit non solum cum ipsis huius ministerii exordiis, sed etiam cum generaliore illa Sanctae Matris Ecclesiae voluntate, fideles partem activam in liturgico cultu habere debere. Hanc partem videlicet in missa privata per huius ministrum exsequuntur, qui ut est celebrantis adiutor, simul tamen, immo, fortasse, praesertim fidelium vicarius ac procurator dicendus est.

RAPHAEL SAPONARO
e Pont. Inst. Miss. Exter. Mediolanensi.

MONUMENTA

61 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Homilia 29 octobris 1939

IN CONSECRATIONE DUODECIM EPISCOPORUM MISSIONARIORUM DIE FESTO CHRISTI REGIS PERACTA

(*AAS* XXXI [10 nov. 1939] p. 595)

Audistis, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, evangelicam lectionem. Cum Pilatus, Romanus praeses, benignissimum Redemptorem interrogasset, num reapse esset rex, regis praestantiam et potestatem Sibi asserere Veritas non dubitavit. Haud sine mirae sapientiae consilio humani generis Servator, Cui docili obtemperatione tempora subsunt, id quod antea tacuerat, tunc palam declaravit, cum tamquam reus in praetorio sisteret, cum pateretur, cum despiceretur. Dei namque Filius, splendor gloriae Patris et figura substantiae Eius, Deus verus de Deo vero, lumen de lumine, antequam saecula labi inciperent natus, ex divina natura sua rex est, quoniam Ipse condidit universa quae sunt, suoque nutu imperioque gubernat. Idem ut Filius hominis, hoc eodem legitimo honoris ornamento pollens, regio nomine insignitur. Quod autem nativo iure possidebat, tunc promulgavit atque ad Se vindicavit, cum, a daemonis servitute nos liberans, id acquisito etiam jure (Cf. Enc. « *Quas primas* » A. A. S. 1925, p. 599), per divinum nempe Redemptionis opus, adeptus est.

Regnat igitur Christus, circumfusus electorum suorum decore; atque ignobilis calamus, quem per ludibrium ei

tradiderant conversus est in virgam ferream, qua tamquam vasa lutea rebellia destruuntur imperia; caput ipsius quod spinae laeserunt, summo nunc fulget principatu, quem is in universa rerum natura sive aspectabili sive non aspectabili exercet; instar solis sacra eius vulnera fulgent, nostrae salutis pignora; Cor eius diro mucrone sauciatum divinae misericordiae patet sacrarium; erigitur Crux ubique terrarum veneranda, cunctarum causa gratiarum, cunctarum benedictionum origo.

Ac nequit unquam fieri, quin regnet Christus. Regnat, si adest, beneficiorum largitate; regnat, si, amissa ab hominibus divina gratia, abest, ineluctabili iudicii severitate. Beatus homo, qui Christi legi paret ad eiusque gratiam et nutum, quaecumque vel cogitat vel agit studiosissime componit. Eius mens, in prosperis humilis, in adversis secura, puro fidei lumine radiat, ac serena hilaratur laetitia; eiusque voluntas, caritate in Deum et in proximos calente, ad egregia prosilit opera; atque ipsamet eius corporis membra moderatori animo obtemperant, arma effecta iustitiae.

Beatae familiae, in quibus Christi Regis viget iustissimum sceptrum! Eae siquidem mutuo amore coalescunt, decoro stant ordine, pace fruuntur, prosperitate vigent, ac generosa crescunt subole, patriae tutissima spe, in qua avitae virtutis exempla sedula imitatione reviviscunt.

Terque quaterque beatae civitates, ubi leges, Evangelio auspice, feruntur et Christi Regis maiestati publicum defertur obsequium. Ibi enim ad celsae honestatis et ad iustitiae formam res rationesque civium componuntur; ibi saeva dominatio ignoratur, neque constans in moderatoribus verecundia deest, neque consentanea deficit humanae dignitati libertas; ibi denique, augescentibus concordia viribus, magna perficiuntur incepta, et optima quaeque ad uberiora cotidie incrementa provehuntur.

Si igitur regiam agnoscere Iesu Christo dignitatem, eiusque praecepta libenti volentique animo amplecti et in pri-

vatae publicaeque vitae usum deducere, cum singulis hominibus, tum domesticae civilique consortioni tot tantaque affert beneficia, prorsus necesse est, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, ut omnes, qui christiano censentur nomine, ad gravissimam urgendam eiusmodi causam, pro virili sua cuiusque parte, annitantur. Idque nostra praesertim aetate, cum passim homines, immodico terrenarum rerum studio distenti, ab caelestibus adipiscendis bonis abstrahantur, atque adeo « regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum justitiae, amoris et pacis » (Praef. Missae Christi Reg.) vel obliviose neglegant, vel omnino miserrime respuant.

At si ad sanctissimum assequendum propositum vos omnes, quotquot adestis, paterno adhortamur animo, vos tamen imprimis adhortamur, quos hodie in hac petriani templi maiestate, prope Apostolorum Principis sepulcrum, ad episcopalem evehimus dignitatem. Quemadmodum olim divinus Redemptor exiguum Apostolorum manipulum, nulla humana ope suffultum, ad mundum universum misit, non armorum vi, sed veritatis caritatisque virtute subigendum, ita Nos hodie, qui eius vices in terris gerimus, vos duodecim itidem divini verbi satores, non vestris aliorumque viribus subnixos, sed flexanima tantummodo Dei gratia fidentes, ad tot gentes mittimus, longinquas utique, sed Nobis tamen carissimas, ut iisdem, nullis parcentes laboribus, evangelica praecepta christianumque cultum impertiatis.

Grande sane spectaculum ex hodiernae faustitatis eventu menti observatur Nostrae, Nostrumque animum vehementer commovet et ad spem relevat uberum futurorum fructuum. Dum enim volventibus annis, alterna rerum vicissitudine, res innumerae oriuntur, succrescunt, excidunt, ac vel iterum immutatae ac renovatae emergunt, vel absumptae prorsus corruunt ac dilabuntur, Catholica tamen Ecclesia non temporis fluctibus concutitur, non difficultatibus evincitur, non impellentibus denique vicibus immutatur, sed securo plenoque gressu procedit, et quod viginti abhinc

saeculis operabatur, idem hodie, divino instinctu permota divinoque munere fungens, ad humani generis profectum itidem perficit. Ac dum externarum rerum cupidines internaque odia sumultatesque mortalium animos nimio saepius rescindunt ac dividunt, Ecclesia Dei, populorum omnium mater amantissima, universam familiam hominum, cuiusvis gentis vel ordinis iidem sint, summa caritate complectitur, omniumque saluti verique nominis felicitati precando operandoque prospicit.

Quod quidem in praesens Nos ex studiosa actuosaque navitate vestra, Episcopi novensiles, feliciter obventurum speramus. Populi, qui adaucta hodie dignitate vestra laetantur, summo vos opperiuntur desiderio. Munus aggressuri estis ampliissimum gravissimumque: innumeri nempe homines erroribus devii, at divinae lucis anxii supernamque sitientes veritatem, sacro indigent ministerio vestro, ut a Jesu Christo salutem ac pacem hauriant. Difficillima vobis certamina reservantur, at christiana caritas numquam vincitur, numquam divinae pollicitationes falluntur. Insit igitur vobis, recepto semptemplici Spiritus Sancti munere, studium illud apostolicum, quod suaviter pectora ad amplexandam Dei legem alliciat; fortitudo insit, quae invicto robore adversa cuncta fragant atque eluctetur victrix, insit denique caeleste auxilium, quo dominicus ager, vestrae procurationi commissus, evangelica messe, copiosiore cotidie, flavescat.

Vos Ecclesia universa admotis ad Deum precibus ac votis prosequitur; nec vobis deerunt, ut ex fidelium largitate caritateque confidimus, corrogatae stipis adiumenta, quibus facilius possitis sanctissimum suscipiendum opus exequi. Ac Nos imprimis paterno vos animo prosequimur, dum, bene vobis omnia precantes, a summo Pastorum Principe efflagitamus ut apostolicis itineribus laboribusque vestris superna sua gratia aspiret atque obsecundet, utque dies tandem aliquando, opera etiam vestra, elucescat, quo

divinus Rex « dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum » (Ps. LXXI, 8). Amen.

62 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Allocutio 30 octobris 1939

In audientia Duodecim novorum Episcoporum Missionariorum praesente Em.mo D. Cardinali Fumasoni-Biondi S. Congr. De Prop. Fide Praefecto

(*Osservatore Romano* 1 *nov.* 1939)

Dilecte Fili Noster, ac Venerabiles Fratres,

Postquam hesterno die in Basilicae Vaticanae majestate sollemni vos ritu ad episcopalem eveximus dignitatem, magnopere exoptabamus vos heic in Communis Patris domo conspicere coram, ut propensam, qua vos prosequimur, voluntatem aperiremus, utque animum vobis paterna voce adderemus ad labores eos fortiter subeundos, quos commissum vobis munus postulat. Grates igitur cum vobis, Venerabiles Fratres, persolvimus maximas quod Nos, filiorum caritate ducti, convenistis; tum praecipue Dilecto Filio Nostro Cardinali Petro Fumasoni Biondi, disertissimo interpreti vestro, qui vos quasi thesauri sui — Sacrum Consilium Propagandae Fidei dicimus — pretiosiores gemmas navitatisque suae praemia praeclariora Nobis ostendit.

Gratam praeterea mentem Nostram vobis profitemur quod Nos adeuntes magno animum Nostrum affecistis solacio; vobis enim praesentibus, tristitiae nubes, quibus caelum nostris hisce diebus nigrescit, Nobis scindi videntur, indeque haud paullum impluere laetitiae.

Praestantissimum quidem vobis, Venerabiles Fratres, committitur munus. Ad eas ergo contendite regiones quas, Deo auctore, vobis destinavimus; ibique conamini ut universos ad Christi advocetis amplexum, qui omnia ad se tracturum pollicitus est (cf. Joh., 12, 32). Christi vos ur-

gente caritate, cum ad concreditos vobis greges perveneritis, ea opera atque incepta virili animo vel suscipiatis vel provehatis, quae muneris usus ac pastoralis sollicitudo suadebunt; at constantes in hoc intendite curas, ut in ministerii vestri partem sacerdotes e populis educatis, quos christiana fide imbuistis. Indigenae enim sacerdotes, qui, rite instituti ac conformati, omnibus scientiae virtutisque ornamentis polleant, non modo magnae utilitatis vobis opem afferent, sed inceptos etiam a vobis labores persequentur, ita ut et de excultis evangelica doctrina a vobis gentibus idipsum dici possit, quod Leo XIII, Decessor Noster i. r., de Indiarum populis in fronte Seminarii pro indigenis clericis Kandii recens excitati insculpi iussit: « Filii tui, India, administri tibi salutis ».

Ad demandatos itaque vobis greges, Venerabiles Fratres, pergite. Prosequuntur vos admotis ad Deum precibus ac votis christifideles omnes; itemque erecto animo in spem uberum fructuum S. Consilii Propagandae Fidei Moderatores; at Nos in primis, implorata a Summo Pastorum Principe caelestium munerum largitate, paterna voluntate prosequimur, dum vobis vestratibusque omnibus effuso animo in Domino benedicimus.

Optamus tandem sollemnium horum dierum mnemosynon aliquod simulque peculiaris benevolentiae Nostrae pignus singillatim vobis amantissime tradere.

63 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Nuntius radiophonicus 14 novembris 1939

AD OMNES CATHOLICOS STATUUM FOEDERATORUM AMERICAE OB ANNUM QUINQUAGESIMUM A FUNDATIONE UNIVERSITATIS CATHOLICAE WASHINGTONENSIS

(*AAS* XXXI [25 nov. 1939], p. 635 ss.)

(*Versio nostra*) E corde amore paterno pleno, dilecti filii Statuum Foederatorum Americae, hunc nuntium ad vos

mittimus, qui significet quantum vobiscum sociari, cupiamus in celebrando Aureo Iubilaeo magnificentissimae Catholicae Universitatis vestrae.

Gaudium nostrum eo maius est atque intimius, quod Nobis conspicere contigit Nostris oculis, etsi breve dumtaxat tempus, grande istud opus a vobis ad Dei gloriam et regionis vestrae prosperitatem absolutum.

Anno 1889 ab Episcopis Statuum Foederatorum condita, Pontifice magno illo studiorum patrono, Leone Papa XIII, iuvenis vestra Universitas, vigore et promissionibus plena locum suum assecuta est in longa serie eximiarum et venerabilium Universitatum quae saeculis pristinis exstiterunt. Earumque exempla imitans, cum purissimis Christianae mentis atque animi traditionibus inhaereret, tam praeclarum felicemque eventum consecuta est ut iuste ab ipso Decessore Nostro felicis recordationis iure ac merito laudaretur, ut fertilis ager ac seminarium est Catholici cultus in Statibus Foederatis.

Sincere laetamur cum hanc laudem Nostram facimus, confidentes eam in his turbulentissimis temporibus, vobis animum addere posse et vires ad nobilem sed arduam missionem cui Universitas inservit persequendum.

Nunquam magis quam hodie fuit in christiana iuventutis educatione summum quoddam momentum et vitalis vis, dum opponuntur nobis fallaces naturalismi et materialismi errores, qui mundum in bellum praecipitant — cum ipsi demonstrent quam vacua sit philosophia in principiis mere humanis aedificata.

Quas calamitates cum multiplicari et ingravescere videamus; facile animos desponderemus, nisi fiducia erga Providentiam Dei sustentaremus, qui robur et solatium eo copiosius largitur quo magis deficit humana confidentia.

At praecipua spes nostra, praeter quam in Deo reposita est in scholis Christiani cultus, cum antiquis tum novis, inter quas vestra Universitas Catholica existit tamquam typus et exemplum, cum veritatis studio impulsa iustum in

suo programmate locum assignet scientiae naturali et metaphysicae, menti et cordi, tempori praeterito et praesenti, rationi et revelationi.

Sic in aularum vestrarum austero secessu alternis vicibus, modo cogitationi atque studio, modo orationi vacantes, pergetis instituere iuvenes qui crastinae diei homines futuri sunt, ut falsam doctrinam pravosque effectus adversari noscant, tamquam intrepidi propugnatores illorum humanitatis ac cultus fundamentorum quae in Christi evangelio inserta et sine errore ab Ecclesia proposita vere sunt spiritus et vita.

His nobilibus promissionibus quasi animati, Catholici Statuum Foederatorum, et re vera omnis homo rectae mentis, magni utique faciunt singularem auctoritatem qua hodie pollet eorum iamiam celebris Universitas, sicut profecto etiam sibi conscii sunt illius futuram prosperitatem suo fervori atque studio, suis precibus, suae operae committi. Similiter atque ceterae praeclarae Universitates Catholicae Statuum Foederatorum Americae, etiam Washingtonensis simul eorum honor est in praesentia et protectio in tempus futurum.

Et Nos quidem, cum paterni cordis Nostri ferventissima vota de illius progressu exprimimus, invocamus in eam copiam Divinae benedictionis; intima cum dilectione benedicimus Episcopis Statuum Foederatorum, quorum intellegentis curae Universitas monumentum est; benedicimus professoribus, studentibus omnibusque fidelibus, iis praesertim qui quolibet modo opem suam conferunt ut nobile istud Institutum permaneat et floreat.

Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper.

64 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Allocutio 15 novembris 1939

IN SOLLEMNI AUDIENTIA EPISCOPIS CETERISQUE PEREGRINIS CROATIS CONCESSA

(*Osservatore Romano* 15 novembris 1939)

Venerabiles Fratres,
Dilecti filii,

Plusquam decem saecula elapsa sunt, ex quo Decessor Noster, Ioannes VIII, anno octingentesimo septuagesimo nono, his quae sequuntur verbis Croatarum gentem per epistulam affatus est: « ... brachiis extensis vos complectimur paternoque amore recipimus et apostolica volumus semper benignitate fovere » (Mon. Germ. Hist. Epp. VII, 165-167). Iamvero, dum hodie summo gaudio Nobis licet, carissimi in Christo filii ac filiae, vos heic in paterna domo accipere coram, nullo alio modo vos consalutare possumus, qui aptius animi Nostri sensus exprimat; vos dicimus, qui, antiquissimae illius stirpis progenies, Croatarum populi, plenis viribus virtuteque validi, quodammodo personam geritis.

Ducibus Venerabilibus Fratribus Metropolitanis et Episcopis vestris, apostolico studio animatis, huc vos convenistis ut vestram testemini fidelitatem — ex tempore Ionnis Papae IV f. r., natione dalmatae, per tredicim saecula numquam deficientem, in Beati Petri Sedem et in Romanam Ecclesiam, quam quidem hisce laudibus praedicatis « aeternae veritatis interpretem infallibilem, iustitiae socialis patronam potentem, concordiae inter gentes adiutricem indefessam »; atque ita profecto dignos vos praeconio exhibuistis, quod immortalis Decessor Noster Leo X genti vestrae attribuit, cum eam « antemurale christianitatis » iure meritoque appellavit. Etenim paulo postquam

Summus ille Pontifex amplissimum eiusmodi praeconium edidit, ingruentibus magno impetu Islamitarum exercitibus, cum vestra, tum Hungarorum catholica fides in difficillimum gravissimumque discrimen vocata fuit. Ac novimus vos per temporis decursum, cum nempe Turcarum imperium in vos dominaretur, cumque postea vos in libertatem dimicando vindicaretis, hoc idem discrimen egregie et feliciter superasse. Id igitur firmam in Nobis certamque spem alit vos itidem — dum in praesens acerrimae de religione deque naturalibus honestatis normis disceptationes, simulque invalescens concertatio de christiana fide deque supernae vitae divitiis, quae in sempiternam confluent beatitatem, universos populos omnesque civium ordines tantopere exagitant — vos inquimus, pro vestra fidelitate animorumque constantia, non a doctrina catholica a christianisque praeceptis, non ab Ecclesia ab eiusque supremo Moderatore unquam esse discessuros. Quamobrem praeclara in vobis reviviscent Beati Nicolai Tavilicensis exempla, in quo catholica fides veluti sacra flamma exarsit, cuiusque sanctitatis consecratio, si ex arcano Dei consilio obvenerit, non minore Nos, quam vos, laetitiae afficiet.

Indoles ingeniumque vestrum arduam quodammodo sapit ac refert fortissimamque vestrorum montium firmitatem. Haec igitur indoles, indomita prorsus tenacitate, avitae fidei retinentissimos vos efficiat. Firma eadem fides ac sibi constans esto; ac, sicut Velebitensia culmina vestra, non imbribus, non tempestatibus commoveatur.

Christiana fides et arctissima cum Iesu Christi Vicario coniunctio quasi fundamentum ac veluti alma tellus habenda sunt, ex quibus vita efflorescat, quae et socialem actionem et caritatis opera et suam denique cuiusque sanctitatem alat atque conformet. Ecclesiasticis institutis ac sodaliciis vestris, ac peculiari modo Actione Catholica eo consilio utimini, ut christianae fidei beneficia in omnes publicae rei partes profluant. Ad quod quidem exsequendum propositum eo vel magis hodie vobis addimus ani-

mum, quod spes affulget fore ut in posterum Ecclesiae civitatisque res in patria vestra concordi actione communique cum utilitate aptius componi possint.

At hisce positis fundamentis, quae supra diximus, id imprimis vos enixe hortamur ut interioris vitae sanctimonia in omnibus floreat ac vigeat. Cotidianis ad Deum admotis precibus, ac communibus habitis inter domesticos parietes ante Iesu Christi cruci affixi imaginem supplicationibus, pervios divinis praeceptis christinaeque perfectioni facilioresque in animos vestros reddite additus, idque etiam efficite cum per ingenuae vitae simplicitatem « in omni pietate et castitate » (Tim. II, 2), tum per arctiorem cum divino Redemptore in Eucharistia praesertim coniunctionem, ad quem quidem cogitationes, unaque simul verba et opera vestra conformentur, tum denique per incensam pietatem erga Deiparam Virginem, studioso filiorum animo alendam.

Iuventutem vestram ita instituite atque educate, ut bene morata Deique ornata verecundia succrescat; atque eidem nominatim catholicos litterarum disciplinarumque ludos servate incolumes! Tum enim solummodo pacem, quae ex Deo oritur, in domestica societate intervolitare videbitis, ac patriae vestrae iubar affulgere verae mansuraeque felicitatis.

Interea vero nullo Nos posse aptiore modo putamus Nostris hisce verbis finem facere, quam si salutationem benedictionemque iteremus, quibus idem Decessor Noster Ioannes VIII in epistula supra memorata usus est: « Sacris orationibus Nostris memoriam vestri coram Domino assidue facientes, manibus sursum ad Dominum elevatis omnipotenti Deo vos commendamus, et omni benedictione spirituali vobis benedicimus in Christo Iesu Domino Nostro, ut hic et in aeternum corpore simul et anima benedicti exsistatis, et in perpetuum coram Domino gaudeatis ». Quibus permoti sensibus, cum vobis familiisque vestris, tum cunctae Croatarum genti ac iuventuti praesertim vestrae,

ex paterni animi Nostri praecordiis Apostolicam Benedictionem impertimus.

Annotationes

Tres possumus in hac S. Patris nobilissima allocutione partes distinguere. Prima historica est breviterque perpetuum commercium memorat quo a tempore Ioannis pp. IV (640-642), natione Dalmatae, populus Croatarum cum Sede Apostolica unitus mansit, verum « christianitatis antemurale », ut aiebat (1519) Leo X. Altera pars S. Pontificis fiduciam exprimit Croatas ab ea fidelitate numquam esse defecturos, praesertim his turbulentissimis temporibus, exemplum sibi proponentes B. Nicolai Tavilič, qui anno 1391 Hieorosolymis martyris mortem obiit. Huius beati viri, cuius cultus ante 50 annos a S. Sede recognitus est, canonizationem quoque nunc pius Croatarum populus postulat, cum iamiam imminet decimus tertius annus centenarius a sua coniunctione cum ecclesia Romana. Tertia pars programma quoddam exponit cuius duo principaliora capita haec sunt: fides fortis et sincera, firma S. Sedi adhaesio, actio catholica integra, nempe vita spiritualis interior, usus orationis, praesertim in familiis, cultus ss. Eucharistiae et beatissimae Dei Genetricis, iuventutis doctrina in scholis catholicis. Quae omnia, favente nova gentis Croatae vita politica, faciliora redduntur.

Prima autem et extrema huius allocutionis verba desumpta sunt ex epistula quadam anno 879 a Ioanne pp. VIII ad Croatas scripta. Ea autem quibus Ecclesia Romana praedicatur « aeternae veritatis interpres infallibilis, iustitiae socialis patrona potens, concordiae inter gentes adiutrix indefessa » praebuit nuntius quo illustrissimus vir D. Dr Maček, exemplo Episcoporum inhaerens, ipse b. Nicolai Tavilič canonizationem a S. Sede supplici ter petere voluerat.

Quanta spirituali consolatione S. Patris allocutio peregrinos Croatas affecerit, manifestat communis epistula quam eadem die 15 novembris Roma ad suos fideles miserunt Episcopi Croatae (*Osservatore Romano*, 19 *nov.* 1939): in ea namque affirmare non dubitaverunt programma christianae vitae Croatis a S. Pontifice propositum tale esse quod ab omni Croato catholico memoriae suae alte impressum tenendum sit.

S.

65 - Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii Decretum 8 nov. 1939

DUO DAMNANTUR LIBRI A PETRO UBALDI CONSCRIPTI

(*Osservatore Romano*, 15 novembris 1939)

Feria IV, die 8 novembris 1939.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in INDICEM librorum prohibitorum inserendos mandarunt duos libros a PETRO UBALDI conscriptos, quibus tituli:

L'ascesi mistica;
La grande sintesi.

Et sequenti Feria V, die 9 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. PIUS Divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 10 novembris 1939.

ROMULUS PANTANETTI
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

Annotationes

In sermonem latinum convertimus huius decreti commentarium quem in eodem numero diarii *L'Osservatore Romano* edidit R. P. M. Cordovani O. P., Magister S. Palatii.

S. Officii decretum condemnationem fert duorum librorum Petri Ubaldi. Quisnam sit auctor non omnino certe dicere sciverim. Fortasse solitarius aliquis, aliquis meditabundus, qui « sapientiae hortationes » emittit, quia « ultrafanus » quidam est, unus eorum qui « in exstasi cogitant », qui « boni quadam cupiditate » agitari videtur, sed mente a vero aberrante.

Secundi e duobus libris condemnatis inscriptio haec est: *La grande sintesi: Sintesi e soluzione dei problemi della scienza e dello Spirito.* Qui illum legit, reperit veram farraginem rerum scientificarum et affirmationum sine fundamento, utilium considerationum et errorum philosophicorum, cohortationum ad vitam meliorem et iudiciorum verae religioni adversantium. Scriptor gloriatur quod « e disperso nostro scibili strictum monismum effecit »; quod in volumine suo « scientia, philosophia et fides una res sunt »; quod mysterium « a velis symboli sibi verbis scientiae et rationis expressum emersit ». « Nos exspectat, inquit, ultimum iudicium non Dei nobis exterioris » sed legis quae in nobis est.

Librum eo consilio scriptum esse videtur ut intellegentias confundat, tenebrasque in conscientiis seminet: paucae bonae assertiones non excusant errorum et haereticarum propositionum congeriem quam continet.

In praefatione alterius editionis ponitur quaestio num hic liber ab Ecclesia condemnari possit et respondetur negando rem; quia Ecclesia, si hunc librum condemnasset, se ipsa negaret et conscientiarum crisim graviorem faceret! Sic utique scriptor manifestat se sibi conscium non

esse quid liber complectatur, neque divinam Ecclesiae missionem intellegere; sed prodit quoque se sensisse librum dignum esse qui expressis verbis condemnaretur.

Cum asseveratur mundum Evangelio Iesu indigere sed deinde significatur Evangelium esse evangelium scriptoris, vel affirmatur Iesum nihil docuisse sed tantum tulisse crucem et amavisse: haec omnia non sunt copiae hominis qui videat id quod ceteris absconditum manet, sed sunt vere deliramenta.

Prior vero liber inscriptus est *Ascesi mystica*. De omni re loquitur: de amore, de prophetis, de tentatione, de inferno, de Passione, de beatitudinibus, de Fratre Francisco, de Christo, etc. Crediderit quis symphoniam quandam universalem modo dramatico in animo scriptoris resonare. Sed totum id est evolutio, totum biosophia, evolutionismus veste pseudomystica ornatus.

Fieri potest ut animi leviores, qui res diligentius considerare neglegunt, isto libro alliciantur, cum non intellegant neque discernere idonei sint quid haeresis, quid doctrina catholica sit. Deus aliquis « qui est unitas globalis qui in se confundit omnes conscientias et creaturas »; fides « quae anticipat futuros evolutionis status »; « Christus realis qui completus est in trinitate sua Christi historici, cosmici et mystici »; quod quis se tamquam in bivio positum sentit, ubi eligere habeat vel religionem quandam superficialem et formalisticam vel religionem sine auctoritate et sine clero: haec non revelant praecursorem temporum futurorum, sed profecto scriptorem quem deficit veritas.

Ut appareat qua ratione auctor ascesim mysticam concipiat et hoc modo ipse liber intellegatur, satis est hanc definitionem describere: « Ascesim mysticam appello incrementum phaenomeni psychico-spiritualis a phasi ultraphonia lucidae seu inspirationis consciae ad phasim mysticismi, quae absolvitur unificatione totalitaria accipientis et transmittentis. Hoc studium et mea experientia qua illud ducitur, inter hos fines movetur ».

Difficile reperiatur definitio quae melius quam haec demonstret quisnam sit quasi sonus totius libri et quinam ipsius scriptoris conceptionum anfractus. Fortasse dixerit quis: At si ita est, cur condemnatur liber qui se ipse tam perspicue condemnat? Quaestio merito fieret si omnes lectores valde intellegentes essent et veritatis humanae ac divinae satis gnari ut se a sophistica custodiant, etiam si haec multorum verborum fimbriis exornatur. E contrario multi re vera magis fabulis quam veritate delectantur, ita ut quoddam ex operibus UBALDI alteram editionem eamque *retractatam*, non vero emendatam, nactum sit. Itaque prorsus oportebat lectores monere, non solum de veritatis christianae apertis negationibus, sed etiam de falsis artificiis et de temerariis immutationibus ,et ad hoc necessaria erat horum voluminum condemnatio.

ACTA SUMMATIM RELATA

66 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A - Litteris Apostolicis *In ditione Mexicana,* 1 maii 1939, titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ditatur templum Cathedrale archidioecesis Guadalajarensis, in Mexicana ditione (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 387 s.).

B - Litteris Apostolicis *Provido sane,* 24 maii 1939, Cathedrale templum Saltense Basilicae Minoris titulo et privilegiis condecoratur (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 388 s.).

C - Constitutione Apostolica *Ut e sacris,* 25 maii 1939, Praefectura Apostolica de Vatomandry in insula « Madagascar » ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem evehitur sub nomine « de Tamatave », eique aliqua adnectuntur territoria ad Vicariatus Apostolicos de Tananarive et de Diego Suarez hucusque pertinentia (*AAS* XXXI [23 octibris 1939], p. 381 s.).

D - Constitutione Apostolica *In Ugandensis,* 25 maii 1939, Ugandensis Vicariatus territorium dismembratur et novus erigitur Vicariatus Apostolicus « Masakensis » (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 383 s.).

E - Litteris Apostolicis *Argentinae Reipublicae,* 26 maii 1939, Templum Sacratissimi Cordis Iesu in archidioecesi et civitate Bonaërensi Basilicis Minoribus accensetur (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 606).

F - Litteris Apostolicis *A Minoriticae,* 30 maii 1939, Basilicae Minoris honoribus decoratur templum Bononiense in honorem Sancti Antonii Patavini Deo dicatum (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 607 s.).

G - Litteris Apostolicis *Pratensi in urbe,* 3 iunii 1939, Sanctuarium B. Mariae Virginis a Carceribus, in urbe Pra-

tensi, dignitate ac titulo Basilicae Minoris ornatur (*AAS* XXXI [10 novembris] p. 608 s.).

H - Constitutione Apostolica *Quo dominici,* 3 iunii 1939, a dioecesi Gagayana, in Philippinis insulis, territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur dioecesis sub nomine « Surigensis » Metropolitanae Ecclesiae Nominis Iesu suffraganea (*AAS* XXXI [23 octobris 1939], p. 384 ss.).

I - Constitutione Apostolica *Ecclesiarum omnium,* 3 iunii 1939, ab archidioecesi S. Fidei in Argentina territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur dioecesis sub nomine « Resistenciae » (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 599 ss.).

K - Constitutione Apostolica *Quo intra Libyae,* 22 iunii 1939, a Vicariatus Apostolici Tripolitaniae territorio pars seiungitur novaque exinde Praefectura Apostolica erigitur sub nomine « Misuratensis », eaque clero saeculari committitur (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 602 s.).

L - Constitutione Apostolica *Quo Evangelicae,* 22 iunii 1939, e Vicariatu Apostolico de Cyrenaica provincia civilis, cui « Derna » nomen, seiungitur et novus erigitur Vicariatus Apostolicus « Dernensis » (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 603 s.).

M - Constitutione Apostolica *Lubenti animo,* 11 iulii 1939, Praefectura Apostolica de Langson et Caobang, iisdem servatis limitibus et denominatione, in Vicariatum Apostolicum erigitur (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 604 s.).

N - Litteris Apostolicis *Valleguidomensium,* 15 aug. 1939, titulos ac privilegia Basilicae Minoris Ecclesiae Nostrae Dominae a Vepreto, in loco « Everon » Valleguidonensium dioecesis tribuuntur (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 389 s.).

O - Epistula 9 septembris 1939 ad Exc. D. Ioannem de Jong, Ultratraiectensem Archiepiscopum, ceterosque Hollandiae Episcopos, ob sollemnem celebrationem duodecimi saecularis anni post mortem S. Clementis Willibrordi. « Huic, scribebat S. Pater, Batavi debent pretiosam hereditatem fidei sanae et alacris, quae caritate flagrat, severa disciplina solidatur, quaeque eos in exemplum ad missionalia incepta compellit, ut infidelium regionibus sa-

lutiferae Crucis victricia signa inferantur et caelitus ortae veritatis lumen longe lateque seratur ». Utinam pristinae coniunctionis memores, Hollandiae Protestantes ad unitatem Ecclesiae catholicae et ad communionem cum Sede Romana redeant. Catholicorum est continentem sedulamque operam dare ut doctrinae, caritatis, probitatisque suasione fratres suos ad unum Christi ovile reducant. Ipsi vero e sollemnibus quae acturi sunt, nova ac valida ad virtutes christianas colendas incitamenta percipiant (*AAS* XXXI [10 nov. 1939], p. 609 ss.).

P - Allocutio quam Beatissimus Pater habuit, die 30 mensis Septembris anno 1939, adstantibus E.mo P. D. Augusto Presb. Cardinale Hlond, Archiepiscopo Gnesnense et Posnaniense aliisque e Polonia christifidelibus. In his Patriae eorum luctuosissimis vicissitudinibus S. Pontifex, ut est vicarius et legatus Christi in terris, dilectissimis filiis suis ipsius Divini Cordis tenerissimam miserationem exhibere cupit. « Quis infirmatur et ego non infirmor »? Quantum Paternum eius Cor commovetur cogitatione illius crudelissimi belli quo tam studiose, at frustra, Europam liberam servare conatus est. Praeter tenerum hunc amoris Sui sensum, alia bona plura dilectis Poloniae fifiliis manent: fulgor militaris suae virtutis, quam vel ipsi adversarii agnoverunt, memoria gloriosae sui populi historiae, fides quae numquam defecit et numquam deficiet, pia erga Virginem Mariam devotio. Porro sperat S. Pontifex fore ut integra servetur genti Polonicae libertas, ruri et in civitatibus, religionem suam publice, sicut antea, profitendi; ut sua quoque libertas servetur prelo catholico, operibus catholicis, religionis doctrinae. Iis horis praesertim, quibus Providentia se abscondere videtur, pulchrum est et bonum illi credere et confidere. Poloni igitur, precatione et fiducia nitentes, horam divinarum consolationum exspectare scient, eorumque dolor, spe temperatus, omni odio vacabit. Iustitia autem et caritate, iisque tantum pax mundo reddi poterit. Denique omnibus praesentibus, ceterisque nationis Polonicae filiis, S. Pater effuso animo benedictionem suam impertitus est (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 393 ss.).

Q - Allocutio quam habuit S. Pontifex die 2 octobris in sollemni audientia Tribunali Sacrae Rotae, Advocatis

Consistorialibus et Rotalibus, Procuratoribus Palatiorum Apostolicorum concessa. Imprimis S. Pater merita et glorias illustravit insignis Tribunalis Ecclesiastici, in quo iustitia administratur cum gemini sacerdotii dignitate, sacerdotii videlicet quod ad tribunal iustitiae, et sacerdotii quod ad altare fidei exercetur. Inter omnes sententias, aiebat S. Pontifex, a Romana Rota datas, numero suo primum locum tenent illae quae dignitatem et sanctitatem matrimonii christiani spectant. Mysticae atque indissolubiles Christi cum sua Ecclesia nuptiae, tamquam sigillo quodam, suam excelsam imaginem matrimonio christiano imprimunt, quod per orbem terrarum familiae catholicae amorem, convictum cunasque sanctificat. Nihilominus magnus causarum matrimonialium numerus, si ostendit universam Christi et Ecclesiae familiam augeri, multiplicari et propagari ab Urbe Romana usque ad ultimos orbis fines, ubicumque sunt animae liberandae, confirmandae, pacandae, salvandae atque ad fiduciam et bonam frugem adducendae, idem demonstrat bonorum morum in non paucis regionibus demutationem et levitatem, immo aliquando etiam malitiam, qua quidam sanctum matrimonium contrahunt, vel se contrahere simulant.

Praedicat deinde S. Pater Rotae Romanae universalitatem, quae gloria est eius sapientiae et prudentiae, simulque sigillum unitatis Ecclesiae; celebrat eius aequabilitatem ab omni personarum acceptione alienissimam, quae aliud privilegium non novit quam quod pauperibus et humilibus patrocinium et auxilium gratuito concedit; laudat denique eius in cognoscenda cordium humanorum sensuum mutabilitate sollertiam, qua idonea fit iura fidei, conscientiae, humanae libertatis, nuptiarum sanctitatis atque unitatis adversus fraudem et mendacium vindicare. « Et sic Roma, iuris Mater, a Tiberinis ripis ad usque terrae fines, semper illius magistra manet, cum docet et promovet ius humano-divinum, radium illius Verbi Divini hominis facti, cuius vultus suo lumine nostram rationem signat, cuius lux illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » (*Osservatore Romano*, 2-3 octobris 1929).

R - Allocutio 18 octobris 1939 in sollemni audientia novi Legati Extraordinarii et Ministri Plenipotentiarii Reipublicae Lituanae, Exc. D. D. Stanislai Girdvainis, S. Pontifex postquam gaudium suum significavit de restaurata inter S. Sedem et Rempublicam Lituanam diplomaticam

communitatem Suamque spem omnia negotia adhuc inter duas partes exorta brevi componendi, verba ipsius Legati resumens Reipublicae Lituanae decus esse declarat ac munus quod est quasi remotissima quaedam in septentrionalibus regionibus catholicitatis statio ac praesidium. Gravissimos porro hodierni temporis eventus recordans, monet S. Pater Statibus magis quam alias unquam humanitatis ac salutis munimentum esse christianam religionem (*AAS*, XXXI [10 nov. 1939] p. 611 s.).

S - Encyclica *Summi Pontificatus*, 20 octobris 1939, latine, italice, gallice, hispanice, anglice et germanice (*AAS* XXXI [10 nov.] p. 413-594. Textum eius latinum in fasciculo I anni 1940 edemus).

T - Encyclica *Sertum laetitiae*, 1 novembris 1939, ad Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios Statuum Foederatorum Americae ob centesimum quinquagesimum anniversarium a constituta in ea regione Ecclesiastica Hierarchia, item sex linguis (*AAS* XXXI [25 novembris 1939], p. 635 ss. Encyclicae latinum textum dabimus in altero anni 1940 fasciculo).

U - Litteris Apostolicis *Iam recolendae*, 9 novembris 1939, Romana Archibasilica Lateranensis, Christo Salvatori atque in honorem Sancti Ioannis Baptistae ac Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae dedicata, eidemque adnexum baptisterium, abolitis aliis quibuslibet antea concessis, peculiaribus gratiis spiritualibus privilegiisque cumulatur (*AAS* XXXI [25 nov. 1939], p. 670 ss.).

V - Allocutio 10 novembris 1939 in sollemni audientia novi Legati Extraordinarii et Ministri Plenipotentiarii Reipublicae Haïtiensis Exc. D. D. Abelis Nicolai Léger. Magna laetitia a Se excipi, aiebat S. Pontifex, Legatum illius Nationis quae omnium prima in Novo Orbe, cum latina humanitate ac cultu, fidem quoque Romanam suscepit. At semper tristium huius temporis eventorum memor, hortatur populos omnes qui pace fruuntur, ut curam habeant de iis qui patiuntur et pro iis pacem et ordinem a Deo petant. « Sed, addebat S. Pater, sicut saepe diximus, illa exoptata pace et ordine, qui necessaria illius condicio est, mundus nunquam fruetur, nisi homines qui populorum sortes eorumque mutuas rationes regunt, cultui

violentiae contra ius adhibitae non valedixerint; nisi mancam et precariam esse agnoscentes moralem in humanis dumtaxat fundamentis exstructam, supremam Creatoris auctoritatem agnoverint, in qua privatam ac publicam moralem aedificent; nisi Patri illi qui est in caelis, praescriptum ab Eo honorem exhibeant, nempe fraternae inter filios omnium regionum omniumque linguarum concordiae. Tunc demum stabilem et fecundam internationalem ordinationem constituere et perficere poterunt, qualem eam homines bonae voluntatis exoptant, scilicet ordinationem quae Dei iurium observans, etiam populorum maiorum ac minorum mutuam libertatem tutetur, fidem in servandis foederibus sincere acceptis imponat, et in conatu uniuscuiusque ad communem prosperitatem, sanam libertatem et personae humanae dignitatem custodiat». (*AAS* XXXI [25 novembris 1939], p. 674 ss.).

67 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 13 maii 1939, partes territorii paroeciarum Rogersville et Harwicke, quae spectant ad dioecesim Bathurstensem in Canada, ab ipsa dioecesi seiunguntur, atque archidioecesi Monctonensi aggregantur, mutatis hac ratione finibus earundem dioecesium (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 397).

2 - Decreto 15 iul. 1939, fines inter archidioecesim Mediolanensem et dioecesim Comensem aliquantum immutantur (*AAS* XXXI [25 nov. 1939] p. 681).

68 - S. C. pro Eccl. Orientali

1 - Decreto 3 iulii 1939, statuitur ut paroeciae ritus byzantini Rudabanyaeska et Beregdaroc, et earumdem ecclesiae filiales, quae ad Administrationem Apostolicam Miskolcsiensem hucusque pertinebant, dioecesi Munkacsiensi Ruthenorum iterum adnectantur, ita ut valide et licite sub iurisdictione Episcopi Munkacsiensis Ruthenorum exstent; sacerdotes vero qui, in praedictis paroeciis et ecclesiis filialibus, aliquod beneficium inamovibile obtinuerint, in dioecesi Munkacsiensi Ruthenorum incardinationem legitimam habeant; sacerdotes autem qui nullo, vel amovibili tantum, beneficio in iisdem paroeciis et ecclesiis fi-

lialibus potiti sint, Administrationi Apostolicae Miskolcsiensi adscripti maneant vel diocesi Munkacsiensi Ruthenorum, iuxta ea quae Ordinarii intra se convenerint; concesso, in casibus controversis, recursu ad Apostolicum Nuntium in Regno Hungariae (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 613).

2 - Decreto 3 iulii 1939, statuitur ut quaedam paroeciae ritus byzantini et earumdem ecclesiae filiales dioecesi Haidudoroghensi iterum adsignentur, ita ut Episcopus Haidudoroghensis tamquam legitimus Pastor easdem valide et licite regat; e sacerdotibus vero praedictis paroeciis et ecclesiis filialibus addictis, ii a dioecesi Munkacsiensi Ruthenorum in dioecesim Haidudoroghensem transeant qui beneficium aliquod inamovibile, relate ad paroecias vel ecclesias filiales supradictas, acquisierint; de illis vero qui nullum, vel amovibile tantum, beneficium in iis paroecis et ecclesiis habuerint, Episcopi dioecesis Munkacsiensis Ruthenorum et dioecesi Haidudoroghensis inter se conveniant, casus controversos, si opus sit, ad Apostolicum Nuntium in Regno Hungariae deferentes (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 614).

69 - S. C. de Prop. Fide

1 - Decreto 25 aprilis 1939, inter Vicariatum Apostolicum de Koango in Congo Belgico et Praefecturam Apostolicam de Ipamu in eadem regione fines immutantur (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 399 s.).

2 - Decreto 22 iunii 1939, Vicariatum de Cyrenaica dehinc Vicariatum Apostolicum Bengasinum, ab urbis in ea regione principis nomine, nuncupandum esse statuitur (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 400).

3 - Decreto 22 iunii 1939, Vicariatum cui adhuc nomen fuit « Misurata », dehinc Vicariatum Apostolicum Tripolitanum in Libya, ab urbis in ea regione principis nomine, nuncupandum esse statuitur (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 401).

- Decreto 11 iulii 1939, Vicariatum Apostolicum Congo Superioris deinceps Balduinopolitanum ab illius regionis urbis principis nomine, in qua Vicarius Apostolicus eiusdem Vicariatus residet, appellandum esse decernitur (*AAS* XXXI [23 octobris 1939] p. 401 s.).

5 - Decreto 11 iulii 1939, territorii partem quandam a Vicariatu Apostolico de Foumban distrahendam et Apostolico Vicariatui de Yaoundé adnectendam esse statuitur, ita ut deinceps totum territorium subdivisionis administrativae civilis de Bafia uni Vicariatui Apostolico de Yaoundé obnoxium maneat atque limites inter Vicariatum de Foumban et de Yaonudé hac in regione iidem ac pro ipsa subdivisione administrativa civili de Bafia statuti habeantur (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 615).

6 - Decreto 11 iulii 1939, ex dioecesi Osakensi civiles praefecturae de Nara distrahuntur atque Praefecturae Apostolicae de Kyoto adnectuntur (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 616).

70 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

1 - *Lamen.* Decretum 19 maii 1939, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et effectum de quo agitur*, beatificationis et canonizationis Servi Dei Iosephi Frassinetti, sacerdotis saecularis et curionis ad S. Sabinae Genuae, Fundatoris Congregationis Filiorum S. Mariae immaculatae (*AAS* XXXI [10 *novembris* 1939] p. 617 ss.).

2 - *Marionopolitana seu Albanen. in America.* Decretum 19 maii 1939, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur*, beatificationis et canonizationis Servae Dei Catharinae Terakwitha, Virginis Indae (*AAS* XXXI [10 novembris 1939] p. 619 ss.).

71 - Provisiones Ecclesiarum

A - *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

5 oct. 1939, R. D. Donaldus Campbell, cathedrali ecclesiae Ergadiensi et Insularum.

5 oct. 1939, R. D. Iacobus Maguire, Coadiutor cum iure successionis Exc. D. P. D. Ioannis Toner, Episcopi Dunkeldensis.

6 oct. 1939, R. D. Edmundus Vansteenberghe, cathedrali ecclesiae Baionensi.

6 oct. 1939, R. D. Aloysius Chiron, cathedrali ecclesiae Lingonensi.

11 oct. 1939, Exc. P. D. Emmanuel Pius López, hactenus Episcopus Tacambarensis, cathedrali ecclesiae Verae Crucis.

10 nov. 1939, Exc. P. D. Raphael Arias, hactenus Episcopus Titularis Attalensis in Pamphylia, cathedrali ecclesiae S. Christophori in Venezuela.

10 nov. 1939, R. D. Franciscus Iosephus Iturriza Guillén, e Soc. S. Francisci Salesii, cathedrali ecclesiae Corensi.

10 nov. 1939, Exc. P. D. Lucas Castillo, hactenus Episcopus Corensis, Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Philippi Rincón Gonzalez, Archiepiscopi S. Iacobi in Venezuela.

B - *Decreto S. C. Pro Ecclesia Orientali nominatus est*:

25 apr. 1939, R. P. Nicolaus Dudas, ex Ord. Basiliano S. Iosaphat, cathedrali ecclesiae Haidudoroghensi.

C - *Decretis S. C. De Propaganda Fide nominati sunt*:

11 iul. 1939, R. P. Henricus Martinus Mekkelholt, e Congr. Sacerdotum a Sacro Corde Iesu, hactenus Praefectus Apostolicus de Benkoelen, Vicarius Apostolicus Palembangensis.

13 sept. 1939, R. D. Ioannes Lucato, e Soc. S. Francisci Salesii, Vicarius Apostolicus Dernensis.

72 - Necrologium

21 sept. 1939, R. D. Paulus Bruchési, Archiepiscopus Montis Regalis.

1 oct. 1939, R. D. Franciscus David, Episcopus Amadiensis Chaldaeorum.

2 oct. 1939 Em.mus D. Cardinalis Georgius Gulielmus Mundelein, Archiepiscopus Chicagiensis.

25 oct. 1939, R. D. Franciscus Mostyn, Archiepiscopus Cardiffensis.

28 oct. 1939, R. D. Aloysius Franciscus Pierini, Archiepiscopus de Sucre.

1 nov. 1939, R. D. Renatus Mignen, Archiepiscopus Rhedonensis.

5 nov. 1939, R. D. Helias Durand, Episcopus Montis Albani.

73 - Pontificia Commissio de re biblica

In *Actis Ap. Sedis* anni 1938, p. 420 prodiit *Monitum de praemiis a Pontificia Commissione Biblica conferendis* auditoribus cursus theologici sive in Seminariis maioribus sive in Facultatibus theologicis. Ibidem dicebatur dissertationes usque ad diem 31 mensis Octobris 1939, ad Secretarium Pontificiae Commissionis Biblicae esse mittendas.

Consideratis adiunctis temporis, de mandato Emi Cardinalis Praesidis eiusdem Commissionis, suspenditur concursus ad tempus.

Romae, die 22 Septembris 1939.

Iacobus M. Vosté, O. P. *Consultor ab actis*

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex Libris

Agathangelus A Langasco, O. M. Cap., *De Institutione Clericorum in disciplinis inferioribus* (Legislatio canonica), Dissertatio ad Lauream in facultate Iuris canonici P. Universitatis Gregorianae, Typis Polyglottis Vaticanis, 1936, 25×17 cm., XV-291 pag. pretium Lit. 25.

II - Ex Periodicis

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, I (1939) fasc. 5 (iul.-sept.) — Arthuro Carlo Jemolo, *Direttive di ricerche canonistiche*, pag. 341-346. — Giuseppe Forchielli, *Il metodo per lo studio del diritto costituzionale della Chiesa*, pag. 347-354. — Costantino Jannacone, *Limiti e parti del diritto ecclesiastico*, pag. 355-369. — Giuseppe Forchielli, *Metodo per giudicare il metodo*, pag. 370-372. — Orio Giacchi, *Note sullo studio del diritto ecclesiastico*, pag. 373-379. — Andrea Piola, *Nuove osservazioni critiche sull'insegnamento del diritto ecclesiastico e del diritto canonico*, pag. 380-389. — Pio Fedele, *Ancora sullo studio e l'insegnamento del diritto canonico e del diritto ecclesiastico in Italia*, pag. 390-410.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN, XXXXI (1939) fasc. 11 (nov.). — W. Mulder, *Scheiding tusschen kerkelijken bugerlijk huwelijk*, pag. 346-349.

RASSEGNA DI DIRITTO MORALE E DIRITTO, V (1939), fasc. 1-3 (mart.-sept.). — X. X. *Antropologia giuridica e morale; L'uomo com'è: Artologia*, pag. 2-4. — S. R., *Il fine*, pag. 5-15. — G. Ruggini, *I fondamenti del diritto nella filosofia tradizionale* (fine), pag. 16-34. — A. Canestri, *Morale professionale*, pag. 115-138. — P. Gubitosi, *Gli effetti alle sentenze ecclesiastiche in cause matrimoniali*, pag. 175-190.

REVUE DES COMMUNAUTES RELIGIEUSES, XV (1939), fasc. 6 (nov.-dec.), J. Creusen, *A la Radio*, pag. 180-186.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Timotheus L. Bouscaren, S. I., Prof. Textus. Iuris Can. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congreg. de Prop. Fide, 52 ss.

Carolus Boyer, S. I., Prof. Theol. Fundam. in Pont. Univ. Gregoriana; Praefectus generalis Studiorum in eadem Universitate.

Michael a Sanctis Fábregas, S. I., Prof. Instit. Iuris Can. in Pont. Univ. Gregoriana, 5 ss.

Ioannes M. Hanssens, S. I., Prof. instit. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana, Cons. SS. Congr. pro Eccl. Orient. et SS. Rit. in sect. liturg., 61 ss, 135 ss, 159 ss.

Ioseph Pauwels, S. I., Prof. Sacr. Liturg, Namurci in Belgio, 233 ss.

Puthota Rayanna, S. I., Prof. Iuris Can. in Pont. Seminario Kandiensi (Ceylan), 25 ss, 112 ss, 190 ss.

Raphael Saponaro (R. P. Prof.) e Pont. Instituto Missionum Exterarum Mediolanensi, 369 ss.

Ioseph Schweigl, S. I., Prof. Institut. Liturg. Orientalis in Pont. Univ. Gregoriana, 72 ss, 209 ss.

Sebastianus Tromp, S. I., Prof. Theol. Fundam. in Pont. Univ. Gregoriana; Qualificator S. Congreg. S. Officii, 97 ss.

Ivo Zeiger, S. I., Prof. Historiae Iuris Can. in Pont. Univ. Gregoriana, 177 ss.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

DISSERTATIONES

Pag.

Estne opportunum sola venialia confiteri? Michael a Fábregas, S. I. 5

De constitutione S. Pii Papae V « Romani Pontificis » (2 Augusti 1571), Puthota Rayanna, S. I.

III - Constitutio « Romani Pontificis » in Sacrarum Romanarum Congregationum Iurisprudentia . . 25

IV - Doctrina Codicis iuris Canonici de potestate Romani Pontificis in matrimonia infidelium . . 112

V - Canon 1125 126

VI - Genuinus constitutionis « Romani Pontificis » sensus 190

De Missa ex licentia ordinarii celebrata: *a*) extra ecclesiam et oratorium (c. 822, § 4) vel, *b*) in oratorio privato (cc. 1194, 1195, § 2). An audientes praecepto satisfacere valent (c. 1249)?, Timotheus L. Bouscaren, S. I. 52

Num in ritu byzantino officium dulcissimi Iesu aequiperetur pietati SS. Cordis Iesu, Joseph Schweigl, S. I. 72

Ultima monita Pii XI de Actione Catholica evolvenda et intensificanda, Sebastianus Tromp, S. I. 97

Pars I: De indole generali e scopo universali Actionis Catholicae 99

Pars II: De munere Cleri relate ad Actionem Catholicam 102

Pars III: Fines speciales Actionis Catholicae . . 105

De missa pro eligendo Summo Pontifice, Ioannes M. Hanssens, S. I. 135

Estne una cum festo S. Iosephi transferenda etiam obligatio illud feriandi? Ioannes M. Hanssens, S. I. . . 159

De conditione Theologiae moralis moderna, Ivo Zeiger, S. I. 177

De unitate ecclesiae orientalis et occidentalis restituenda documentis S. Sedis ultimi saeculi (1848-1938) *illustrata,* Ioseph Schweigl, S. I. 209

I - De Pontificatu P. Pii IX (1846-1878) . . . 211

II - De Pontificatu P. Leonis XIII (1878-1903) . . 217

III - De Pontificatu P. Pii X (1903-1914) . . . 222

IV - De Pontificatu P. Benedicti XV (1914-1922) . . 225

V - De Pontificatu P. Pii XI (1922-1939) . . . 228

VI - Conclusiones Quaedam 230

QUAESITA VARIA

Pag.

Quaesitum liturgicum: *De translatione festorum S. Iosephi et Annuntiationis,* Ioannes M. Hanssens, S. I. . 61
Quaesitum: *Cessatne Lex Abstinentiae in Festis de Praecepto* a) *suppressis,* b) *dispensatis?* Pr. 165
Quaesita de re liturgica, Ios. Pauwels, S. I. 233
I - *De Benedictione candelarum in festo purificationis* 233
II - *De Missa in aliena ecclesia* 234
III - *De Missa celebranda pro defuncto sacerdote* . 236
IV - *De Sancto nominando in Suffragio* 236
De ritu festi S. Iosephi (19 martii), H. 238

INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM

SS. D. N. PIUS PP. XI F. M. *Pag.*

8 - Litterae Apostolicae 21 novembris 1938 . . . 169
Acta summatim relata.
1 - 9 - 24 . . . . . 86, 171, 281

SS. D. N. PIUS PP. XII.

7 - Nuntius radiophonicus 3 martii 1939 167
14 - Allocutio 12 martii 1939 239
Annotatio 240
15 - Allocutio 5 aprilis 1939 241
16 - Homilia 9 aprilis 1939 248
17 - Allocutio 14 aprilis 1939 255
18 - Nuntius radiophonicus 16 aprilis 260
Annotationes 269
19 - Epistula 20 aprilis 1939 271
34 - Allocutio 11 iunii 1939 293
35 - Sermo 24 iunii 1939 296
Annotationes, C. Boyer S. I. 305
36 - Nuntius radiophonicus 24 augusti 1939 . . . 307
37 - Hortatio 31 augusti 1939 311
61 - Homilia 29 octobris 1939 385
62 - Allocutio 30 octobris 1939 389
63 - Nuntius radiophonicus 14 novembris 1939 . . . 390
64 - Allocutio 15 novembris 1939 393
Annotationes 396

Pag.

Acta summatim relata.
25 - 51 - 66 . . . . . 281, 347, 401

S. S. C. S. OFFICII.

20 - 38 - 39 - Decreta 22 martii, 21 iunii, 5 iulii 1939. 274, 312
65 - Decretum 8 novembris 1939 397
Annotationes 398

S. C. CONSISTORIALIS.

Acta summatim relata.
2 - 26 - 52 - 67 . . . . . 88, 284, 356, 406

S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM.

40 - Instructio reservata 8 decembris 1939 . . . 317
41 - Monitum pro Ordinariis Italiae 1 iulii 1939 . . 325
Acta summatim relata.
3 - 389

S. C. CONCILII.

Acta summatim relata.
53 - 357

S. C. PRO ECCLESIA ORIENTALI.

Acta summatim relata.
28 - 68 . . . . . 284, 496

S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

42 - Instructio 9 iulii 1939 325
Acta summatim relata.
27 - 54 - 69 . . . . . 284, 357, 407

S. C. RITUUM.

21 - Decretum 4 ianuarii 1939 275
Acta summatim relata.
3 - 29 - 55 - 70 . . . . . 89, 285, 358, 408

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA.

43 - Elenchus Indulgentiarum Apostolicarum 11 martii 1939 327
Annotationes 330
44 - Decretum 1 maii 1939 333
Annotatio 334
45 - Rescriptum 24 iulii 1939 334
46 - Decretum 15 iunii 1939 335
Acta summatim relata.
10 - 61 . . . . . 172, 408

S. ROMANA ROTA.

30 - Tabulae synopticae causarum anni 1938 . . . 285

Pag.

P. COMMISSIO DE RE BIBLICA.

47 - Responsum 16 iulii 1939 336
6 - Monitum 31 octobris 1938 90
73 - Monitum 22 septembris 1939 410

OFFICIUM SECRETARIAE STATUS.

49 - Epistula E.mi D. Card. Secretarii ad E.mum D. Card. Verdier, Archiepiscopum Parisiensem . . 338

Acta summatim relata.

56 - 359

COMMISSIO PRO REGIMINE ACTIONIS CATHOLICAE IN ITALIA.

23 - Declaratio 22 maii 1939 279
Annotatio 280
50 - Actionis Catholicae in Italia novae normae . . 341

DECRETA EPISCOPALIA.

22 - Decretum Exc. D. Episcopi Brugensis 14 martii 1939 277

PROVISIONES ECCLESIARUM.

4 - 11 - 31 - 57 - 71 . . . . 89, 172, 288, 360, 408

NOMINATIONES.

12 - 32 - 58 . . . . . 173, 288, 362

DESIGNATIONES PRO APPELLATIONE.

59 - 362

NECROLOGIUM.

5 - 13 - 33 - 60 - 72 . . . . 89, 173, 289, 363, 449

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE . . . 92, 174, 290, 364, 411

INDEX ALPHABETICUS GENERALIS

TOMI VIGESIMI OCTAVI (1939)

AB HORTA, BEATUS SALVATOR: canonizatio 86.

ABSOLUTIO adhaerentibus L'Action Française 334.

ABSTINENTIA: in festis suppressis et dispensatis 165.

ACTIO CATHOLICA: ultima monita Pii Pp. XI 97 — in Italia 279, 341.

BARBIERI CLELIA: beatificationis 358.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS causae historicae 275.

BENEDICTIO Apostolica *Urbi et Orbi* ope radiophonica accepta 335.

BENEDICTIO nuptialis extra Missam 277.

BENEDICTUS XV: documenta de unitate Ecclesiae 225 ss.

BOBOLA, BEATUS ANDREAS: canonizatio 86.

BRITTANIA: Delegatio Apostolica 169.

CABRINI, FRANCESCA XAVERIA beata renuntiatur 171.

CANDELARUM benedictio 233.

COMMISSIO PONTIFICIA ad Codicis canones authentice interpretandos 57, 337.

COMMUNIO quotidiana: Instrucio S. C. Sacr. 317.

CONCILIUM SINENSE PRIMUM de matrimonio 48.

CONCLAVISTAE privilegiis ornantur 281.

CONFESSIO venialium 5 ss. — eius frequentia 23 — iubilaei 22.

CONFRATERNITAS: mutatio habitus 338.

DE IACOBIS, IUSTINUS beatus renuntiatur 353 — de miraculis 358 — de tuto 358.

DELEGATIO APOSTOLICA in Brittania 169.

DE VIALAR AEMILIA: beatificationis 285, 351.

EDUCATIO clericorum 296 ss.

EPISCOPUS proprius pro ordinatione 337 — pro saecularizatione religiosi 337.

FESTORUM translatio 61 ss., 159 ss.

FRASSINETTI IOSEPHUS: beatificationis 408.

GALGANI, BEATA GEMMA: canonizationis 285.

GUANELLA ALOISIUS: beatificationis 358.

INCARDINATIO per primam tonsuram 337.

INDULGENTIAE 172 — Apostolicae 327 — Portiunculae 333 — Benedictio Apostolica *Urbi et Orbi* ope radiophonica accepta 335 — an amittuntur mutato habitu confraternitatis 338.

IUBILAEUM, quoad confessionem 22 ss.

L'ACTION FRANÇAISE 312, 334.

LAUREA S. Scripturae 336.

LEO XIII: documenta de unitate Ecclesiae 217 ss.

LEONARDI, BEATUS IOANNES: canonizatio 86.

MATRIMONIUM in Insulis Philippinis 26 — tribunalia pro causis nullitatis in Italia 87 — infidelium quoad indissolubilitatem 25 ss, 112 ss, 190 ss. — rescriptum de benedictione nuptiali 277 — causae coram S. R. Rota 285 —

assistentia sub iure concordatario in Italia 325.
Mazzarello Maria Dominica beata rentiatur 172.
Missa extra oratorium 52 ss. — pro eligendo Summo Pontifice 135 ss. — in aliena ecclesia 234 — pro defuncto sacerdote 236 — munus ministrandi 369.
Missiones: prudentia in rebus missionalibus tractandis 325 — internae in Gallia 338 — duodecim Episcoporum consecratio 385, 389.
Monumenta historiae et artis in Italia conservanda 357.
Oratorium privatum, quoad Missam 58 — privilegium Conclavistarum Pii XII 281.
Ordinarius pro saecularizatione religiosi 337 — quoad causas historicas beatificationis etc. 275.
Ordinatio: Episcopus proprius 337.
Pax: opera pacificatoria Pii XII 167, 248, 271, 307, 311, 350, 403, 405 — argumentum Hebdomadis Socialis Catholicorum Franco-Canadensium 359.
Peccata venialia: confessio 5 ss.
Pelletier Maria a S. Euphrasia: de miraculis 358 — de tuto 358.
Philippinae Insulae: controversia de matrimonio 26 ss.
Pius V: Constitutio *Romani Pontificis* 25 ss., 112 ss., 190 ss.
Pius IX: documenta de unitate Ecclesiae 211 ss.
Pius X: documenta de unitate Ecclesiae 222 ss.
Pius XI: Actio Catholica 97 — documenta de unitate Ecclesiae 228.
Poenitentiae Sacramenti effectus 12 ss.
Praecedentia confraternitatis 338.
Praeceptum audiendi Missam 52 ss.
Privilegium Paulinum 25 ss., 112 ss.
Religiosus, quoad exclaustrationem et saecularizationem 337.
Ritus Byzantinus: officium dulcissimi Iesu 72 ss.
Romani Pontificis, Constitutio S. Pii V 25 ss., 112 ss., 190 ss.
Rossello Maria Iosepha beata renuntiatur 87.
Rota, S. R.: allocutio Pii XII 403 — causae matrimoniales 285.
S. C. Concilii: Disceptationes de infidelium matrimoniis 37 ss. — responsa 59.
S. C. de Propaganda Fide: decretorum collectiones 26 — disceptationes de infidelium matrimoniis 45 ss.
S. C. *de* Sacramentis: dubiorum solutio 60.
S. Ioseph: translatio festi 61, 159 — ritus festi 238.
S. Officium: iurisdictio de matrimonio 25.
S. Thomas Aquinas: doctrina et principia tenenda in scholis 298.
Tekakwitha Catharina: beatificationis 408.
Theologia moralis: eius conditio moderna 177 ss.
Translatio festorum: S. Iosephi et Annuntiationis 61 ss. — S. Iosephi 159 ss.
Unitas Ecclesiae restituenda 209 ss.

INDEX CANONUM CODICIS IURIS CANONICI

Canon	Pagina
6	30
81	58
111	337
125	21
247	25
250	37
331	113 nota
518	320
526	321
586	22
595	21
638	337
714	338
813	369
822	52, 57
856	319
859	319
902	13
931	22
955	337
1012	113
1013	113, 119
1015	113, 118, 119
1070	118
1075	113 nota
1081	113
1110	113, 119
1118	113 ss.
1119	115 ss.
1120	113, 116, 119,120
1121	49, 116, 120 ss.
1122	121
1123	113, 116, 120
1124	118, 120
1125	49, 50 nota
	116, 124 ss.
1190	52
1194	52, 58 ss.
1195	52, 58 ss.
1245	52
1247	162, 165
1249	52, 57, 60, 61
1358	320
1361	320
1366	298
1367	21, 320
1388	327 nota
1599	88
1971	274

Periodica de re morali

v.28
1939

CBPac

v.28
1939

17398

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 6882